

Philos. 135^{Bd.} Aug., 1891.



Harvard College Library


FROM THE REQUEST OF

JOHN AMORY LOWELL,

(Class of 1815).

This fund is \$20,000, and of its income three quarters shall be spent for books and one quarter be added to the principal.

5 March, 1890 - 28 Feb., 1891.



18

MNEMOSYNE.

MAR 5 1890

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA

COLLEGERUNT

S. A. NABER, J. VAN LEEUWEN J. F., I. M. J. VALETON.

OPERAM SUAM POLLICITI SUNT

C. M. FRANCKEN, J. J. HARTMAN, H. VAN HERWERDEN, A. E. J. HOLWERDA,
H. T. KARSTEN, E. MEHLER, J. C. NABER, H. J. POLAK, K. G. P. SCHWARTZ,
M. C. VALETON, J. VAN DER VLIET, J. WOLTJER.

NOVA SERIES.

VOLUMEN DUODEVICESIMUM. PARS I.

LUGDUNI-BATAVORUM

E. J. BRILL.

LIPSIAE,

O. HARRASSOWITZ.

1890.

INDEX.

	Pag.
Piae Memoriae CAROLI GABRIELIS COBETI, scripsit J. v. L. J.F.	1— 4.
De Lucani versibus propter Vossianum 2 B et Montepessulanum suspectis, scripsit C. M. FRANCKEN.	5— 22.
Ad Vergilii Aeneidis librum I, scripsit H. C. MICHAELIS . .	23— 30.
Ad Lucretium I. 851 sqq., scripsit H. T. K.	30.
Annotationes ad Iliadem, scripsit H. VAN HERWERDEN . . .	31— 49.
ΒΟΥΣ ΕΠΙ ΓΑΛΩΣΣΗ, scripsit J. v. L. J.F.	49— 51.
Studia palaeographica, scripsit J. VAN DER VLIET	52— 67.
Ad Plinii epistolas, scripsit I. C. G. B.	67.
Quaestiones ad Historiam Scenicam pertinentes (<i>continuantur ex Vol. XVI pag. 438</i>), scripsit J. VAN LEEUWEN J.F.. . .	68— 75.
Observationum de iure Romano (<i>continuantur ex Vol. XVII pag. 409</i>), scripsit J. C. NABER S. A. FIL..	76— 81.
Ad Horatii Sat. L. I 6, vs. 9 et 17 sqq. (<i>continuantur ex Vol. XVII pag. 417</i>), scripsit J. B. KAN.	82— 95.
Ad Horatium, scripsit J. S. SPEIJER	96—102.
Ad Schol. Aristophanis Acharn. vs. 12, scripsit J. v. L. J.F.	102.
Critica et epicritica ad Cyropaediam, scripsit H. VAN HERWERDEN	103—113.

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA quater in anno prodibit Calendis
Januariis, Aprilibus, Iuliis, Octobribus.

Pretium annuum erit floren. 5.25.

Singuli fasciculi separatim non veniunt.

PIAE MEMORIAE

CAROLI GABRIELIS COBETI.

Natus est d. XXVIII m. Nov. MDCCCXIII, fatis functus d. XXV m. Oct. MDCCCLXXXIX.

Discessit e vivis is quem omnes philologi norunt, omnes intra fines Belgicos permultique inter gentes vicinas admirati sunt; cui quantum bonae litterae, quantum patria nostra et Academia Leidensis, quantum haec ipsa Bibliotheca Critica debeat nemo nescit; vir qui pares vix ullos habuit, superiorem habuit neminem; quem suo pretio aestimare non est unius hominis, non est nostrum, fortasse non est huius aetatis; nunc autem, paucis diebus postquam vitae cursum finivit, quis ea fuerit audacia et impudentia ut Cobetum tumultuaria quadam opera depingere conetur et qualis quantusque fuerit efficere. Unum iudicem se dignum habet τὸν Χρόνον, qui inania et caduca tradit nocti et oblivioni, nec nisi paucis hominibus, quos divinus afflavit spiritus, clementem se praebet. Inter nomina, quae saeculorum supcrant impetum, etiam Cobeti fore nomen, neque neglectum iri quamdiu praedicentur Scaligeri et Bentleii, id sentiunt et confidunt discipuli quos orbos reliquit, neque ita dum angurantur metuunt ne caeci amoris edant testimonium.

Non abreptus est morte immatura. Diem supremum obiit cum aetatis annum septuagesimum sextum tantum non explevisset; et licet ultimo vitae tempore,

gliscente crudeli morbo quo prostratus erat, litteris suis vacare non potuerit, per octo tamen lustra decus fuit et gloria Academiae Leidensis, et sine ulla fere intermissione, ardenti amore et veluti divino quodam furore stimulatus, per longos illos annos operi incubuit. Quamquam non dignum est tali viro incumbendi verbum! Nil demissi, nil humile in eo erat; ad ardua quaevis assurgebat et evolabat, neque nisus apparebat ullus. Strenuum laborem veluti ludens perficere solebat; iocando tempus terere videbatur dum gravissimis studiis animum advertibat, et quammaxime hilarem otiari tum credi poterat cum omnes ingenii vires — quae quam ingentes erant! — et acumen illud iudicii, quo inter paucos praecelebat, in solvenda quaestione haberet intenta. Comi vultu, sermone urbano et elegantissimo, qui leporibus affluebat et sale attico tantum quantum satis nec ultra conditus erat — nam modum servare nemo melius sciebat —, de litteris antiquis ita solebat loqui atque confabulari ut clara luce affunderentur quaecunque tractabat, et veluti revivisceret Roma, reviviscerent Athenae ante oculos auditorum, quos delentis et stupore quodam devinctos tenebat. Non vetusta et obsoleta videbantur ea quae Cobetus oratione melliflua exponebat, sed ex ipsa antiquitate virum aliquem in terras reducem sermocinari crederes de rebus quas ipse adspexisset, aequales suos depingentem loquentesque inducentem. Non docere sed narrare videbatur, non eruere difficilia et recondita, sed sine ulla animi intentione ea referre quae et sibi essent notissima et cuilibet nota esse possent; et quod aliquando iecit verbum: „ut Graecos intellegamus,

Graeci ipsi fiamus necesse est", non flos ille erat oratorius, nedum fastuosae superbiae indicium, sed brevi hoc et simplici dictorio, qualibus uti amabat, et aliis ostendit viam qua procedendum est, et quid ipse assequi per totam vitam voluerit indicavit. Ille profecto Graecus factus erat, non inquilinus sed civis Atheniensis optimo iure; vivebat in Graecia, vivebat Graecia in illo: non fucata quaedam Graecia, hodiernae vitae artificii ornata nostrique aevi studiis dedita, sed vera Hellas, placida luce resplendens, masculo mentis corporisque robore vicens, intimo veri pulcrique sensu insignita. Illam ut patriam suam diligebat, colebat, illam penitus norat: prae illa sordebant ei omnia. Spernebat vitae quotidianae lenocinia, non curabat gaudia quibus vulgus hominum obstrictum tenetur; ridebat fastum, neglegebat indoctorum — magisque etiam doctorum — nugas operosas; imperitorum adulationem refugiebat, iniqua autem iudicia et adversariorum pusillorum sibi insultantium protervitatem ne animadvertibat quidem, — arti suae perdiscendae totam vitam vix sufficere ratus et perditum ducens quicquid ad alia agenda inde detrahebatur.

Doctrina in eo erat admirabilis, quam promptam semper atque paratam ei exhibebat memoria supra quam credi potest tenax; sed plus etiam, quam singulari et exquisita scientia, valebat iudicio et arte illa, quae excoli potest, non potest addisci: artem dico vera et falsa, pulcra et turpia dignoscendi. Plus erat quam vir eruditissimus et sagacissimus: erat summus artifex. Non acta agere, tradita tradere eius erat, sed detegere incognita, quae disiecta essent coniungere, nova denique,

id quod veri est artificis, vi sui ingenii effingere. Oderat autem atque abhorrebat quicquid erat informe atque obscurum, appetebat venusta quaevis et decora, neque densa scientia se involvere et nubeculam quandam inutilis eruditionis sibi praetendere cordi habebat, sed e fumo dare lucem. „Simplex veri sigillum”: brevius veriusque quam hoc dicto non potest indicari qualem vitae studiorumque habuerit rationem. Simplex vixit, de fama securus neque dici clarissimus sed esse cupiens; verum sectatus est nihilque antiquius habuit quam ut propius in diem ad veritatem accederet, nullius in verba iurans, neque ipsi sibi facile credens neque alienae auctoritati temere obtemperans, viribus suis non parcens quamdiu aliquid superesset agendum, dum altius altiusque ingenii sui impetu evehebatur. Hinc dux et signifer fuit multis, erit pluribus; sancto laborandi et inquirendi amore multorum incendit pectora, vir candidus et amabilis. Have pia anima, pater optime carissime, — nam patris instar te dileximus. Non assequetur te nostrum qui nunc vivimus quispiam, et vix credibile videtur posthac fore qui te assequatur; sed quod poteramus et debebamus, amavimus te et suspeximus viventem, nunc desideramus et lugemus mortuum; inter vitae autem nostrae summa bona hoc referimus quod praesentem videre et audire, admirari et venerari nobis contigit virum bonum, egregium magistrum, criticum nostris laudibus maiorem: CAROLUM GABRIELEM COBETUM.

J. v. L. J. P.

DE LUCANI VERSIBUS PROPTER VOSSIANUM 2 B ET MONTEPESSULANUM SUSPECTIS.

SCRIPSIT

C. M. FRANCKEN.



De Lucani versibus quacunq̄ue de causa suspectis copiose egit C. F. Weber, vol. II p. 373—648; de eis quorum fides propter MSS. Montepessulanum et Vossianum alterum vacillat Guilelmus Steinhart tam in commentatione philologica de emendatione Lucani Bonnae, 1854, quam in *Symbola philologorum Bonnensium* in honorem Fr. Ritschelii collecta Lips. 1864—1867, p. 287—300. Animadvertit in Voss. 2 (quem cum Usenero U dicam) in fine paginarum multis locis unum duosve versus suo loco motos inveniri, quos manus secunda deleverit; deletos autem reposuisse minutoribus litteris intra versus eo loco, in quo olim in primitivo quodam exemplari fuerint. Plerosque hos Montepessulanus (M) habet a correctoribus additos, quos omnes in *Symbola* enumeravit Steinhartus, diligenter domi suae inspecto codice. Vossianum mihi comiter a viris doctt. W. N. du Rieu et S. G. de Vries transmissum semel iterumque consului, unde Steinharti testimonium saepius supplere, raro emendare potui.

Vossianus alter (est autem: Vossianus Latinus in Folio N 63) continet in singulis paginis tricenos binos versus; si triginta tres aut quatuor in pagina adsunt, unus aut duo post sunt adscripti in margine aut intra lineas, saepe alia manu. Hi igitur primitus a librario non erant additi, sed supplementum sunt ex alio fonte et propterea suspecti.

Non exstabant illi numerum solitum excedentes versus in codice, unde U ortus est. Sumsit illos post descriptum librum ex uno pluribusve aliis antiqua manus, quae a prima interdum nihil differt, posuitque non in fine paginarum, ut Steinhart significat, sed intra versus iam scriptos aut in margine. Librarius sane versum ultimum subinde deleuit, sed fecit id in paginis 32 versuum, non quod in codice primitivo abesset, sed ut verum ordinem restitueret, et rescripsit eum loco suo, manifesto genuinum. Uno tantum loco (VII. 796) versus 33^{us} et simul ultimus deletus et vero loco restitutus; reliquis paginis 33 aut 34 versuum nihil quidquam est in fine deletum et versus suppleti statim intra versus sunt positi. Res quomodo ubique se habeat, ex infra scriptis perspicietur.

I. ENUMERANTUR VERSUS IN U M DEFICIENTES A PRIMA MANU.

I. 436—440 Pictones alis om. U M.

III. 167 egeritur —, 168 pauperiorque — pag. codicis U 26^r post v. 17 (= 166) intra versus a manu eius, qui scholia addidit; nihil in fine deletum; continet pagina, exceptis 167 et sq., 32 versus. In M a correctore *l* 1).

IV. 251 et scelerum — om. U M.

IV. 260 agmina — in pagina 33 versuum, cod. U 39^v, scriptus est suo loco intra versus; M. tuetur.

IV. 677^b, 678^a semperque — equo, om. 1^a manu U M, U habet illa verba p. cod. 47^r versuum 33 (illis additis) supra scripta, reliqua usque ad finem versus — INDO (sic) in margine; in M. (— equo) add. corrector.

V. 335 caesaris — a 2. m. pag. 54^v est 33^{us} et ultimus, adest in M.

V. 795^b, 796; verba „neuterque recedens” sunt in litura, 796 in margine U p. 62^r, quae praeter hunc habet 32 versus; M a corr. c.

VI. 152 o famuli — om. U, a corr. *d* addit M.

1) Manus variorum correctorum notavit Steinhart litteris a—A.

VI. 188 perdidit — in marg. U, pag. cod. 65^v, quae praeter hunc v. et 207 habet 32 versus, M. a corr. add.

VI. 207 par pelagi — in marg. U, eadem pag. cod., M a corr. *d*.

VI. 828 it comes — in U p. 75^r m. 2., est 33^{us} et ultimus; adest in M.

VII. 103 si modo — U intra versus manu antiqua, quae prima esse potest, pag. cod. 77^r, quae continet praeter hunc 32 versus, M a corr. *e*.

VII. 257, 258 haec eadem —, reddat —. Om. U, M. a corr. *e*.

VII. 725 plurimaque — adest in U p. cod. 86^v, quae habet trīginta *tres* (702—734) versus, ut probabile sit, unum ex his spurium esse, in M add. corr. *f*.

VII. 747 impulit — U m. 2. in marg.; in pag. cod. 87^r (cont. 33 versus, 735—767); M a corr. add.

VII. 796 fortunam — U m. 2. inter versus, pag. cod. 87^r, 33 versuum; fuit olim scriptus in fine paginae post 800 (con- sulis), sed ibi deletus et loco suo appositus; M a corr. *h* add.

VII. 820 tu cui —, 821 quid fugis —, 822 has trahe — adsunt a manu prima in U pag. cod. 88^r v. 21—23 (= 820—822), quae habet tamen 35 versus, ut probabile sit tres spurios esse; M a corr. *h*.

VIII. 124 accipe — om. U M.

IX. 83 linquere — adest in U pag. cod. 104^v v. 4 sed post 79. } a corr. M.; in U

IX. 87 me cum — adest in U inter ver- } pagina est excluso
sus in eadem pag. } 87 versuum 34,

IX. 99 insidiae — adest in U, in eadem pag. } unde duos praeterea
IX. 100 ne mihi — adest in U, in eadem pag. } spurios esse credi-
bile.

IX. 494 ulla nisi — U m. 2. in pag. cod. 110^v, 32 praeter hunc versuum in marg. iuxta v. 493, qui est 30^{us} in pag., a m. 2^a; litura est unius versus inter 31 et 32, ubi versus hic antea insertus erat; supra *aequore* legitur *s. irant*; M a corr. *g*.

IX. 615 morsu — U pag. cod. 112^v quae habet 34 versus (593—626); M. a corr. *g*.

IX. 664 a iove dilectae — om. U M.

IX. 924 psyllorum — om. U M.

X. 8 ne populus — om. U M.

II. VERSUS IN SOLO M AUT U OMISSI.

Locos ubi M omittit versus, qui in U adsunt, indicavit stel-
lula affixa Steinhart Symb. p. 292 sqq. Operae pretium est, eos
versus diligentius considerare; apparebit, opinor, solum M non
sufficere ad versum aliquem damnandum.

VII. 200. Cornelius augur procul a pugna Pharsalica, ad
Timavum sentiens quae gerantur „Venit summa dies, geritur
res maxima, dixit. | Impia concurrunt Pompeii et Caesaris
arma,” | Seu tonitrus ac tela Iovis praesaga notavit, | aethera
seu totum discordi obsistere caelo | perspexitque polos, seu
lumen in aethere maestum | *solis in obscuro pugnam pallore no-*
tavit, | dissimilem certe cunctis, quos explicat, egit | Thessalicum
natura diem.” Omittunt cum M peiores aliquot versum *solis* —.
In hoc loco difficili quoquo te vertis, omissio haec non probanda
est. „*Lumen* in aethere” carere non potest definitione (*solis*);
nam lumen solis i. e. sol lucens est *in* aethere, sed lumen nude
positum pro luce non est *in* aethere sed aetheris. Non magis
versus omitti potest. si *numen* scribas cum V corr., R, Tauri-
nensi d’Orvillii, nam numen *in* aethere maestum non est pro-
digium aliquod, quod observatur. Ceterum pro *solis in* requiro
solis et; lumen et *pugnam* pendent a *notavit*. In hoc vocabulo
repetito nullum momentum est, cf. II. 144, III. 435, IV. 477, 741.

VIII. 375 „nec tota in pugna perfusus sanguine membra”
versus est necessarius et errore omissus quod superior quoque
a *nec* incipit.

IX. 253, 254. „Actum Romanis fuerat de rebus, et omnis |
indiga servitii fervebat litore plebes.” Post longam Cilicis re-
bellantis orationem transitu quodam fere opus est et praeparatione
ad responsum Catonis. Rebellem militem „indigam servitii
plebem” vocare, quod senatus partes desereret, cum Lucani
amplificatione optime convenit, neque alienus usus indicativi
(*fuerat*) pro coniunctivo in condicionali sententia; VIII. 586 pot-
eras non flectere puppem — omnibus a terris si nos arcere
parabas. Ib. 571 quod nisi fatorum leges — traherent ad litora

Magnum, non ulli comitum sceleris praesagia deerant. Val. Flaccus II 314 ferre nec infestos deerat furor improbus ignes | ni Veneris saevas fregisset Mulciber iras. Id. VII. 440 nempe ego si patriis timuissem excedere tectis, occideras. Copiose de hoc argumento Joseph Priem, die irrealen Bedingungsätze bei Cicero u. Caesar" Philol. Supplem. V p. 261—347, cf. p. 272, sqq. Herm. Kluge, die Consecutio temporum, deren Grundgesetz u. Erscheinungen im Lateinischen. Cöthen 1883.

IX. 353. Tota sententia haec est (352): — stagnique quieta | *vultus vidit aqua, posuitque in margine plantas* | et se dilecta Tritonida dixit ab unda." Nihil abesse potest.

IX. 485—487 de militibus arena paene sepultis: qui (auster) super ingentis cumulos involvit arenae, | atque operit tellure viros. Vix tollere miles | membra valet multo congestu pulveris haerens." Per se minime suspecti sunt hi versus. Tellus pro terra, pulvere, cf. III. 375: haud procul a muris tumulus surgentis in altum | telluris paruom diffuso vertice campum | explicat."

IX. 499. Inde a v. 498 haec leguntur: utque calor solvit quem torserat aera ventus, | *incensusque dies, manant sudoribus artus*, | arent ora siti, conspecta est parva maligna | unda procul vena." Pro *incensus* Daventriensis cum Pulmanni et Oudendorpii recentioribus habet *exarsit*, sed optimi V. (V. I) U R (Parisinus, quem contulit d'Orville) cum M *incensus*, multo magis poeticum; quo modo *furor* caeli aequinoctialis, et *furere* stella leonis, et aura *rabiem* canis lenire dicitur, sic ardores diei solisve *incendi*. Non aliter IV. 68: „incendere diem nubes oriente remotae" i. e. calorem fervidum diei adduxit caelum ab oriente serenum. Casu factum quod pro „manant sudoribus artus" in Aldina et quatuor recentioribus non diligenter ab Oudendorpio indicatis est: „iam mundi spissior ignis" et continuantur reliqua ex 604 infra usque ad *calcatur* 606 additis his verbis: „et humor | in noton omnis abit." Inde nihil lucratur nisi fuisse codicem aliquem istorum archetypum, qui continueret in singulis paginis 26 versus.

IX. 805: „sed maiora parant Libycae spectacula pestes.” Versus satis inficetus, sed transitus ad Tulli casum a superiore est necessarius.

X. 312, 313. Versus sunt ex oratione Achorei de Nilo (311): „rursus multifidas revocat piger alveus undas, | *qua dirimunt Arabum populos* (populis recte V U M R) *Aegyptia rura* | *regni claustra Philae. Mor te deserta secantem*, | *qua dirimunt nostrum rubro commercia pontum*, | *mollis lapsus agit.*” Versum vitiosum 314 (in quo „nostrum pontum” Aegyptius Achoreus Mediterraneum dicit et *commercias* significare posse the track of commerce non mihi persuadet Haskins) tuetur M, bonos 312 et 313 omittit, manifesto errore a verbis *qua dirimunt* 312 ad eadem 314 transsiliens.

X. 396^b—398^a. Verba sunt Pothini Caesaris caedem suadentis (395): tu (Achilla) parce morari; | plenum epulis, madidumque mero, *Venerique paratum* | *invenies; aude: superos tot vota Catonum*, | *Brutorumque tibi tribuent.* Non lentus Achilles | — parere.” Omissa verba minime suspecta, in quibus *superos* est Oudendorpii, ex Voss. 3 et Wittiano, boni libri *superi*. Sententia: vota Catonis et similium pro morte tyranni suscepta tibi benivolos praebebunt deos. Haskins tenet *superi*: to you the gods will grant to fulfil the many prayers of the Catos and the Bruti. Si defendendum mihi esset *superi*, potius interpretarer: dii quod frustra Cato precatus est (ut sua manu tyrannum interficeret), id tibi concedent. Quamquam sic pluralis „tot vota” non aptus est. Sed quidquid hoc est, omissio illorum verborum mera oscitantia est; eis remotis ne stat quidem sententia.

Separat ab his versibus Steinhart alios, qui prima manu, addito DR et SR (*deleantur, scribantur*) aut signis *h^d* et *h^p* (*hic deleantur, hic ponantur*) in margine sunt positi et vero loco restituti, de quibus nulla dubitatio esse possit; itemque qui in priore carminis parte l. I—VI leguntur, quae sit minus perturbata. Quos quo iure a reliquis distinguat nunc non quaero. Plerumque res ita manifesta est, ut verbis parcere praestet quam omnia explicare. Excipienda videntur tantummodo infra scripta:

II. 571. Num Caesar confidit fortuna sua (570): Rheni gelidis quod fugit ab undis, | *oceanumque vocans incerti stagna profundi* | territa quaesitis ostendit terga Britannis." Contorta constructio; tamen deesse potius aliquid quam superare crediderim.

IV. 78. Propter pluvias vehementes non „servant fulmina flammam, | *quamvis crebra micant: extinguit fulgura nimbus*". Versus ineptus; „micantia fulmina non habent flammam" est absurdum; extincta fulgura crebro micant! Qui interpolavit nimis haesit in verbo *servant*, quod est ne habet quidem, ut alias; ne servat quidem naturam fulmen nec conspicitur. Non solus M sed etiam V (Voss. *primus*) hunc versum omittit. (1^a m. U *flumina cursum pro flammam*, male; recentiores aliquot libri: moriuntur fulgura nimbis).

IV. 171. Postquam inter se conspexerunt „*et fratres natosque suos videre patresque*, | deprensus est civile nefas." Versus superfluus, eoque magis dubius quod V U habent: „*hic fratres.*"

Denique abesse possit VII. 90 sitque —, sed reliqui ne umbram quidem habent suspicionis. Sunt autem II. 463, 464, 732, 733, III. 146, 608, VII. 209, 481, 607.

Itaque M si quid solus omittit, solus fere peccat; unus fortasse et alter versus excipiendus (II. 571, IV. 78) qui tamen reliquis omissionibus aut non necessariis aut dubiis non possunt ullam fidem conciliare. Non igitur Montepessulani omissiones magnam auctoritatem habent, pleraeque sunt *σφάλματα* librarii.

U. nihil fere omittit, quin simul in M desideretur a prima manu. Tamen IV. 260 in pagina 33^{aa}, V. 335, VI. 828, in pagina quisque sua 33^{aa} et simul ultimus versus secunda manu scripti sunt. Versus illi minime suspecti in archetypo codicis erant omissi, ex alio codice postea suppleti sunt.

III. QUÆRITUR DE ORIGINE ET FIDE VERSUUM IN U ET M DEFICIENTIUM.

Eorum versuum quos simul U et M omittunt maior pars aliqua de causa iure displicuit editoribus; nos potissimum de reliquis agemus, de eis qui dubii, eisque qui genuini sunt.

III. 167 sq. Inde a v. 165 haec leguntur: tunc orientis opes, captorumque ultima regum, | quae Pompeianis praelata est gaza triumphis | *egeritur: tristi spoliantur templa rapina, | pauperiorque fuit tunc primum Caesare Roma.*" Plane hoc convenit cum ingenio et dictione Lucani, quod expilato aerario Caesar ditior factus et mansisse ditior quam tota civitas invidiose dicitur. Post longam enumerationem eorum, quae templo eruta sunt (155—164) et *tunc* v. 165, quod inchoat fere sententiam, aptum est novum verbum *egeritur*, ne omnia ab *eruitur*, decem versibus ante posito, pendeant. Pro *egeritur* U: *egerit et; rapina* in V, non in U (ut Oud. refert) ex *ruina* correctum.

IV. 677 „Populi tot castra sequuntur

Autololes Numidaeque vagi, *semperque paratus*
Inculto Gaetulus equo, tum concolor Indo
 Maurus.

Cur librarius ista verba in M (et R) et in U praeterea *tum concolor Indo* omiserit, non perspicitur, nec probabiliter explicavit Burmannus; nihil habent offensionis; inculti equi sunt non frenis instructi nec instrati.

V. 795 Praecipitantque suos luctus, *neuterque recedens*

Sustinuit dixisse vale, vitamque per omnem
 Nulla fuit tam maesta dies. Nam cetera damna
 Durata iam mente malis, firmaque tulerunt.

Verba de discessu Pompeii et Corneliae ante bellum. Praecipitare est praecipere, maturare; noluerunt amplecti (793) et valedicere eoque acerbiores discessum fecerunt, cf. VII. 51 sua quisque ac publica fata praecipitare cupit. II. 105 non senis extremum piguit vergentibus annis praecipitasse diem (quod melius quam *praecipisse* in V, quamvis Heinsio ad Val. Fl. IV. 751 probatum). Post hanc insolentiorum iuncturam non supervacanea explicatio: nenter sustinuit, rell. Sed quae sequuntur: nam cetera damna, rell. tam frigida sunt, ut de totius loci integritate dubitem. Gravius hoc mihi videtur, quam illud quod movit Cortium ut *neuter — vale* uncis includeret, repetitionem volo verbi *sustinere* (793) post tres versus. Minorem tamen suspicionem habent in codicibus omissa quam reliqua.

VI. 188 Hic quoque plures versus adscribere necesse 186:

Iamque hebes et crasso non asper sanguine mucro
Percussum Scaevae frangit non vulnerat hostem.

Perdidit ensis opus, frangit sine vulnere membra.

Etsi secundum ex his versibus (percussum) uncis includunt Cortius, Burmannus, Haskins, tamen non hic sed postremus in bonis codd. deest. In Grotii P annotatum erat, priorem versus abundare. In duobus deterioribus Vossianis, tertio et quarto, tres hi versus non in contextu inveniuntur, unde tamen efficere noli eos a librario quodam esse factos, nimis enim sunt artificiosi argumento. Continent tamen sine dubio aliena, quamvis sententia sit conveniens aliis argutiis Lucaneis. Secundo versu *Scaevae* alieno loco positum est. Porro in altera parte secundi et tertii variatur eadem sententia, unum ex eis hemistichiiis, puto alterum, dittographia est aut potius tentamentum eiusdem sententiae melius exprimendae. Alterum utrum, opinor, deleturus erat poeta, sed male sedulus editor nihil lectori praeripere voluit. Lucanus fortasse si ultimam manum operi impo-
suisset, editurus erat quod Voss. 3 ex correctione habet: „perdidit ensis opus, frangit, non vulnerat hostem.” In quibus *perdere* = frustrare, *frangere* = debilitare. Ad interposita *non vulnerat* cf. I. 140. Omitto nunc in primo versu *asper*, male delectum vocabulum pro acuto; immo si quis suam vim vocabulis tribuat affirmare poterit mucronem *fuisse* asperum (i. e. non politum, non levigatum) concreto sanguine. Sed, ut dixi, omnes hi versus inventum librarii esse non possunt. Similis varietas est VII. 462 sqq.

VII. 103. Inde a 101 haec leguntur:

belli pars magna peracta est

His, quibus effectum est, ne pugnam tiro paveret,

Si modo virtutis stimulis iraeque calore

Signa petunt: multos in summa pericula misit

Venturi timor ipse mali.

Indignatus Pompeius pugnae aleam postulari, quod Caesarianis inopia frumenti pressis certa sit suis victoria, si abstineant ab armis, non cupit suos documentum dare virtutis iraeque caloris; contentus est si miles manendo in loco sibi duci pareat. In

versu omisso contra contentum se fore significat suis *pugnam postulantibus*, modo ne virtute et irae calore careant. Magis cum reliquo sermone convenit si scribitur expulso v. 103: Signa petunt? Multos, rell., ut fingatur aliquis reponere esse tamen aliquid etiam contra imperium pugnam petere. — Scholia agnoscunt hunc versum ut animadvertit Weber III. p. 454, qui defendit. Sed scholia non sunt admodum vetusta.

VII. 257 sq. „Haec eadem (sc. dies) est, hodie quae pignora quaeque penates | reddat et emerito (emeritos V) faciat vos Marte colonos.” Indigna haec est adhortatio Caesare, qui alias „Quirites” milites rebelles vocando ad obsequium militare reducit, VII. 358. *Hodie* parum aptum esse multi viderunt. Comparandi sunt hoc loco versus spurii in aliquot recentioribus MSS ad v. 302 adscripti: „Ne vos Hispani mitis victoria Martis | securos habeat, dedimus quod rura, quod urbes, | et quicquid nobis post Gallica bella negatum est,” de quibus cf. Mnem. XVII. p. 58. Eiusdem coloris hi versus sunt. *Emeritos* in plurimis MSS. est, quod, etsi per se postponendum, tamen interpolatori fortasse reddendum. Quod versus hi propter repetitum *haec* v. 254, 257 excidere potuerunt (Weber), momentum haberet si boni essent.

VII. 725. Hoc versu aegre careremus: „plurimaque in saevos *populi* convitia divos.” Cum enim sequatur, nunc demum, in re adversa, intelligere Pompeium quantum *ab omnibus* ametur (726 sq.) *populi* mentio aptissima est. Multo certius etiam iudicium est de v. 747. Hic plane necessarius est: nec plura locutus (Caesar) | *impulit amentis aurique cupidine caecos* | ire super gladios.” Tamen desideratur non tantum in UM sed etiam in V. Aliquot testes ex turba Oudendorpii pro „nec plura locutus” offerunt „sic milite iusso”, quae fortasse coniectura inventa sunt, ut post iacturam sequentis versus (*impulit* —) nexus restitueretur; sed is ne sic quidem tolerabilis est, nec probo Oudendorpium proponentem: sic milite iusso | ire super gladios supraque cadavera patrum | . . . quae fossa, quis agger | sustineat pretium belli scelerumque petentis?” Nimis tenue est in apodosi *pretium* post enumerationem istam: „ire super” rell.

VII. 796: „fortunam superosque suos in sanguine cernit” ne latinum quidem, nisi credas sanguinem pro speculo fuisse (Defendunt Burm. et Weber).

VII. 820—822 recte a Webero defensi sunt (*funus* = cadaver, ut apud Propertium: cum semel infernas intrarunt funera leges, et al.). Longe superant interpolatoris cuiusdam ingenium. Lucani sunt, additi fortasse post sequentia iam scripta et a primo editore omissi.

VIII. 124 sic interpungendus esset si genuinus: accipe ne Caesar rapiat; tu victus habeto”. Protasis „ne Caesar rapiat” infringeret oxymoron; satis est: „victus habeto,” idque in hac brevitate gravius, quam si adhaereat sententia illa finalis. Sed optime abesse potest.

IX. 87 Inde a v. 85 haec leguntur: namque haec mandata reliquit | Pompeius vobis in nostra condita cura: | *Me cum fatalis leto damnaverit hora,* | excipite, o nati, bellum civile.” Non eadem causa est utriusque versus 86 et 87, etsi neuter offensione caret, cum ad 87 damnandum externum, ut aiunt, adsit argumentum. Non insolens esse „in nostra condita cura” non persuadet Bentleius, nec aptum est, si Corneliae commiserit, quod se mortuo filiis mandaret, ut Pompeius ad Corneliā verba faciens, statim ab initio apostrophe ad filios (excipite 88) usus sit. Sed, ut dixi, nunc utriusque versus causa separanda est. In altero locus, quem occupat *me*, magnam illi vocabulo emphasin concilians, imperitam aut festinantem manum prodit, quae versum hunc interposuerit, ut Pompeii oratio quomocunque insereretur Corneliae sermoni.

IX. 99 sq. „Insidiae valuere tuae deceptaque vixi, | ne mihi commissas auferrem perfida voces.” Versus prior in uno M deest; in U alteruter tantummodo secundum ea, quae supra (p. 3) dixi, tamquam spurius notari potuit. Argutiae in priore admodum Lucano dignae. Haskins: suggesting that Pompeius had given her this commission in order to prevent her from committing suicide. Alter quoque et oratione et argumento Annaeanus

videtur; sed ab ipso poeta potuit reliquis iam scriptis addi, et sic in prima editione negligi.

IX. 494 in V quoque inter versus m. 2. additus salva sententia non tantum abesse potest, sed etiam propter verba suspectus est. Inde a 493 legitur: „iamque iter omne latet; nec sunt discrimina terrae | *ulla nisi aetheriae, medio velut aequore, flammae,* | sideribus novere viam.” Vocabula „aetheriae flammae”, quas, cum in mari conspiciantur, dixeris flammulas in extremitate malorum conspectas significare, nihil aliud designant nisi stellas. Putidum est: etiam non sunt discrimina *terrae*, nisi *aetheriae* flammae; haec quoque non *sunt* discrimina. Sed non contenderim fieri non posse, ut ipse poeta scripserit et deleverit postea.

IX. 615: „Morsu virus habent et fatum in dente minantur.” Ad *in* defendendum non debebat advocari Bentleius, is enim conicit: „et fatum in dente *minatur*.” Aut hoc legendum; aut *in* omittendum; posterius paulo probabilius, quod boni codices habent *minantur*, et *in* quidam (ut V) omittunt. Ut supra significavi, non constat hunc esse versum in U spurium designatum. Quidquid est, non potest omitti; sequens *pocula*, opposita *morsui*, melius intelleguntur.

IX. 664: Versum in V quoque a 1^a m. omissum et ab Oudendorpio aliisque reiectum defendit Haskins, quod *monstri* v. superiore hanc explicationem desideret (*a Jove dilectae fuso custode invencae*). Sed de perspicuitate parum sollicitus est hoc toto loco poeta, et in hac rerum cumulatione vix ampliorem remotioris argumenti mentionem lectores desiderant. Per se bonum, deletum tamen voluisse poetam, cum locum retractaret, non improbable est.

IX. 924: „Tunc sunt miracula gentis | *psyllorumque ingens et rapti pugna veneni.* | Nam primum tacta designat membra saliva.” In U margo habet: „psyllorum vires inimicae,” quod inscriptio potius est quam versus depravatio ut Oudendorpio videtur. Sed scholion: pugna veneni ut contra se venenum

pugnent et carmen" manifesto pertinet ad versum omissum. Est autem litteris minutis sed non necessario alia manu scriptum scholion, fortasse diversae originis, ex alio codice quam textus. Nam omissio, cum etiam M non habeat, non est fortuita. Miror versus defensores invenisse, qui vix ullam admittit explicationem. Benivolutus lector, qui multa Lucano ignoscat, possit intellegere: pugna est inter dexteritatem medentis et vehementiam veneni. At vix recte, nulla enim iusta causa pluralis numeri est et quod Psylli pro *peritia* eorum substituuntur non habet rationem in metaphora, quae, quo est audacior, eo clarius debebat enuntiari. Nihil opitulatur varia lectio in Oudend. MS. *cura* pro *pugna*, quam suspicor pertinere ad v. 928 „nec dat snspiria (sc. Psyllo incantatori) *cursus* | vulneris aut minimum patiuntur fata tacere." *Cura* vulneris non permittit ut suspiret. *Cursus* tum demum recte se haberet, si toto corpore, per omnia membra pestem insequeretur incantator.

X. 419. Secundum ea, quae supra dicta sunt, in fonte codicis U versus *instaurat, primus Magno succedit Achilles* erat in textu, is qui nunc editur *movit et in partem Romanam* (melius *Romani* i. e. Pompeii) *venit Achilles* varia lectio erat. Solum priorem habet M. Uterque versus habet metaphoram ab haereditate petitam: non venit in spem secundam Achilles sed primus haeres est (Invenal. IV. 19, Hor. Sat. II. 5. 53), aut: ad partem haereditatis civis Romani accipiendam (cf. Cic. pro Caec. 12). Prior versus praeferendus, quoniam *succedit* aptius est inter praesentia *discedunt et vincunt* (*vincent*) quam perfecta *movit et venit*. Correctio videtur ipsius poetae.

Haec igitur additamenta sunt, de quibus aliquid monendum videbatur; reliqui versus, tanquam plerorumque iudicio spreto, a me omissi sunt, nempe I. 436—440, recentissima interpolatio, IV. 251 ineptus versus, quem mire defendit Weberus, VI. 152 poetastri cuiusdam inventum¹⁾, 207 interpolatio ex

1) Delectabile exemplum talis interpolationis praebent quatuor versus in Regio 1^o ad VI. 480 adscripti (cf. Oudendorp.), qui si ab hodierno viro docto esseot profecti, compositi viderentur ad genus poesis magicae irridendam. Nimirum interpolatoribus sufficiebat tumor etiam sine sententia.

nota marginali, VII. 257 interpolatio antiquior aliis locis assimilata, IX. 83 fictus ad supplendum proximum, X. 8, natus ex scholio interlineari. Addas his, de quibus supra expositum, IX. 924, VII. 796.

Itaque praeter has interpolationes, quarum similes in aliis quoque poetis inveniuntur, non pauci versus in U M deprehenduntur omissi, in quibus dubius haereas; volo eos, de quibus supra retuli: III. 167 sq., IV. 677 sq., (V. 795 sq.), VI. 188, VII. 103, 725, 747, 820—822, VIII. 124, IX. 87, 99, 100 (494), 615, 664, X. 419.

Lucanum constat non perfectum neque expolitum carmen suum reliquisse. Ipse partem tantum, priores tres libros (Vacca p. 77 Reifferscheid, Weber sine causa *ceteros l. progr. Marb.* 1856 p. 23), reliquos septem eo mortuo amica manus in vulgus emisit. Qui festinanter in chartam coniecti passim iam ante confectum carmen aliquam retractationem a properante poetae manu experti sint necesse est. Nam fieri non potuit, quin subinde parum meditato versus deleverit, quod meliora inter laborem succurrerent, aut prius scripta cum post elaboratis non congruerent. Ipsa autem festinatio efficiebat, ut damnati non clare oblinerentur aut expungerentur, sed notarentur tantum obelo aut cruce. Porro probabile est poetam subinde aliter conceptum versum iuxta posuisse, ut ipse postea delectum faceret, denique in margine aut summo libro additamenta suo loco inserenda adscripsisse. Ipsa ratio non minus quam autographa poetarum cuiusque temporis ita se rem vulgo habere ostendunt.

In carmine autem alieno edendo is, qui eam provinciam bona fide suscipit, in re dubia, ubi non liquido apparet, quid scriptum, quid deletum voluerit poeta, saepe suum iudicium sequens errat: nimia religione et pietate ductus dubium edit versum, ne quid lectori praeripiat, aut nimis suo iudicio confusus temere reicit, optionem etiam lectori relinquere interdum satius habebit. Inde dittographiae in textu. Quod si dubia aequalibus de recepta lectione oboriantur, rursus inspecto poetae volumine, si mansit, emendatiora aut ampliora proponi consentaneum est.

Quo modo apud nos ipse auctor suum opus, emendatum et

auctum, iterum publici iuris facit, non solebant sane veteres alteram „editionem” parare. Nimirum prius emissum librum non, ut hodie, unus quidam bibliopola iterum divulgandi ius habebat; unus quisque describebat, cui libitum: quot erant sparsa exemplaria, tot erant opportunitates amplius propagandi, nec exspectabatur recensio nova ipsius auctoris, quae superiorem pretio superatura esset. Itaque non prodibat nova editio; sed id, quod hoc loco volo, multo diversum est. Nulla est causa, cur credamus Lucani ipsius volumen postea, quam esset descriptum, esse deletum, ut aliorum saepe auctorum, de quo quam solerter exposuerit Birtius, nemo ignorat. Contra poetae in ipso aetatis flore extincti desiderium id efficere debebat, ut manus eius religiose servaretur. Et cum miro studio Pharsalia divenderetur et bona exemplaria anquirerentur¹⁾, consentaneum est, aliquando in certamine et contentione vendentium, collato ipsius poetae libro, auctiora exempla et reliquis praeferenda parata et venundata esse, ne quid ad fidem et integritatem deesset. Curabat igitur unus alterve adscribenda quaecunque in Lucani *αὐτογράφων* invenirentur eodem studio, quo nostra aetas in superioris saeculi poetis agit. Hac ratione intellegimus factum esse, ut duae quasi formae operis simul extarent, et explicatur multos versus esse coloris Annaeani, qui tamen in bonis codicibus desiderentur.

Distinguo versus ab ipso poeta adscriptos, ut ederentur, et eos, qui, deleti ex parte aut delendi, forte in eius *αὐτογράφων* aderant. Hanc originem esse multorum versuum, de quorum fide ambigitur, eo quoque probabile est, quod potissimum inveniuntur in libris, qui ex poetae demum scriniis emissi sunt (IV—X), cum libros I—III ipse edidisset.

Speciminis causa tanquam manifesto ipsius poetae affero VII. 820—822 (apostrophe ad Caesarem, post Pharsalicam pugnam locum certaminis relinquentem):

1) Suetonius in Vita in *l.*: poemata eius etiam praelegi memini, confici vero ac proponi venalia non tantum operose et diligenter sed et inepte quoque . . . Manifesto aliquid in fine omissum, veluti *ornata exempla*. Heinr. *exempla* post vero inserit; Reinbart eum Webero olim: *memini, etiam exempla confici veno ac proponi*; Barm. *conscribi* pro *confici*. Sed *inepte* aliud verbum postulat quam vendendi. Cf. etiam Martialis XIV. 194

Tu, cui dant poenas inhumato funere gentes,
 Quid fugis hanc cladem? quid olentes deseris agros?

Has trahe, Caesar, aquas; hoc, si potes, utere caelo.

De multis in hoc genere anceps iudicium, volueritne addi an deleri poeta (scriptos ab eo omnes hos puto). Probabilia autem sequens sic statuo: addendos fuisse III. 167 sq., IV. 677 sq., VII. 725, 747, IX. 99 sq., 499.

Contra mentem poetae irrepserunt, quos ipse minus sibi probatos notaverat tanquam delendos aut re vera, minus perspicue, deleverat, sed studia fautorum, ne quid deesset ad integritatem in vitam revocaverat, quo refero: VII. 103, VIII. 124, IX. 87, 664.

De V. 795, VI. 187 nihil definitio.

At ipsa rei natura suadere debet ut credamus, haec additamenta non recepta esse in omnia exemplaria, quae iam, ubicunque latine loquebantur, per Italiam, Galliam, Africam, Hispaniam sparsa essent (cf. Hor. Epist. I. 20, 13). Fuerunt igitur — non duae editiones quas nos dicimus — sed magis minusque plena exempla. Atque haec pleniora vulgo conquisita et magis lecta, eo ipso adulterationi opportuna, interpolationes quasdam passa esse, ut supra demonstratum, non mirum est. Sed simul apparuit, de additamentis non simplex iudicium esse, quoniam subinde contineant tam ad periodorum conformationem et nexum sententiarum necessaria, quam ingenio poetae apta, quae nemo prudens reiciat.

Accessiones igitur, quae in praestantissimo V aliisque codicibus sunt, apparet partim ex bono fonte esse natas, ut equidem opinor ex ipso poetae exemplari, primum non satis diligenter lecto. Proinde nec quae in familia codicum mutila, nec quae in integra exstant lectiones, necessario propterea aut probandae sunt aut spernendae, quod mutila aut integra familia per se sit praeferenda.

Paulo Constantinopolitano magnam auctoritatem ad textus constitutionem non puto adscribendam. Subscriptio quae invenitur in U M (in U post libros II, VII, X, in M post I, VIII, IX, X), in Cassellano et Colbertino, quae sine ulla notabili mutatione talis est:

PAULUS CONSTANTINOPOLITANUS
 EMENDAVI MANU MEA SOLUS ·
 MANNEI · LUCANI · LIBER · (VII·) EXP̄L·
 INCIPIT LIBER · (VIII·) FELICITER ·
 LEGENTE VITA · ET P̄FECTURA
 SCRIPTORI VITA ET FORTUNA ·
 LEGE FELICITER ·

hunc hominem aequiparat aliis, quos novimus veterum exemplarium emendatoribus Horati, Vergili, Terenti, Livi, Prudenti, in quibus nullus est clarus grammaticus. Paulus quoque obscurus homo est et nobis ignotus, nisi forte is est, qui subscripsit codici Miscellaneo Parisino anni 674 (Usener, Rhein. Mus. XXIII. 497). Ipsorum testimonio horum virorum opera in eo substitit, ut a socio adiuti, communi opera duo exemplaria inter se conferrent sic, ut alter recitaret, alter, si forte in suo exemplari aliquid omissum esset, adderet, et novam lectionem substitueret aut tanquam variam lectionem nota appicta (al. *l*) adscriberet. Paulus habuit duo exemplaria, sed caruit, ipso teste, socio: EMENDAVI MANU MEA SOLUS. Nihil est in illa opera, cur iustam recensionem textus factam esse existimes. Quae desunt, aberant sine dubio in codice utroque: nam cura illa patienter expendendi omnia, quae aliquid in quaestione de fide valere debent, a tali labore est aliena. Utique non scripsit P. sed emendavit scriptum librum. Ceterum fieri posset, ut propter librum ad comparationem adhibitum, Pauli „recensio” esset superior, quamquam illud Steinhartus mihi confecisse non videtur, cum magnum numerum locorum esse videam, ubi V praefendus est reliquis duobus (UM), nec tamen correctiones primi cuiusque librarii sunt. At in praesentiarum tantum demonstrasse sat habeo, aut sine iudicio reiecit Paulum, aut, quod probabilius, non plenam habuisse notitiam manu scriptorum; porro nihil esse, cur meliorem contextum continere censenda sit eius „recensio”, quod aliquot versus aut sine iudicio reiecit aut non cognovit.

ANNOTATIONES NONNULLAE AD VERGILII AENEIDIS LIBRUM I.

SCRIPSIT

H. C. MICHAELIS.

De Vergilii carmine heroico aliquid afferre, quod quidem eruditorum attentione sit dignum, admodum difficile est. Toties ab antiquis inde temporibus carmina eius, qui per multa saecula fuit amor et deliciae generis humani eruditioris, emendata et illustrata sunt doctissimorum et elegantissimorum ingeniorum operibus, tot etiamnunc editiones maiores minoresque identidem prodeunt, ut de Vergilii interpretibus possit dici, quod ipse poeta de apum labore ait: „*fervet opus*”. Mihi vero quum inde ab anno 1880—87 in Gymnasio Zutphaniensi honorificum munus impositum esset Aeneidem caris meis discipulis explicandi, sedulo id egi, ut omnia conquirerem et ex optimis editionibus exciperem, unde lucem ei carmini petere possem. Ita factum est, ut nonnumquam locos invenirem, ubi ab illustribus interpretibus dissentirem, saepius in rebus tenuioribus, nonnumquam in magis seriis. Inter ea sunt, quae fortasse eruditi lectoris attentione haud sint indigna. Sed magna mihi cautio erat habenda ne acta agerem, quod in tanta mole emendationum vel coniecturarum et explicationum facillime fieri poterat. Sed recentissimorum editorum diligentia mihi hoc onus perquam sublevavit. Hac igitur fretus animadversiones meas iam proferam.

vs. 35 *Vela dabant laeti et spumas salis acre ruebant.*

Mirum quantum editores in vocis ultimae *ruebant* explicatione

fluctuarint. Olim eam explicabant per *scindebant*, *findebant*, sed quis mihi largietur has notiones non inesse verbo *ruere*. Id senserunt recentissimi editores, ideoque *ruebant*, ut olim iam lexica, explicaverunt per *eruebant*. Sed spumae iam sunt in maris superficie, *eruntur* quae in fundo sunt, e. g. arenae. Aliam explicandi rationem, qua *ruebant spumas* accipitur pro *ruebant per spumas*, latinitas non admittit, nec peculiaris et proba dictio *ire viam* eam tuebitur umquam. At si analogiam eius verbi cum substantivo *ruina* spectamus, iam statim apparet *ruere* hic nihil aliud esse quam *diruere*, *sternere*. Carinae aëratae sternebant, proiciebant fluctus surgentes. Neque ulla, credo, dubitatio remanebit, quando hunc Terentii locum ex Adolph. III, 2 vs. 20 et 21 consideramus, ubi servus iratus ait „*Adulescenti ipsi eriperem oculos: post haec praecipitem darem. Caeteros ruerem, agerem, raperem, tunderem et prosternerem*”, ubi Donatus iam praeivit dicendo „*Ruere est toto corpore uti ad impellendum, quod faciunt qui ipsi praecipites alios prosternunt*”.

vs. 37. *Mene incepto desistere victam.*

Quaedam monere volo de verbo *desistere*. Broukhusius ad Tibulli 1, IX, 71 vim huius verbi fere aperuit, ad verba *desistas lacrymare puer* annotans „*desistere* non est plane idem quod *desinere*, habet enim quamdam mutatae mentis ac consilii significationem”; tum citat hunc ipsum Vergilii versum. Sequentes interpretes et lexicographi, quantum novi, in illa explicatione acquieverunt. Et sane vir magnus verissime haec observavit; sed, nisi me omnia fallunt, illa definitio angustior est.

Desistere, saepe saltem, est contrarium *pertinaciae*, et tum non solum consilii mentis mutationem, verum etiam *desperationem* designat. Id noster locus probat, qua re pulcre additum est adiectivum *victam*. Etiam hic Horatii locus 1 Sat. 9 vs. 57 *Non hodie si Exclusus fuero desistam, tempora quaeram, Occurram in triviis* hoc satis indicat. Pertinax ille numquam desistet, numquam victus desperabit se consecuturum quod optet. Herzogius ad Caesaris de Bello Gall. 1, 8 illa arctiore illius verbi definitione deceptus haec ait, ad verba: *Helvetii, . . . si per-rumpere possent conati operis munitione et militum concursu et telis repulsi, hoc conatu destiterunt*: „Man liest auch einfach: *Porsena*

primo conatu repulsus Liv. II, 11. Demnach konnte *destiterunt* auch wegfallen, wenn nicht Caesars ausführliche, ins Detail gehende Darstellung eben so psychologisch wahr als in diesem Falle historisch treu wäre. Uebrigens gilt von *desistere*, das häufig mit *desinere* in Codd. verwechselt ist, was die von Bronkh. zu Tib. 1, 9, 71 angef. Beisp. lehren. *Desistere non est plane (cet., ut supra)*". Herzogius ergo illa angustiore definitione inductus additamentum illud apud Caesarem *hoc conatu destiterunt* non necessarium iudicavit. Immo perquam necessarium est; nam probat Helvetios iam de hoc conatu desperasse, ut de priore eorum impetu dixerat Caesar: *Helvetii ea spe deieci*; quae verba opinionem nostram haud parum confirmant.

vs. 36. *Cum Inno aeternum servans sub pectore vulnus.*

Recentissimi editores in illa praepositione *sub* difficultatem viderunt. Unus ait *sub pectore* nicht *in pectore* sondern unten in, tief in". Sed *unten in* est tamen locus in pectore, non *sub* eo. Alter explicat „sub superficie pectoris, onder de oppervlakte van de borst, d. i. in het diepst van haar hart", sed quod sub superficie est, nondum in fundo est. Res simplicius mihi explicanda videtur. *Sub pectore* est stabilis dictio pro *in pectore*, id quod lexica non docere vidi, sed quod facile exemplis confirmatur. Lucan. II, 638 *Dat matri sub pectore vulnus*, Statii II, 321 *Talem sub pectore nubem Consilio volvens*; ipse Vergilius ait VII, 254 *Et veteris Fauni volvit sub pectore sortem*. Porro Propert. 1, 15, 3 *Quam tua sub nostro mulctur pectore cura*. Quamque constans illa sit dictio patet ex Verg. IV, 563, ubi plerique codices certam exhibent lectionem: *Ille dolos dirumque nefas in pectore versat*; sed nihilominus aliquot Pieriani codd. habent *sub pectore*. Huius autem dictionis ratio facile redditur. Similiter ac *sub Tartara mittere*, ut Aen. VIII, 563 *regem Ilirilum . . sub Tartara misi*, non significat *infra* Tartarum, sed *in* Tartarum, locum sub terra obscurum, clausum, qui omnia tegit, sic pulcre aiunt *sub pectore* pro *in pectore*, quia in illo quoque omnia sedulo teguntur et absconduntur. Quis ibi non cogitat Sallustiana illa de Iugurtha, B. Iug. Cap. XI: *Quod verbum in pectus Iugurthae altius, quam quisquam ratus erat, descendit*. Vido

Peerlkampii pulcram notam de voce *altus* ad Verg. I, 209:
Premitt altum corde dolorem.

vs. 49. *Aut supplex aris imponet honorem.*

Inclino ad recipiendam plurium codicum et editionis anni 1472 lectionem *honores*. Cur *honores* praeferam hanc affero causam, quod de ipsis sacrificiis agitur, quae aris imponuntur, non de sacrificandi actione. Neque illud obstat, quod de uno sacrificio sermo est; nam Tib. IV, V, 1 ait: *Natalis Iuno! sanctos cape thuris honores, Quos tibi dat tenera docta puella manu.* Sic solent casti poetae: Horat. I Od. V, 13 *Fundus cultus tibi feret honores.* Singulari numero utuntur de ipsa sacrificandi actione. Verg. I, 632 *Simul diuum templis indicit honorem*, et v. 763 et 764 *Iamque dies epulata novem gens omnis et aris Factus honos*. Neque aliter accipiendum puto I, 736 (Dido) *in mensam laticum libavit honorem*, ubi Heynius recte „h. e. vinum in deorum honorem ac cultum libatione effusum”. Nam *latices* seu vinum ibi sunt *honores*, *sacrificium*, ipsa libatio est *honor*. Neque aliter Livius VIII, 33 in fine, ubi distincte loquitur de sacrificiis et de *honore* et *donis*: *Eum (Q. Fabium) propter quem deum delubra pateant, arae sacrificiis fument, honore donis cumulentur*, ubi honor rursus non sacrificium designat, sed honorandi actionem donis offerendis. Bene ergo Weissenborn comma sustulit inter *honore* et *donis*, quo illa verba olim distinguebantur.

vs. 147. *Atque rotis summas perlabitur undas* (Neptunus).

Omnes, qui de verbo *perlabi* egerunt, Heynio duce in eo *celeritatis* notionem hic agnoverunt. Idque probaturus utitur ille Aeneid. Lib. VIII, 3 *Labitur uncta vadis abies*. At si ea, quae ibi praecedunt, consideramus, ergo iter inceptum *celerant rumore secundo*, in quibus iam *celeritatis* mentio facta est, verbo *perlabitur* potius cursum facilem, placidum, nulla re impeditum designari statuamus necesse est. Praepositio enim *per* nullam mutationem significationis affert; indicat tantum viam *per* summas undas. Nam Neptunus omnia pacaverat, nunc ipse tranquillus et moderato cursu abit. *Celeritatis* notio potest quidem huic verbo inesse, ut Aen. VI, 310 *Lapsa cadunt folia*, II, 693 *Stella de coelo lapsa*, sed etiam tardum motum indicare

potest, Cic. de leg. II, 15 *Mores lapsi ad mollitiem*, Ovid. Met. XIII, 954 *lapsi de fontibus omnes*. Iam Ruhnkenius ad Ovid. Herod. X, 65, secundum Broukhusium ad Propert. II, 208 annotavit „*labi* exquisite ponitur pro *navigare*” (nihil addidit de celeritate). Ex ipso vocabulo *labi* igitur nihil de celeritate aut tarditate statui potest. Iure ideo V. Flaccus substantivo *lapsus*, ubi opus erat, *celer* addidit I, 91 *Celerique per aethera lapsu Diversas petiere vias*, similiter Horatius I, Od. XII 10 *rapidos fluminum lapsus*; Columella contra aequè bene, ubi tarditas significanda erat, scripsit I, 5 *aqua pigro lapsu repit*.

vs. 195. *Vina bonus quae deinde cadis onerarat Aestes*.

Locus adverbii *deinde* in medio versu positi offendit iam scribas, quorum nonnulli in codicibus suis scripserunt *Deinde bonus quae vina cadis* sqq., et ad haec usque tempora offendit interpretes. Peerkampius dixerat iam „Ingratus verborum ordo. Longe praefero, quod est in paucioribus MSS: *Deinde bonus quae vina cadis*. Neque similis locus, ubi *deinde* sic traiectionem, ostendi potest”. Sed in ea re a magno illo et amabili viro dissentire coactus sum. Nam illam adverbii illius positionem non tam raram esse haec docent exempla. Horat. I. Sat. V, 37 *In Mamurrarum lassis deinde urbe manemus*, Propert. I, XIII, 18 *Et fere et cupere. Et quae deinde meus celat amice pudor*, Tibull. I, VII, 35 *Et simulat transire domum, mox deinde recurrit*, Terent. Andr. II, 3 *Post deinde Quod iussi ei dare bibere, et quantum imperavi Date*. Nepos contra Eumen. V, 85 *Deinde post verberibus cogebat exsultare*, ubi Bosius in nota utilissima ait: „ut *deinde* pleonastice iungitur cum *post*, sic similiter apud auctores veteres inveniuntur dictiones *simul una, prorsus omnino, repente subito, olim quondam*”. Ex quibus omnibus sequi videtur, ut sedes vocis *deinde*, aliarumque talium valde incerta et libera fuerit.

vs. 385.

Nec plura querentem

Passa Venus medio sic interfata dolore est.

Hi, qui de hoc loco egerunt, eum ita explicaverunt, quasi participium *querentem* idem esset quod infinitivus *queri*. Nec Venus (eum) plura *queri* passa est. Sed latinitas participium apud *patrios* pro infinitivo non admittit. Alii infinitivum omissum

ex participio *querentem* repetiverunt, nempe *queri*: Venus querentem non passa est plura *queri*; id paulo quidem melius, sed omni elegantia destitutum est. Sed sollempnis locutio, quam interpretes non agnoverunt, haec est: Nec Venus eum (seu *querentem*) plura passa, sic interfata est. In ea locutione verbum generale *dicere* intellegitur, non autem exprimitur; non vero speciale *queri*, aut aliud tale. Id probant hi loci: Val. Flacc. I, 274 *Nec passus rex plura*, Sil. Ital. XIII, 661 *Nec passi plura in medio sermone loquentis Sic adeo incipiunt*, quem locum debeo Peerlkampio, qui hunc locum e Vergilio tractans de hoc usu non quidem egit, sed eum optime agnovisse videtur.

vs. 403. *Ambrosiaeque comae divinum vertice odorem
Spiravere.*

Ita omnes recentes editiones hunc locum exhibent. Etsi octo codices suppeditant lectionem *divinum a vertice odorem*, addita praepositione *a*, quam Burmannus praeferebat propter praecedens *Dixit et advertens roseo cervice refulsit*. Wunderlichius defendit ita receptam lectionem, ut *comae* iungat cum *vertice* pro *in vertice*, quod mihi perquam languidum videtur. Mea quidem sententia complures causae requirunt praepositionem *a*. Primum multo verisimilius est illam unam literulam *a* excidisse, quam sine causa evidenti intrusam esse. Tum librarius potius requisivisset et intrusisset praepositionem *in*, non *a*. Dein versus sonat multo gratius cum praepositione *a* quam sine ea. Nam tum ultima litera *m* in *divinum* versus volubilitatem tardare et impedire mihi videtur, quod impedimentum addita praepositione, quae illam literam *m* absorbet, statim tollitur. Sed age iam ipsam consideremus sententiam. Motus in versu requiritur. Non satis est comas odore suavi imbutas esse, odor spargatur oportet, *a* vertice scilicet, ut Aeneas eum percipiat. Ideo illa lectio aucta praepositione multo efficacior, vivacior, poesi accommodatior est. Similiter Seneca, qui saepe dictionibus poeticis utitur, Nat. Quaest. V, 4 § 1 *Terra . . magnam vim aeris eiicit et ex abdito spirat* (non autem *abdito* sine praepositione). Catull. 66, 8 *Idem me ille Conon coelesti lumine vidit E Bereniceo vertice caesariem Fulgentem clare*. Qui locus egregie opinionem meam confirmat. Hoc loco autem *e* scriptum est, non ut apud Vergilium

a, quia fulgoris sedes remanet in vertice Bereniceo, comarum vero odor spargitur a vertice Veneris. Scribatur ergo non, ut in hodiernis editionibus, *vertice*, sed *a vertice*.

vs. 574. *Tros Tyriusque mihi nullo discrimine agetur.*

Omnes interpretes, qui de voce *agetur* locuti sunt, inde a Nonio Marcello usque ad recentissimos editores eam explicaverunt per *habebitur*. Sed haec significatio non inest verbo *agere*. Hoc sensit Guyetus, criticus ille acutus, ideoque pro *agetur* coniecit *habetor*, ubi Wagnerus annotat „sed *agetur* est eruditius; in pedestri oratione nullo discrimine habebitur, vel nullum eorum discrimen habebitur”. Sed omnes illos, ut lexicographos quoque, latuit vera significatio huius in hoc versu vocis, quae est *regetur*. Id patet ex Seneca de Provid. I, 1: *Si providentia mundus ageretur*, ad quem locum nostras ille praeclarus Nauta „*ageretur*, i. e. *regetur*”. Ita chorus Oed. 980 *Fatis agimur, cedite fatis*, Epist. LXXI, 1 *Non lotus hic rerum contextus, quamvis deo agente, ducatur*. Simili sensu graecum verbum usurpatur, ut in celebrata Euripidis sententia Troad. 888, ubi ad Iovem Hecuba:

πάντα γὰρ, δι' ἀψόφου

βαίνων κελεύθου, κατὰ δίκην τὰ θνήτ' ἄγεις,

et quae sequuntur. Ex his simul dignitas huius vocis in ore Didus, sic fere cum Dea comparatae, apparet.

vs. 738 (Dido).

*Tum Bitiae dedit increpitans, ille inpiger hausit
Spumantem pateram.*

Omnes, qui de hoc loco egerunt, aut diserte declararunt aut taciti agnoverunt vocem *increpitans* parum decere dignitatem reginae. Eam vero culpam elevare studuerunt statuendo *increpitare* hic significare saepius invitare. Sed *increpare* longe aliud quid est quam invitare, et *increpitare* fortius etiam sonat. Neque credibile tam castum poetam quam Vergilium in tam eleganti convivii descriptione verbum tam parum aptum, ut vulgo putant, adhibuisse. Sed res mihi aliter videtur expedienda, idque sine ulla contorta explicatione. *Increpare* semper designat consilium moram tollendi, si id duro modo fit, ut in Tibulli I, 1, 10 *Aut stimulo tardos increpuisse boves*, eius significatio dura

est. Sic quoque V. Flacc. 3, 230 *Saevit acerba fremens tardumque a moenibus agmen Increpat*. Sed lenius quoque fieri potest, ut in V. Flacc. 6, 281 *Ille morantes increpat*, et in primis apud Phaedr. III, 6 *Musca in temone sedit et mulam increpat, Quam tarda es, inquit: non vis citius progredi?* Talis significatio huic loco optime convenit. Regina offert poculum Bitae, ille verecundia impeditus moratur illud accipere, regina comiter *increpat* eius tarditatem: etiam nunc ille veretur poculum accipere: illa iterum id iterumque facit, *increpat* eum. Sic vincit eius verecundiam, ita quidem ut poculum tandem arripiat et avidè exsiccet. Si rem nobis ita repraesentamus, simul aviditas Bitae optime excusatur et explicatur, quae ceteroquin et eo viro et regina, cuius conviva erat, et carmine epico indigna esset, nunc vero modeste exhilarat convivium.

Velpisc, Mense Sept. 1889.

AD LUCRETII I. 851 sqq.

*Nam quid in oppressu valido durabit eorum
ut mortem effugiat leti sub dentibus ipsis?*

ignis an umor an aura? quid horum? sanguis an os?

De variis correctionibus huius vs. adeas LACHMANNUM. Cum LAMBINO *sanguen an ossa* ediderunt BERNAYS et MUNRO. Apparet autem ex superioribus (835 sqq.) in hoc vs. enumerari debuisse *ossa, viscus, sanguen, aurum, terram, ignem, umorem*. Desunt igitur tria, quamquam Lucretius talia accurate et plene repetere solet, et abundat *aura*. LACHMANNUS intulit *aurum*, sic: *sanguen os aurum*. Possis etiam ingerere *terram* et expellere *auram* ita corrigens: *ignis an umor an aurum? terram an sanguen an ossa*. Sed desideratur etiam *viscus*.

Tu vero expelle mecum mancum versiculum et interpretamentum prorsus supervacaneum ad *eorum*, additum a magistro cuius imperitia arguitur forma *sanguis* a Lucretio aliena. Prodiit ex eadem officina ex qua II 229, de quo vide LACHMANNUM.

BOCKMÜLLER cum GOEBELIO perperam coniecisse *sanguinis an ros*, satis apparet.

H. T. K.

ANNOTATIONES AD ILIADEM.

SCRIPSIT

H. VAN HERWERDEN.



Iis quæ nuper ad novissimam Homeri editionem Lugdunensem, qua nova incrementa cepit summi poetæ crisis, tam in Mnemosyne Batava quam in Museo Rhenano annotavi, addam observationes nonnullas, quas ex iterata saepius lectione mihi subnatas non prorsus inutiles fore spero.

Dicitur Δ 116 de Pandaro

αὐτὰρ δ' οὐλα πῶμα Φαρέτρης, ἐκ δ' ἔλετ' ἰὼν
ἀβλήτα πτερύεντα, μελαινέων ἔρμη' ὀδυνάων.

Quid in his versibus sibi velit ἔρμη nemo aut bene explicuit aut explicare poterit. Cum autem manifeste loci sententia flagitet quod *causam* sive *originem* significet, videndum an huius versiculi auctor dederit σπέρμη' ὀδυνάων, ut Demosthenes pro Cor. § 159 eadem metaphora usus dixit δὲ τὸ σπέρμα παρασχὼν αὐτός ἦν. Translate iam vocabulo usus est poeta in Odyssea ε 488 sqq.:

ὡς δ' ὅτε τις θαλὸν σποδίῳ ἐνέκρυψε μελίῳ —

σπέρμα πυρὸς σώζων (σαδών?), ἵνα μὴ πθεῖν ἄλλοθεν αὔοι.

Ceterum de versiculi authentia propter recentiore formam μελαινέων fortasse iure dubitant editores Lugdunenses. In promptu quidem foret corrigere κελαινωῶν, nisi hoc adiectivum semper proprio tantum sensu a poeta adhiberetur, ut taceam occurrere tantum formas κελαινόν (neutrum) et κελαινή (-ῆ). Cf. etiam O 394.

E 395 τλῆ δ' Ἀιδῆς ἐν τοῖσι πελώριος ὤκων διστόν.

Iure editores haeserunt in usu praepositionis; non enim *inter* eos, quos inde a v. 385 recensuit poeta, sed *praeter* hos vim passus est Pluto. Corrigendum igitur existimo ἐπὶ τοῖσι. Vide exempla apud Ebelingium lex. Hom. s. v. ἐπὶ p. 446 A, d.

Z 9 τὸν δ' ἔβαλε πρῶτος κέρυθος Φαλὸν ἱπποδαμείης.

Absurdum est πρῶτος. Nemo enim post Aiace[m] idem fecit aut facere potuit, quoniam Acamas hoc vulnere statim occubuit. Corrigendum πρῶτον — Φαλόν, scil. a parte anteriore, ut dicitur ἐν πρώτῳ ῥυμῶ Z 40. Π 371, πρώτῃσι θύρῃσι s. πύλῃσι, alia multa. Nam hoc postulant ipsa sequentia ἐν δὲ μετώπῳ πῆξε. Alia conii pars indicatur N 614 κέρυθος Φάλλον ἤλασεν — ἄκρον ὑπὸ λόφον αὐτόν. Causa erroris fuit v. 5 Λῆας δὲ πρώτοσ — Τρώων ῥῆξε Φάλαγγα.

Z 355 εἶνεκ' ἐμεῖο κυνὸς καὶ Ἀλεξάνδροι ἔνεκ' ἀρχῆς.

In versu sic scripto iusto obscurius adhibita videtur vox ἀρχή, quam causam fuisse suspicor cur multi olim scriberent ἄτης, quam tamen lectionem, non Homericam pro ἀάτης, hodie merito spernunt plerique. Sed aut fallor aut hic revocanda est lectio loci Γ 100

εἶνεκ' ἐμῆς Ἰριδος καὶ Ἀλεξάνδροι ἔνεκ' ἀρχῆς.

Sic enim demum quid sibi velit ἀρχῆς facillime intellegitur. Quod vero hodie legitur, vitium traxisse videtur e v. 344

ἄερ ἐμεῖο κυνὸς κακομηχάνου κρούσεως.

Satis erat, opinor, si semel in eadem oratione semet ipsam canem vocaret Helena.

Z 395 Ἀνδρομάχη, θυγάτηρ μεγαλήτορος Ἡετίωνος,

Ἡετίων ὃς ἔβαιεν ὑπὸ Πλάκῳ ὕλησση κτλ.

Duplici de causa semper suspectam habui hanc lectionem, nam inaudita est apud Homerum talis attractio pro Ἡετίωνος, ὃς κτέ., ut recte scribitur v. c. Φ 85 sq.

Λαοβόη, θυγάτηρ Ἄλταο γέροντος,

Ἄλτα', ὃς Λελέγεσσι Φιλοπτολέμοισι τανάσσει,

praeterea vero de homine dudum interfecto (cf. 414) offensionem est nudum imperfectum, non addito πρίν, ποτέ, aut simili notione. Aperte dictum foret

Ἄνδρομάχη, θυγάτηρ μεγαλήτορος Ἡετίωνος,
ζῶδς ἰὼν δεῖναίεν ὑπὸ Πλάκῳ ὑλήεσση.

Cf. B 699. P 153. 271. 478. 672. X 436, al. *Dum vitā manebat.*

Z 500 αἶψα δ' ἔπειθ' ἴκανε δόμους εὐ ναιετάοντας
Ἔκτορος ἀνδροφόνου', ἐκίχησατο δ' ἔνδοθι πολλὰς
ἀμφιπόλους, τῆσιν δὲ γόον πάσῃσιν ἐνώρσε.
αἱ μὲν ἔτι ζῶν γόον Ἔκτορα γῶ ἐνὶ τοίκῳ.

Depravatum esse verbum γόον primus agnovit Nauck, qui στένον coniecit. Vera tamen verbi forma restitui potest, si deleto ut glossemate Ἔκτορα rescribimus:

αἱ μὲν ἔτι ζῶν γόαον <τὸν> γῶ ἐνὶ τοίκῳ
vel γοάεσκον γῶ ἐνὶ τοίκῳ.

H 226 Ἔκτορ, νῦν μὲν δὴ σάφα γείσσαι οἰόθεν οἶος,
οἷοι καὶ Δαναοῖσιν ἀριστῆες μετέασι.

Vide quaeso quanto melius poeta formula οἰόθεν οἶος supra usus sit v. 39 sq.:

ἦν τινὰ που Δαναῶν προκαλέσεται οἰόθεν οἶος
ἀντίβιον μαχέσασθαι ἐν αἰνῇ δημοτῆτι.

Perdura enim est v. 226 et vix credibilis omissio necessariae notionis μαχόμενος. Quare vide ne verba οἰόθεν οἶος antiquitus pro genuina clausula ex illo loco suppleta sint.

H 99 ἀλλ' ὅμεις μὲν πάντες ὕδωρ καὶ γαῖα γένοισθε,
ἡμενοὶ αὐθι ῥέκαστοὶ ἀκήριοι, ἀκλεῖς αὐτως.

Constans Homeri consuetudo postulare videtur ῥέκαστοσ.

I 232

ἰγγύς γάρ νηῶν καὶ τείχεος αὐλιν ἴθεντο
Τρῶες ὑπέρθυμοι τηλεκλείτοί τ' ἑπίκουροι,
κηάμενοι πυρὰ πολλὰ κατὰ στρατόν, οὐδ' ἴτι Φασὶ
σχήσεσθ', ἀλλ' ἐν νηυσὶ μελαίνῃσιν πεσέεσθαι.

Lugdunenses ex usu Homericō (M 106 sq. 125 sq. O 63. P 629. A 824. B 175) ultima verba sic verti iubent: *pullant* Argivos non amplius constituros sed in castra se coniecturos, ideoque existimant, si vss. 234 sq. genuini sint, olim lectum fuisse κηάμενοι πυρὰ πολλὰ, Ἄχαιοὺς δ' οὐκέτι Φασὶ | σχήσεσθ' κτέ. At fugit

virorum doctissimorum diligentiam locus N 742 sqq., ubi Hectori dicit Polydamas

ἐνθεν δ' ἂν μάλα πᾶσαν ἐπιφρασσάμεθα βουλὴν,
ἢ κεν ἐνὶ νῆεσσι πολυκλήισι πέσωμεν,
αἴ κ' ἐθέλωσι θεὸς δόμεναι κράτος, ἢ κεν ἔπειτα
παρ νηῶν ἔλθωμεν ἀπήμονες κτε.

neque omnino ulla causa est cur Homero denegemus eum verbi ἐμπίπτειν usum, quo *aggredi* s. *invadere* significet, ut apparet e locis Π 81. Λ 325. Ο 624.

I 401

οὐ γὰρ ἐμοὶ ψυχῆς ἀντάξιον οὐδ' ὄσα Φασὶ
Φίλιον ἐκτῆσθαι, εἰδὲ ναϊόμενον πολλέθρον
τὸ πρὶν ἐπ' εἰρήνης, πρὶν ἔλθῆμεν υἱᾶς Ἀχαιῶν.

Cur Lugdunenses ultimum versum abesse malint non intellego. Quod enim idem versus recurrit X 156, id in carminibus saltem Homericis omni suspicione vacat, et aptissime hic verba addita esse sentiet quicumque meminerit loci Σ 288 sqq.:

πρὶν μὲν γὰρ Πριάμοιο πόλιν μέροπες ἄνθρωποι
πάντες μυθέσκοντο πολύχρυσον πολύχαλκον·
νῦν δὲ δὴ ἑξαπόλωλε δόμων κειμήλια καλὰ,
πολλὰ δὲ δὴ Φρυγίην καὶ Μυονίην ἐρατεινὴν
κτῆματα περνάμεν' ἴκει, ἐπεὶ μέγας ὠδύσατο Ζεὺς.

Non mediocriter augetur, ut arbitrator, adiecto v. 403 loci hypbole.

K 150 βὰν δ' ἐπὶ Τυδεΐδην Διομήδεα· τὸν δ' ἐκίχανον
ἐκτὸς ἀπὸ κλισίης σὺν τεύχεσιν.

Cum praesertim sententia aperte non haec sit: *offendebant eum foris, procul a tentorio*, sed poeta simpliciter voluerit ἐκτὸς κλισίης, admodum mihi suspecta est praepositio ἀπό, quam minime tuentur notae formulae *τεκὰς* s. *τῆλ'* sive *πολλὸν ἀπό*, *τυτθὸν* s. *οὐ πολὺ ἀπό*, *νόσφιν ἀπ'*, *οἶον ἀπ'*, et libenter scripserim: *ἐκτοσθε κλισίης κτε.*

ut est v. c. I 552 *τείχεος ἐκτοσθεν μίμνειν.*

K 159 ὄρσειο, Τυδέος υἱέ· τί πάννουχον ὕπνον ἄωτεις.

Ita scribens Doloneae poeta recessit a constanti usu adiectivi

πάννουχος s. παννύχιος (cf. πανημέριος) apud Homerum, qui semper id adhibuit de personis, nusquam de rebus. Non enim auctor sum ut scribatur πάννουχος, quia vix recte ὕπνον careret epitheto.

Λ 566 Αἴας δ' ἄλλοτε μὲν μνησάσκετο θούριδος ἀλκῆς
 αὐτίς ὑποστρεφθεὶς καὶ ἐρητύσασκε Φάλαγγας
 Τρώων ἱπποδάμων, ὅτε δὲ τροπαίεσκετο Φεύγειν
 [πάντα δὲ προέτεργε θοᾶς ἐπὶ νῆας ὀδεύειν]

Versum otiosum post ὅτε — Φεύγειν spurium esse confirmant verba non HomERICA προέτεργε et ὀδεύειν. Rem iam Benickenium non latuisse nunc animadverto, sed scripta non deleo, quod fugisse videtur Lugdunenses optima observatio. Hos sequor in corrigenda vitiosa forma τρωπάεσκετο, nisi quod minus probabiliter me iudice more suo addiderunt augmentum. Quippe constans est apud veteres traditio formas iterativas caruisse augmento tam syllabico quam temporali.

Λ 791

ἀλλ' ἔτι καὶ νῦν

ταῦτ' εἶποις Ἀχιλῆϊ δαΐφρονι, αἶ κε πίθηται.

Optime nostrates repudiarunt Bentleyi et Heynii coniecturas *τείποις ταῦτ'* et *τὰ τείποις*, gravius vitium subesse iudicantes. Mihi, cum contextus ratio flagitet *consulendi* verbum, vix dubium videtur quin poeta dederit:

ἀλλ' ἔτι καὶ νῦν

παρείποις Ἀχιλῆῃ δαΐφρονι, αἶ κε πίθηται.

Depravato semel *παρείποις* in *ταῦτ' εἶποις*, necessario accusativos in dativos refictos esse, numquid opus affirmare?

Λ 800 et Π 42 sq.

ἀναπνεύσῃσι δ' ἀρήιοι υἱες Ἀχαιῶν

τειρόμενοι· ὀλίγη δὲ τ' ἀνάπνευσις πολέμοιο.

Iusto obscuriora sunt verba *ὀλίγη* — *πολέμοιο*. Conicere ausim:

ἀναπνεύσῃσι δ' ἀρήιοι υἱες Ἀχαιῶν

τειρόμενοι ὀλίγην γε ἀνάπνευσιν πολέμοιο.

M 13

αὐτὰρ ἐπεὶ κατὰ μὲν Τρώων θάνατον ὄσσοι ἄριστοι,

πολλοὶ δ' Ἀργείων οἳ μὲν δάμεν, οἳ δ' ἐλίποντο,

πέρθετο δὲ Πριάμοιο πόλις δεκάτῳ ἐνιαυτῷ,
 Ἄργεῖοι δ' ἐν νηυσὶ Φίλιην ἐς πατρίδ' ἔβησαν,
 δὴ τότε ἔμητιάζοντο κτῆ.

Permire post *ἐπεὶ*, usurpatum de re absoluta, et vitiose, ni fallor, sequitur imperfectum *πέρθετο* medium inter legitimos aoristos. Num forte corrigendum *πράθη*, producta vi arsius priore syllaba, ut *λύτο* Ω 1 et alia quaedam? Simili de causa non probaverim cum Lugdunensibus Spitzneri coniecturam ad M 56:

ὑπερθεν δὲ σκολόπεσσι

δῆξιεν ἡρήρει (fossa), τὸς ἔστασαν υἷες Ἀχαιοῶν
 scribentis ἴστασαν, quod imperfectum minime defenditur locis
 B 525. Σ 346. θ 435, quos contulerunt. Nam requiritur aoristi
 (plusq̄pti) notio *quos rosuerant*, ut recte est infra v. 259

στήλας τε προβλήτας ἐμόχλεον, ἅς ἄρ' Ἀχαιοὶ
 πρώτας ἐν γαίῃ θέσαν ἔμμεναι ἐχματα πύργων,

ubi quis quaeso ferret *ἐτίθεσαν*?

M 52

οὐδέ τοι ἵπποι

τόλμαον ὠκύποδες, μάλα δ' ἐχρημέτιζον ἐπ' ἄκρω
 χεῖλε' ἐφισταότες· ἀπὸ γὰρ δεδίσσετο τάφρος
 εὐρεῖ, οὐτ' ἄρ' ὑπερβορέμεν σχεδὸν οὔτε περήσαι
 ῥηιδίῃ· κρημνοὶ γὰρ κτῆ.

Aliis *σχεδόν* est *in promptu erat*, aliis *qua cuique proximum erat*, aliis cum schol. B *εἴπερ ἦν σχεδόν*, sc. *ripa ulterior*. Omnes, ut arbitror, aequo, hoc est nullo omnino iure. Adverbium nescio cui corruptelae debet originem. Apte et *δημηρικῶς* dictum foret *ὑπερβορέμεν ποσίν*, sed locum emendare non queo.

M 299

βῆ δ' Ἴμεν ὧς τε λέων δρεσίτροφος, ὃς τ' ἐπιδευῆς
 δηρὸν ἐκ κρεάων, κίλεται δὲ τε θυμὸς ἀγήνωρ
 μῆλων πειρήσοντα καὶ ἐς πυκινὸν δόμον ἐλθεῖν·
 εἰ περ γὰρ χ' εὐρησι παρ' αὐτόθι βώτορας ἄνδρας
 σὺν κυσὶ καὶ δούρεσσι φυλάσσοντας περὶ μῆλα,
 οὐ βὰ τ' ἀπείρητος μέμονε σταθμοῖο δίσθαι,
 ἀλλ' ὃ γ' ἄρ' ἦ ἤρπαξε μετάλμενος ἠὲ καὶ αὐτὸς
 ἔβλητ' ἐν πρώτοισι βοῆς ἀπὸ χειρὸς ἄκοντι.

Doceri pervelim quo pacto leo, qui solus gregem adortus est, dici potuerit vulnerari ἐν πρώτοισι, quae formula recte usurpatur Λ 675, ubi idem versus recurrit. Cf. I 12, al. Num forte fuit ἱβλητ' ἐν προβάτοισι κτέ. Vox occurrit Ξ 124. Ψ 550. h. Merc. 571.

N 324 ὡς δ' ὅθ' ὑπὸ λιγέων ἀνέμων σπέρχωσιν ἄελλαι
ἡματι τῷ ὅτε τε κλείστη κόνις ἀμφὶ κελεύθους,
οἷ τ' ἄμυδις κόνις μεγάλην ἰστᾶσιν θμίχλην,
ὡς ἄρα τῶν ὁμόσ' ἦλθε μάχη.

Si locus recte sic scribitur, ἄελλα est *nubes pulveris* = κόνισαλος, ut Π 374, quia tamen N 795 legimus ἀργαλίων ἀνέμων αἴλλα (hymn. XXXIII 14) et ε 292 πάσας — αἴλλας | παντοίων ἀνέμων, quibus comparanda ἀνέμοιο θύελλα Z 346 (cf. K 54) et M 253 ἀνέμοιο θύελλαν | ἧ κόνιην Φέρεν, dubitari potest an non melius legamus:

ὡς δ' ὅτε που λιγέων ἀνέμων σπέρχωσιν ἄελλαι.

Cf. Λ 292 ὡς δ' ὅτε πού τις θηρητῆρ κύνας ἀργιδοντας σεύη κτέ.

Ξ 80 οὐ γὰρ τις νέμεις φυγέμεν κακὸν οὐδ' ἀνὰ νύκτα.
Maximus Tyrius XLI, 3 scribens οὐδ' ἀπάλύξαι popularibus meis consulto mutasse videtur verba HomERICA. Quod si fecit, haud sane infelici coniectura ex ANANTKTA fecit ΑΠΛΑΤΞΑΙ, nisi quod pro composito alibi non lecto rectius rescripseris ὑπαλύξαι, cuius frequens est apud Homerum usus. Quid enim faciat ad rem, nocturne aliquis fugiat calamitatem an interdiu, prorsus me latet, nisi quod qui hostem fugiens tenebras luci praefert cautius quidem et tutius agere, sed non maiore ignaviae culpa premi mihi videtur, nec video quam vim habeat scholiastae explicatio καὶ τὸ οὐδ' ἀνὰ νύκτα εἰς ἐπίτασιν, καίτοι γε ἀγεννὲς ἦν τὸ νυκτὸς ὡσπερ δραπετεῦσαι τὴν μάχην. Verba ἀλύξαι et ὑπαλύξαι alibi quoque cum fugiendi verbis copulantur. Cf. Θ 243. μ 216. M 317. Ξ 512. Etiam hoc premit volgratam lectionem, quod alibi constanter Homerus dicit ΔΙΑ νύκτα.

Ξ 209 εἰ κείνω γε τέπεσσι παραιπεπιθοῦσα Φίλον κῆρ
εἰς εὐνήν ἀνέσαιμι ὁμωθῆναι Φιλότῃτι.

N 657 *ἐς Δίφρον δ' ἀνέσαντες ἄγον προτὶ Φίλιον Ἰρήν.*

Utrobique (neque alibi verbum apud Homerum occurrit) poeta ei tribuit *imponendi* notionem quamquam propter verbi simplicis vim expectes significare *ἀνακχθίσαι*. Iniuria igitur Apollonius Rhodius altero loco, ubi de mortuo sermo est, *ἐν τῷ πρὸς Ζηνόδοτον*, teste scholiasta Veneto, scribebat *ἀναθέντες*.

Ξ 261 *ἤξετο γὰρ μὴ Νυκτὶ θεῶν ἀποθύμια τέρδοι.*

Damnarunt hunc versum cives mei propter insolitam verbi *ἤξεσθαι*, quod infinitivum requirit, structuram. Causa non minus gravis cur eum expungamus mihi haec esse videtur, quod nihil erat cur deorum pater Noctem revereretur. Somno, ut arbitror, Iupiter parcit, quod tenebrae eum ipsius irae eripuerant. Poeticam *ἀφέλειαν* minuit perversa explicatio.

Ξ 354 sqq. Prima facie permirum est et ab epici carminis amplitudine alienum, Somnum iniussu Iunonis sua sponte Deae dolum narrare Neptuno. Neglexerat enim Iuno hoc ei mandare post v. 237, deinde vero v. 265 sq. ita loquitur, quasi suum consilium ei explicuerit. Res non latuit veteres interpretes. Scribit enim scholiasta *διὰ τὴν ἐπαγγελίαν τῆς ἐρωμένης καὶ ἃ μὴ κελεύεται ὁ Ἕπνος ποιεῖ· οὐ γὰρ ἔστι τῶν συμμαχούντων, ὡς οὐδὲ Ἥλιος οὐδὲ Δημήτηρ*, et deinde: *πόθεν μαθὼν ταῦτα ἐπαγγέλλει; ἢ συνῆκεν ἐκ τοῦ εἰρημένου ὑπὸ τῆς Ἥρας ἢ Φῆς ὡς Τρώεσσι ἀρξέμεν' εὐρύποπα Ζῆν κτέ.* (265 sqq.). Aut fallor aut cur poeta ita rem administraverit apparet ex O 36 sqq., nempe ut deorum regina cum aliqua certe veri specie horrendo interposito iure iurando Iovi affirmare posset Neptunum prorsus sua sponte vim afferre Troianis. Quae dixerat Somno, sapienti satis erant ministro.

O 178 *εἰ δέ τοι οὐ γέεσσι' ἐπιπέσειαι, ἀλλ' ἀλογήσεις,
ἠπέλει καὶ κείνος ἐναντίβιον πολεμίζων
ἐνθάδ' ἐλεύσεσθαι.*

Neque HomERICA forma est *ἠπέλει* pro *ἠπέλεε*, et *καὶ* abundare videtur. Parum tamen numerose scriberes *ἠπέλησεν*. Fuit fortasse: *<αὐτὸς> ἀπέλεε κείνος κτέ.*

Π 78. Schol. V ad h. v. *περιάγνυται* interpretatur *παρμπορεύεται*, sed haud dubie scripsit *περιπορεύεται*, ut recte in Apollonii lexico s. v. legitur: *οἶον περιέρχεται*.

Π 104 *δρεινὴν δὲ περὶ κροτάφοισι φαεινὴ
πήληξ βαλλομένη καναχὴν ἔχε.*

Annotant Lugdunenses „suspectum est *adiectivum* in versus fine collocatum, cum sequentem versum aperiat substantivum, cui sociatum est.” Quod concedam, si substitueris *adiectivum ornans* sive *descriptivum*, de aliis enim idem non valet. Vide v. c. P 309 *διὰ δ' ἄμπερὲς ἄκρα | αἰχμὴ χαλκείη τὰρὰ νείατον ὤμον ἀνέσχε* et M 51 *μάλα δὲ χρομήτιζον, ἐπ' ἄκρω | χεῖλε' ἰφισταότες*, unde intellegitur quo pacto interpretanda sint verba (P 264) *ἄμφι δὲ τ' ἄκρα | ἠιδόνες βοάουσιν ἑρευγομένης ἄλδς ἔξω*.

Π 394 *Πάτροκλος δ' ἐπεὶ οὖν πρῶτας Ἐπέκερσε Φάλαγγας,
ἄψ' ἐπὶ νῆας ἔεργε παλιμπετις κτέ.*

Quia *ἐπέκερσε*, quod compositum nusquam alibi recurrit, manifeste significare debet *intercidit* (*ἀπέτεμε* paraphr.), nescio fere an poeta dederit *Ἀπέκερσε*, quod verbum proprio sensu adhibitum legitur N 546. Ξ 548. Ψ 141.

Π 504 *δὲ δὲ λάξ ἐν στήθεσι βαίνων
ἐκ χροῶς εἶλκε δόρυ, προτὶ δὲ Φρένες αὐτῶ ἔποντο.*

Miror populares meos, qui usu satis frequenti non deterriti pronominis *αὐτός* casus obliquos pro *τοῦ, τοί, τέ* poetam usurpare vetent, hoc loco non proposuisse, quod sane aptissimum videtur

προτὶ δὲ Φρένες αὐτὶχ' ἔποντο.

Π 668 *εἰ δ' ἄγε νῦν, φίλε Φοῖβε, κελαινεφὲς αἶμα κᾶθηρον
ἔλθῶν ἐκ βελέων Σαρπηδόνα, κτέ.*

Bentleyi coniectura *Ἰλκων* non tantum propter huius verbi usum, de quo bene monent Lugdunenses, sed etiam ob participii tempus vitiosa est. Me si audis, sedes vitii non *ἔλθῶν* est sed *ἐκ βελέων*, quod invectum videtur e v. 678. Conicio:

ἔλθῶν <ἀντίθεον> Σαρπηδόνα.

Π 857 τὸν πότμον γούουσα, λιποῦσ' ἀνδροτῆτα καὶ ἤβην.
 Ἐνδροτῆτα magis analogiae quam metri legibus adversari facile assentior civibus meis, sed quod ipsi cum aliis suadent ἀδροτῆτα mihi vix minus suspectum est propterea quod neque ἀδρός neque ἀδρότης neque ἀδρσύνη (quo Hesiodus usus est) apud Homerum invenitur. Bekkeri inventum ἀρετῆτα monstrum vocabuli est, nec ἀρετήν τε καὶ ἤβην, de quo facile quis cogitet, probabile est propter Ω 6

Πατρόκλου ποθέων ἀνδροτῆτά τε καὶ μένος ἠύ.

P 385 καμάτω δὲ καὶ ἰδρὶ νωλεμὲς αἰεὶ
 γούνατά τε κνήμαί τε πόδες θ' ὑπένερθε γεκάστω
 χεῖρές τ' ὀφθαλμοὶ τε παλάσσετο μαρναμένοιν.

Planissime assentior editoribus nihil nos proficere Bentleyi coniectura πάλαχθεν, cum praesertim ipsum conspergendi verbum vix sit tolerabile in hac sententia. Requiritur enim verbum, quale est βεβρύνεσθαι, sed praeterea non fero oculorum mentionem, quippe quorum neque lassitudo neque sudor hic recte intellegi posse videatur. Locus est insanabilis; quis enim conicere audeat, quod fere sententiae conveniret: χεῖρές τε στήθος τ' ἐβεβρύνετο μαρναμένοιν?

P 420 ὧς δὲ τις αὖ Τρώων μεγαθύμων αὐδήσασκε.
 Pauci codd. ὧδε pro ὧς δέ, unde Duentzer effecit ὧδέ τις, quia Homerus ὧς ad praegressa referre solet. Dispicet tamen asyndeton, et potius deleta vocula αὖ, quae a similibus locis abesse solet, correxerim:

ὧδε δὲ τις Τρώων κτέ.

ut in noto versu:

ὧδε δὲ τις τείπεσκε τιδῶν ἐς πλησίον ἄλλον.

Similiter Ω 337 legerim:

ὧδ' (pro ὧς) ἄγαγ', ὧς μὴ τίς τε τίδῃ κτέ.

P 453 ἔτι γὰρ σφίσι κῦδος δρέξω
 κτεινόμεν', εἰς δ' κε νῆας ἐυσσέλμους ἀφίκωνται
 δῦμ τ' ἠέλιος καὶ ἐπὶ κνέφας ἱερὸν ἔλθῃ.

Perdure σφίσι refertur ad Troianos, non nominatos in praegressis, sed intellegendos, ut putant, ex Hectoris mentione in v. 449,

neque offensione caret *κτείνειν* sine obiecto, nullo praegresso substantivo, quo referri possit. Hinc mihi nata est suspicio vs. 454 sq. hic interpolatos esse ex Λ 193 sq., ubi aptissimi sunt, nec *κτείνειν* nude positum offensioni est, quia praecedunt verba *μάρνασθαι δηίοισι*. Quibus versibus deletis, pronomem *σφίσι* referendum ad equos illos divinos modo commemoratos. His enim re vera Iupiter *κῦδος δρέγει* infra v. 456—542.

Ρ 564 *μάλα γάρ με θανὸν ἱσεμάσσατο θυμόν.*

Mihi quidem magis arridet altera lectio *ἱΠεμάσσατο*, i. e. *ἰΦήψατο*. Cur criticis Leidensibus vocabulum obscurum videatur et suspectum, me quidem latet.

Σ 499 *ὁ μὲν εὖχετο πάντ' ἀποδοῦναι,
δήμῳ πεφύσκων, ὃ δ' ἀνείνετο μὴ δὲν εἰλίσθαι.*

Novitium esse *μηδέν* pro *μή τι* recte observant editores. In promptu est conicere *μή μιν εἰλίσθαι*, scil. *τὴν ποινήν* memoratam v. 498.

Σ 505 *σκήπτρα δὲ κηρύκων ἐν χεῖρσ' ἔχον ἡεροφώνων.*

Lugdunenses „*ηεροφώνων* mirum vocabulum, vix sanum. *ηεροφώνων* (i. e. *μεγαλοφώνων*) Phot. lex.” Eodem pertinet prior explicatio apud Hesychium *ἡ(ε)ροφώνων· μεγαλοφώνων. πληρούτων Φωνῆς τὴν ἀέρα*. Satis certum si esset, ut editoribus esse videtur, *ἱερὸν ἰχθύν* Π 407 esse *magnum* pisces, sanequam ea lectio longe foret praefenda. Doederlini interpretatio lectionis vulgatae *vocem tollentium* omnino repudianda, si quidem neque *ἀείρειν Φωνήν* Graeca locutio est neque inde formari potuit *ἡερόφωνος*, sed debuit *ἡερίφωνος*, ut *ἡερίπους*. Etymologia admitteret *ἡΟρόφωνος*, ab *ἡρος* voce primitiva, unde composita exstant *μετήρος* et *παρήρος*, ut esset *allisonus*, sed in re incertissima nihil affirmo.

Σ 520 *οἱ δ' ὅτε δὴ β' ἴκανον ὄθι σφίσι γεῖκε λοχῆσαι.*

Comparandus Atticorum usus verbi compositi *παρείκειν* in formis *ῆ, ὄπη, καθόσον παρείκει, παρείκοι*.

Σ 530 οἱ δ' ὡς οὖν ἐπύθοντο πολλὸν κίλαδον παρὰ βουσίῃ
εἰράων προπάροιθε καθήμενοι, αὐτίκ' ἐφ' ἵππων
βάντες ἀερσιπόδων μετεκίλαθον.

Recte sane haec intelleguntur de oppidanorum copiis, sed magna tamen laborat locus obscuritate. V. 513 de his dictum est *λόχῳ ὑπεθωρήσσοντο*, sed non satis apparet, utrum omnes in insidiis se collocaverint, an pars tantum eorum, quod et fieri assolebat et per se videtur probabilius, quia vix fieri poterat ut totus exercitus id faciens hostes lateret. Iam vero universi loci contextus fere postulare videtur, ut quae adscripsi verba de insidiantibus accipiantur, qui simulac hostes boves cum pastoribus dolose adactos abigere et trucidare animadverterint, ex insidiis prorumpentes illos oppriment. Quo tamen pacto hi oppidani, quos poeta v. 521 dixit consedissee in fluvio, v. 531 dici poterint *εἰράων* (i. e. ἀγορῶν) *προπάροιθε καθήμενοι*, perdifficile est ad intellegendum. Facilius id intellegi posset de maiore civium parte, quam supra dixi probabile videri in castris ad urbem (cf. 509) remansisse, deque iisdem aptius dicta forent, ni fallor, verba *ἐφ' ἵππων βάντες*, quia insidiantibus currus equosque abscondere difficile fuerit. Hos crederes semel exorta pugna citato cursu proeliantibus suis, qui necopinato e fluvio hostem adorti fuerint, suppetias tulisse. Talem vero interpretationem locus, qualem hodie legimus, vix admittit; quapropter, nisi quis mihi has tenebras dispulerit, male mulcatum eum ad nos pervenisse crediderim. Num forte statuenda est lacuna post v. 530?

Τ 229 dicitur de Erichthonii equis:

ἀλλ' ὅτε δὴ σκιρτῶεν ἐπ' εὐρέα νῶτα θαλάσσης,
ἄκρον ἐπὶ βῆγμῖνα ἀλδς πολιοῖο θέεσκον.

Locus notabilis propter *βῆγμῖνα*, quod vocabulum constanter alibi apud Homerum (etiam μ 214) significat *fluctus littori illisos, aestum*, hic vero simpliciter *undas, κύματα*. Quae observatio nescio an confirmet suspicionem meam, totum locum de his equis 221—229 quamvis pulcherrimum a seriore poeta invectum esse. Nempe cadit in oculos, his versibus omissis, Aeneae orationem aptissimam servare singularem partium congruentiam, quae novem illis versibus plane destruat. Ita enim quam

paucissimis fieri poterat, i. e. tribus, versibus Dardanius dicitur Dardaniam condidisse cum Ilium nondum exstaret, deinde uno versu Erichthonius omnium mortalium fuisse ditissimus (non equis tantum, ut arbitror, sed etiam reliquis opibus), et mox tribus denuo versibus Ganymedes fuisse hominum pulcherrimus, ideoque a diis sublimis raptus esse, ut pincernae Iovis munere fungeretur.

Τ 282 καὶ δ' ἄχος οἱ χυτο μυρίον ὀφθαλμοῖν.

Lenissime sane editores καὶ δέ γ' ἄχος χυτο μ. δ., quod probarem, nisi voci ἄχος hic locum non esse haberem persuasissimum. Longe enim alia ratio est locorum P 591. Σ 22, quos afferunt. Latere ἀχλύς optime perspexit Bentley, cuius coniecturam vide apud ipsos.

Τ 360 ἀλλ' ὄσσον μὲν ἐγὼ δύναμαι χερσὶν τε ποσὶν τε
καὶ σθένε', οὐ μὲ τί φημι μεθυσμέν' κτέ.

Vitiosum videtur ὄσσον in thesi positum pro ὄσον. Conieci:

ἀλλ' ὄσον αὐτὸς ἐγὼ κτέ.

quae lenior ratio est quam ὄσσον δ' αὐτὸς ἐγὼ, quod placere potest propter vicinum ἀλλά in v. 362 initio.

Φ 317

καὶ δέ μιν αὐτὸν

φειλύσω ψαμάθοισι, γάλις χεράδος περιχεύας,
μυρίον, οὐδέ γοι ὄστέ' ἐπιστήσονται Ἀχαιοὶ
ἀλλίξαι.

Suspectus est hic vocabuli μυρίον usus, sive habetur pro adiectivo neutrius generis sive pro adverbio. Nullum certe novi locum, quo alterum utrum tuearis. Num forte latet

οὐδέ γοι αὐρίον ὄστέ' ἐπιστήσονται Ἀχαιοὶ
ἀλλίξαι?

Φ 343 πρῶτα μὲν ἐν πεδίῳ πῦρ δαίετο, Καῖε δὲ νεκρούς.

Malim equidem Δαῖτε, quia poeta in talibus solet idem verbum repetere, ut mox 355

δαίσι μὲνη, δαίωσι δ' ἀρήιοι υἷες Ἀχαιῶν.

X 349 οὐδ' εἴ κεν δεκάκις καὶ ἑρικοσσινήριτ' ἄποινα
στήσωσ' ἐνθάδ' ἄγοντες.

Optime senserunt nostrates partem depravati vocabuli necessario fuisse ἑρικοσσάκις. Quod si ita est, licet nos fugiat corruptelae ratio, vix aliud olim scribi potuit quam ἑρικοσσάκις τὸς' ἄποινα, ut in loco simillimo I 379.

X 460—475. Fortasse non prorsus inutile est monere hunc locum intellegi non posse, nisi statuamus v. 468—474 narrare quae locum habuerint *ante quam* Andromacha retro collapsa ἀπὸ ψυχὴν ἐκάπυσσε, itaque βάλε v. 468 et ἴσταν v. 473 habere vim plusquamperfecti. Andromacha accepto tristi nuntio μαινάδισι, καλλομένη κραδίην domo currit ad murum, ubi conspecto Hectore, quem raptant equi Achillis, misera mulier prae dolore adeo furiose se gerit, ut glores fratrisaeque sollicitae ne ἀτυζομένη mortem sibi consciscat (de muro se deiciendo, ut recte statuere videntur veteres) manibus eam retineant. Tum denique malis victae oculos operiunt tenebrae et retro collapsa sui perdit conscientiam. Non autem videtur necessarium, (quod aliquando venit mihi in mentem) suspicari, versuum ordinem turbatum esse et olim vs. 468—474 lectos fuisse statim post v. 465.

Ψ 71 θάπτε με, ὅτι τάχιστα πύλας Ἀγίδαο περήσω.

Deesse necessariam coniunctionem finalem dudum observatum est, nec mihi persuadet Fickii volgatae lectionis defensio. Lenitate vincit Barnesii coniectura εφρα τ. Cobetianam επως δκιστα, nec tamen obliteranda videtur aptissima formula ὅτι τάχιστα, qua poeta usus est Δ 194. I 659. O 146. X 129. Ψ 403. 414. ε 112. θ 434. π 152, cum praesertim corrigi possit:

θάπτε μ', ἴν' ὅτι τάχιστα πύλας Ἀγίδαο περήσω.

Ψ 75 καὶ μοι δὲς τὴν χεῖρ', δλοφύρομαι.

„Da mihi *istam* manum” hic minus aptum. Quare si iusta est apud Homerum in usu articuli non pronominalis offensio (qua de re propter ingentem locorum numerum qui emendationem non admittunt etiamnum dubito), scribi praestiterit σὴν χεῖρ'.

Ψ 101 sqq. habent quae offendant, nam e visu nocturno Achilles vix poterat efficere quod dicit v. 103

ὦ πόποι, ἦ βᾶ τις ἔστι καὶ ἐν Ἀγίδαο δόμοισι
ψυχὴ καὶ τεῖδωλον,

quoniam Patrocli umbra dixerat v. 71 (cf. 137) se, quippe inseputum, nondum esse apud inferos, deinde vero in verbis, quae illa excipiunt, ἀτὰρ Φρένες οὐκ ἐνὶ πάμπαν iure iam Aristarchus haesit, contendens iniuria Φρένας denegari ei qui modo locutus sit. Unde mihi nata est suspicio verba ταφῶν δ' ἀνδρουσεν Ἀχιλλεύς (101) — ἀμφὶ νέκυν ἔλσεινόν (110) senioris esse originis, et antiquitus locum sic fuisse compositum:

99 ὡς ἔρα Φωνήσας ὠρίζετο χερσὶ Φίλῃσι
οὐδ' ἔλαβε· ψυχὴ δὲ κατὰ χθονὸς ἤυτε κάπνος

101 ᾗχετο τετριγυῖα.

111^b Ἀτὰρ κρείων Ἀγαμέμνων
οὐρῆάς τ' ὄτρυνε κτῆ.

In proscriptis a me versibus (v. 107) notabile est adverbiale θέσκελον nusquam alibi obvium, sed imprimis lectum v. 102 συμπλατάγησι, quia πλαταγεῖν et cognata vocabula ab usu Homericō aliena non admodum antiqua esse videntur. Cuiusmodi sermonis indicia, licet per se spectata parum valeant, argumenta e sententia et compositione petita mirifice augent et corroborant.

Ψ 304 πατὴρ δὲ τοι ἄγχι παραστάς
μυθεῖτ' εἰς ἀγαθὰ Φρονέων νοέοντι καὶ αὐτῶ.

Admodum suspecta mihi lectio. Graecum enim et Homericum foret μυθεῖτ' εἰς ἀγαθόν, ut I 102 legitur ἔν τινι θυμὸς ἀνώγῃ | τειπέμεν εἰς ἀγαθόν, et fieri potest ut hoc sit restituendum. Sin vero ἀγαθὰ Φρονέων (cf. Z 162 et α 43) recte est traditum, sequitur corrupta esse verba μυθεῖτ' εἰς. Quod si ita est, conici poterit:

μῦθον ἔρειπ' ἀγαθὰ Φρονέων νοέοντι καὶ αὐτῶ.

Mῦθος poetae saepius est *adhortatio*.

Ψ 692 ὡς δ' ὅθ' ὑπὸ Φρικῶς Βορέα' ἀναπάλλεται ἰχθύς
θίν' ἐνὶ Φυκίδεντι κτῆ.

Pro altera lectione βίπῃς faciunt loci O 171 et I 358, neque in versibus H 63 sq.:

οἷη δὲ Ζεφύροιο ἔχευατο πόντον ἐπι Φριξί
 ὄρνυμένοιο νέον, μελάνει δὲ τε πόντος ὑπ' αὐτῆς
 Φριξί pendere a Ζεφύροιο, sed Ζεφύροιο ὄρνυμένοιο genetivus ab-
 solutus esse videtur.

Ψ 840 ἦκε δὲ δινησας· γέλασαν δ' ἐπὶ πάντες Ἀχαιοί.
 Ut causa ridendi appareat, aliquando proposui ἦκα δὲ δινησεν,
 cui coniecturae opposuerunt Lugdunenses, γῆκα de eo qui con-
 sulto suas vires contineat adhiberi potius quam de invalido
 aut tardo. Quod speciosius quam verius dictum esse apparet,
 ni fallor, ex Σ 596

οἱ δὲ χιτώνας
 εἶατ' εὐνήτους, ἦκα στίλβοντας ἐλαίῳ.

Ceterum coniecturam non urgeo, quia vulgatae scripturae favere
 videtur formula ἦκ' ἐπιδινησας H 269. i 538. Cf. Γ 378. Τ 268,
 et difficultas quam movi fortasse melius sic explicatur, ut post
 δινησας duo hemistichia olim periisse censeamus, quibus dictum
 fuerit Epei iactum fuisse admodum infelicem.

Editores autem Bekkerum secuti dubito num recte adverbio
 ἦκα praefixerint ubique digamma, quoniam inde formata videntur
 ἦσων et ἦκιστος Quod enim cum spiritu leni scribitur huic
 opinioni vix obstat, siquidem grammatici sic scribere potuerunt,
 ut distinguerent adverbium ab aoristo verbi ἰέναι. Nullus vero
 exstat apud Homerum locus, ubi littera Aeolica metro postula-
 tur, et locis Ω 508. ρ 254 et σ 92 (quod iam a Leskienio et
 Nauckio observatum est) diaeresis bucolica favet potius quam
 adversatur hiatus.

Ψ 870 σπερχόμενος δ' ἄρα Μηρίωνος ἐξείλετο χεῖρδς
 τόξον· ἀτὰρ δὴ διστὸν ἔχεν πάλαι, ὡς Ἰθύνει.

Recte Ebeling s. v. ἰθύνειν hunc locum merito veteres multum
 vexasse dicit, nec me iudice, ut traditur, satis probabiliter ex-
 plicari potest. Cum ex reliquis locis appareat ἰθύνειν non usur-
 pari de arcu, sed unice de sagitta, intellegerem τόξον· ἀτὰρ
 δὴ διστὸν ἔχεν πάλαι· ὡς ἰθύνοι, ut verba ἀτὰρ — πάλαι posita
 sint in parenthesi et intellegatur ἐξείλετο χεῖρδς τόξον, ὡς ἰθύνοι
 διστὸν, ἔν πάλαι εἶχεν. Verbum verbo veritas: *Festinus Meriones*
(Teucri) manu extraxit arcum — at sagittam iamdudum tenebat —,
ut (sagittam) dirigeret.

Ω 88 ὄρσο, Θέτις· καλέει Ζεὺς ἄφθιτα μῆδεα ρειδῶς.
Duplicata littera sibilanti corrigatur:

καλέει Ζεὺς <σ'> ἄφθιτα μῆδεα ρειδῶς.

Ω 158

ἀλλὰ μάλ' ἐνδυκέως ἰκέτεω πεφιδῆσεται ἀνδρός.

Lugdunensibus haec annotantibus „*ἰκέτεω* forma recentior hic et v. 187, praeterea post adverbium *ἐνδυκέως curandi* vel *comiter accipienda* aliquod verbum expectaveris" minus recte opponebam v. 438

ἐνδυκέως ἐν νηὶ βοῆ ἢ πεζὸς ὁμαρτεῖν,

nam re vera verbum *ὁμαρτεῖν* longe commodius cum illo adverbio componitur quam *φειδῆσθαι*. Quare si merito huius loci scriptura suspecta est viris doctissimis, haud inepte quamvis audaciore coniectura hic et v. 187 suspiceris:

ἀλλὰ μάλ' ἐνδυκέως ἰκέτην ὄγε ἄνδρα φιλήσει.

E *Φιλήσει*, *benigne tractabilis, comiter accipiet*, non ita difficulter nasci potuit *πεφιδῆσεται*.

Ω 352 τὸν δ' ἐξ ἀγχιμόλοιο ριδῶν ἐφράσσατο κήρυξ
Ἑρμείαν.

Mira locutio *ἐξ ἀγχιμόλοιο* pro *ἐγγύθεν* huic poetae propria, Homericæ enim consuetudini conveniret *ἀγχιμόλον δ' ἐλθόντα ριδῶν κτέ.* Vide locos apud Ebelingium.

Ω 400

τῶν μέτα παλλόμενος κλήρω λάχρον ἐνθάδ' ἔπεισθαι.

Dativo *τοῖσι*, quem usus epicus requirit, cum numeri obstant, nescio an *μέτα* vitiosum sit et pro eo fuerit *μέν* vel *ποτέ*, ut *τῶν* sit genetivus partitivus.

Ω 503

ἀλλὰ θεοὺς αἰδεῖ' (al. αἰδοῖ') Ἀχιλεῦ, αὐτόν τ' ἐλέησον.

Nec formam *αἰδεῖτο* neque optativum ferri posse recte iudicantur editores Lugd., dubito tamen num recte substituerint *αἰδεσθ(αι)*, quia poeta aut repetere solet infinitivum pro imperativo ut A 20, aut ipsum imperativum, ut Φ 74 *σὺ δέ μ' αἰδεο καὶ μ' ἐλέησον* X 82. χ 312. 344, non hunc componere cum illo. Quare

aut simul *ἐλεῆσαι* fuerit corrigendum aut potius *αἰδέσσαι* δὲ θεούς, Ἀχιλεῦ, αὐτόν τ' ἐλέησον (cf. I 641), quod praetulerim, vel *αἰδέσθητι* θεούς κτλ.

Ω 506 *ἄνδρὸς παιδοφόνου ποτὶ στόμα χεῖρ' ὀρέγεσθαι.*

Scholiasta θέλει δὲ λέγειν ὅτι ᾧ στόματι τὸν υἱὸν ἐφίλου, τούτῳ νῦν τὸν ἐκείνου φονέα. Quis vero aliquem osculaturus manus tendit ad os eius? Hanc igitur interpretationem merito repudiantes vulgo homines docti verba intellegunt deprehendendo mento aut barba eius cui quis supplicat, ut dicitur de Thetide A 501 *δεξιτερῇ ὑπ' ἀνθερωῶνος ἐλοῦσα* et O 371 (cf. κ 454. τ 473) *ἔλλαβε χεῖρὶ γενείου*, quae explicatio nulla laboraret difficultate, si constaret *στόμα*, ut *os* apud Latinos, usurpari posse de tota facie. Quam rem donec ignoro, expecto potius:

ἄνδρὸς παιδοφόνου ποτὶ γούνατα χ. δ.

Cf. supra 465 et 477 et nubes exemplorum apud Ebelingium s. v. γόνυ 3).

Ω 637 *οὐ γὰρ πω μύσαν ὄσσε ὑπὸ βλεφαροῖσιν ἐμοῖσι.*

Miror editores scribentes „notabile est ὕ et collato v. 420 (*μέμυκε*) suspectum.” Nam apud Athenienses quoque vocalis in aoristo constanter corripitur.

Ω 653

*τῶν εἴ τις σε εἶδοιτο θοὴν διὰ νύκτα μέλαιναν,
αὐτίκ' ἂν ἐκείποι Ἀγαμέμνονι ποιμένι λαῶν,
καὶ κεν ἀνάβλησις λύσιος νεκροῦ γένοιτο.*

Vellem exposuissent editores, cur ultimum versum abesse malint. Frustra enim quaero quid in eo merito cuiquam displicere possit. Consulto Achilles non *impeditionem* dicit sed *dilationem*, quia pro suo ingenio passurus non erat Agamemnonem impedire quod ipse inuasisset.

Ω 753

ἔς Σάμον ἔς τ' Ἴμβρον καὶ Λήμνον ἀμιχθαλέεσσαν.

Veteres interpretari solebant *ἀπρὸσμικτον*, qualem Sophocles insulam Lemnum finxit in Philocteta, qua re nescio an poeta tragicus iam cognoverit hanc lectionem, quae praeterea oc-

currens in hymno i. Apoll. v. 36 tam obscurae etymologiae quam numerorum causa suspecta est. Ex aliis locis Homericis Nauck reponebat *παιπαλλέσσα*, sed notissima et frequentissima vox haud ita facile corrumpi potuisse videtur. In promptu foret hic conicere *Λήμνον ἕς* (vel *Λῆμνόνδ')* *αἰθαλλέσσαυ*, aptissimum Volcani officinis epitheton, ni vetaret alterius loci ratio. Nimis enim fere audaciae est sumere, corruptelam esse hymni auctore antiquiorem.

Ω 779

ἢ γὰρ Ἀχιλλεύς

πέμπων μ' ὧδ' ἐπέτελλε μελαινάων ἀπὸ νηῶν,

μὴ πρὶν πημανέειν πρὶν δωδεκάτῃ μὲν ἡώς.

Vix sanum est *ἐπέτελλε*, quod verbum frequentissimum hoc unico loco non *mandandi* sed *promittendi* sensu adhibitum vides. Non iuraverat Achilles, itaque *ἐπόμοσσε*, quod praeterea longius distat, latere nequit, neque *ἐπένευσε* prorsus satisfacit. Quaerat alius!

Traiecti a. R. Scribendum m. Octobri 1889.

ΒΟΤΣ ΕΠΙ ΓΛΩΣΣΗ.

Nuper incidi in annotationem, qua Weckleinius in utilissima editione Orestae Aeschyleae, anno praecedenti edita ¹⁾, illustravit verba excubitoris, qui Agamemnonis fabulae initio vigilias agit in regiae tecto. Iam dandum ex edito illo loco signum operiri se dicit quo indicetur captam esse Troiam dilectamque igitur suum regem brevi esse rediturum. Deinde vero addit (vs. 36):

τὰ δ' ἄλλα σιγῶ· βοῦς ἐπὶ γλώσση μέγας

βέβηκεν.

Horum verborum qui sit sensus, neminem fugere potest; de rebus quae absente Agamemnone Mycenis factae sunt, de reginae igitur Aegisthique adulterio, loqui se nolle indicat miles: *tacendum est, oclusum habeo os*. Sed quomodo verba *βοῦς ἐπὶ γλώσση* significare possint *tacendum mihi est*, ambigunt critici. Id quidem constat, reiciendum esse veterum grammaticorum

1) Aeschylus Orestie, 1888.

commentum ¹⁾: διὰ τὸ τῶν Ἀθηναίων νόμισμα ἔχειν βοῦν ἐγκεχαραγμένον, id quod neque verum est, neque si verum esset huc quicquam faceret. Insulsissima quoque est altera explicatio: διὰ τὴν ἰσχὺν τοῦ ζώου, — quasi etiam ἵππος vel κάμηλος ἐπὶ γλώσσῃ μοι κεῖται poeta dicere potuisset, si sic lubebat. Immo per imaginem audaciorem id indicatur quod alias apud tragicos dicitur: κλέε ἐπὶ γλώσσῃ βέβηκεν (Soph. Oed. Col. 1052), κλέε ἐπὶ γλώσσῃ Φύλαξ (Aesch. fr. 307), ἀρρήτων ἐπίων γλώσσῃ σφρηγίς ἐπικείσθω (Anthol. Pal. X 42). ²⁾ Itaque id unum dubium esse potest, quo sensu in proverbiali hac locutione pro voce κλέε substituatur βοῦς. Respondet igitur Weckleinus, Hesychii explicationi i. v. βοῦς] μάστιξ assensus: scutica intellegitur. „Angenscheinlich ist der Ausdruck mit volkstümlichem Humor, „der gern in Bezeichnung von Strafwerkzeugen sich geltend „macht, in βοῦς ἐπὶ γλ. βέβηκεν umgestaltet und bedeutet βοῦς „μάς βόειος oder βοεῖα: der Ochsenziemer oder die Knute, die ge- „fürchtet wird, ist der Schlüssel am Munde. Vgl. Hesych. βοῦς· „μάστιξ, Plaut. Asinar. I 1, 21 *apud fustitudinas ferricrepinas* „*insulas, ubi vivos homines mortui incurvant boves.* In witziger Weise „ist der sprichwörtliche Ausdruck ausgedeutet bei Theogn. 815: „βοῦς μοι ἐπὶ γλώσσῃ κρατερῶ ποδὶ λάξ ἐπιβαίνων „ἴσχει κωτίλλειν καίπερ ἐπιστάμενον”. —

Hactenus Weckleinus, qui cum in oculos hanc, quam suadet, interpretationem statim incidere contendit, iure meo inde efficere mihi videor oculorum igitur testimonio non temere esse credendum. Non enim servus quidam, cui metuenda sint flagra, apud Aeschylum loquitur, sed miles, gregarius quidem sed tamen liber, cui a scuticis tutum opinor erat tergum. Sin quis contendat Thersitas satis multos aevo heroico sceptrum regium in suis humeris sensisse et flentes deterisisse vibices sanguinolentas, at de Theognidis certe loco, unde par est nos initium facere dum hanc dictionem interpretari conamur, tale quid contendendi nequit. Numquid nihil refert Davusne loquatur an poeta nobili loco natus? nonne absurdum est ita accipere Theognidis verba, quasi dicat se tacere ne servilem poenam luat garrulita-

1) Vid. Suidas in voce.

2) Locus attulit Weckleinus.

tis? Qualem poenam si quam maxime metuisset, non tamen de re adeo turpi sibi atque contumeliosa iocaturus erat opinor, sed aut tacuisset aut cum indignatione fuisset locutus. De *scutica* igitur apud Theognidem certe cogitari posse omnino nego. Attamen verum censeo id quod dicit Weckleinius et ante eum dixerat Lobeckius, voce βούς significari ἱμάντα βόειον. Scilicet ex epicorum poetarum sermone hic usus loquendi desumptus est, apud quos βούν haud infrequenter dici pro *clipeo*, qui ex coriis bubulis confectus est, vix est quod moneam; nemo ignorat βόας αὔας (M 135) vel τυκτάς (M 105) vel ἰὺ ποιητάς (Π 636), et inter omnes notum est quid sit νωμῆσαι βούν ἀζαλέην (H 238), ubi Aristarchus malebat βῶν. Ergo constat βούν idem valere quod *corium*, et ἱμάντα βοός igitur (Γ 375 Ψ 684 ψ 201) nihil aliud significare quam ἱμάντα βινού βοείου, *lorum ex tergo bubulo*. Superest rogare quale igitur lorum indicetur in locutione proverbiali quam tractamus; me si audis, non de *flagello* cogitabis, neque de ligamento quo hominum damnatorum oclusus fuerit os, quam Lobeckii video fuisse sententiam: si quid iudico, intellegendus est ἱμάς ille quem ex Homero novimus omnes: lorum quod ad *claudendas ianuas* adhibetur et clavis igitur vice fungitur; sic vetula Euryclea in fine primi Odysseae libri θύρην ἐπέρυσσε κορώνη ἀργυρέη, ἐπὶ δὲ κληῖδ' ἐτάνυσσεν ἱμάντι, eundemque κληῖδος ἱμάντα commemoratum videre est e. g. δ 802, φ 46.

Sic si statuimus, facile perspicitur quomodo pro vocabulo κληῖς substitui potuerit ἱμάς vel βούς; nempe pars pro toto, lorum quo pessulus adducitur pro ipso pessulo nominatur. Postquam vero βούς, id est βοεύς sive ἱμάς βόειος, substitutus est τῇ κληῖδ' in hoc proverbio, paratus erat introitus audaci metaphoraë, qualem adhibuit Theognis: βούν igitur illum poeta ita describit quasi verus sit *bos*, qui *gravi pede premat sibi linguam eamque torpero faciat atque silere*. Eodem modo deinde, quamquam aliquanto minus aperte, in ambiguo hoc vocabulo luserunt Aeschylus nostro loco: βούς ἐπὶ γλώσση μέγας βίβηκεν, et comicus Strattis: βούς (ἐπ)εμβάλνει μέγας (fr. 67 Kock).

J. v. L. J. v.

STUDIA PALAEOGRAPHICA.

SCRIPSIT

J. VAN DER VLIET.

Oxonienſis Add. C. 284 ¹⁾.

Adſervatur Oxonii in Bibliotheca Bodleiana codex manu ſcriptus membranaceus, inſignitus: *Add. C. 284*, qui continet *Tertulliani Apologeticum*. Catalogus addicit librum ſaeculo XI, catalogus vero librorum anterioris cuiuſdam poſſeſſoris ²⁾ modetiſtus et veri ſimiliuſ ſaeculo XIII vel XIV ſcriptum eſſe ſuſpicatur. Eſt codex nitidiſſime ſcriptuſ duabuſ manibuſ, quarum altera litteraſ longioreſ et mundioreſ exarant pertinet uſque ad folium 18b, altera brevioribuſ et horridioribuſ litteriſ opuſ ad finem perduxit. Continet autem quinque et dimidiam quaternioneſ; duo folia ab initio, item duo altera in calce libri omnino conſcripta non ſunt. Foliorum indicatio incipit ab altero folio (litteriſ vacuo). Meſura paginarum eſt duodetriginta et dimidii centimetrorum quod ad longitudinem, duodeviginti fere latitudine. Singulae paginae habent tricenoſ ſinguloſ verſuſ. Lineae regula ductae, iuxta quaſ verſuſ ordinatae ſunt, acuto ſtilo membranae ſunt impreſſae nullo neque atramento neque pigmento adhibito. Codex ſatiſ accurate ſcriptuſ eſt, et non nimio mendorum et errorum numero, pauciſſimiſ vero lacuniſ laborat. In interiore integumentu, quod dicunt *folium compactioniſ*, parte legitur: *Bought by the Bodleian for £ 12.10 on 20 Jan. 1886 in the Severne* ³⁾ (*Wodhull*) ſale. In prima libri pagina:

1) Multum in iſiſ, quae infra leguntur, colligendiſ debeo doctae benevolentiae v. d. *W. N. du Rieu* nec non v. d. *S. de Fries*, qui et rerum quae ad ſuam provinciam pertinent nutitiſ et univerſa doctrina collegam aetate et dignitate maiorem proxima ſemulatur.

2) Cataloguſ Bibliothecae Aſkavianae manu ſcriptae.

3) Auctuſ ſcilicet *of the library collected by Michael Wodhull, eſq., the property of I. E. Severn, eſq. M. P.*

Leigh's Auction. dr. Askew's manuscripts. In angulo summo sinistro:
 £ 1 : 2 : —^a mar. 15 th. 1785: videtur esse pretium, quo m. Wodhull
 codicem emit ex auctione librorum viri doctissimi Askew, quod
 confirmatur testimonio veteris Catalogi auctionarii, qui servatur
 Lugduni-Batavorum in Bibliotheca Universitatis, quique inscribitur:
*Catalogus Bibliothecae Askeviae manuscriptae, quae veniit
 Londini apud G. Leigh et J. Sotheby, 7 Martii 1785 et diebus
 sequentibus.* In illo libello (p. 32) occurrit in capitulo, cui inscrip-
 tum est: *Eighth Day's Sale, Tuesday, March 15,* codex noster
 hoc nomine: *Tertulliani Apologeticus Saec. XIII vel XIV, OLIM
 MAFFEI, CORIO RUSSICO. Fol.* Ex iis, quae modo adtulimus,
 hanc igitur possessorum seriem colligimus: *Maffei, dr. Askew,
 mr. Wodhull, mr. Severne, the Bodleian Library.* Qua via liber,
 quo de agimus, e libris Maffeianis in manus doctoris¹⁾ *Askew*
 pervenerit, adhuc investigare non potui: res autem satis intri-
 cata et impedita videtur. Ille quidem dr. Askew in bonarum
 litterarum historia non prorsus ignotus est. Multa et in aliis
 regionibus et in Italia itinera fecisse videtur, multos codices et
 libros collegisse, quorum magnam partem *Laurentius van Santen*
 postque illius obitum *Diezins*, deinde *Bibliotheca Regia
 Berolinensis* comparavit. Extant editiones *Aeschyl*, curatae ex
 libro manu scripto, qui *Askevii* fuit nec non ex collationibus
 septem codicum, quas idem Parisiis, alibi confecerat, v. c. editio
C. G. Schützi, quae *Londini* a. 1823 prodiit. *Maffei*, cuius codex,
 quem brevitatis causa *Ob* nominabo, quoniam altera²⁾ etiam
Apologetici apographa *Oxonii* servatur, cuius collationem *Oehlerus*
 repperit adscriptam margini exempli editionis *Heraldianae*,
 quod possidet bibliotheca *Academiae Gottingensis* — *Maffei*, in-
 quam, cuius *Ob* fuisse dicitur, non facile alius esse potest, nisi

1) The name of the late dr. Askew, and his splendid collection of ancient manu-
 scripts and printed books have been so long and so well known to the learned, in
 every part of Europe, that a preface seems almost unnecessary. *Catalogus Biblio-
 thecae Askeviae. Praefatio.*

2) Alteram Oxoniensem indicabo litteris *Oa*: est collegii *Balliolensis*, signatus
 LXXIX; in catalogo ita describitur: *Codex membranaceus, in folio maiori, ff. 332.*
*Sec. XV., binis columnis nitide exaratus: ex dono eiusdem Willelmi. 1. Varia opera
 Lactantii 2. Tertulliani Apologeticum de ignorantia Ihesu Christi fol. 220. 3. In-
 dex Lactantii fol. 247.*

Scipione marchese Maffei (1675—1755), qui iuvenis in Germania stipendia meruit, proveciore vero aetate in patriam *Veronam* redux et vernacula lingua et Latine multa opera cum poetica tum docta edidit ¹⁾. Idem iure celebratur, quod clarissimam bibliothecam *Capitularem Veronensem*, ex qua *Niebuhrus* palimpsestum illum *Gai Institutionum* eruit, negligentia et socordia custodum pessum datam, de novo fere condidit et ex testamento multis maximi pretii libris et codicibus auxit. Bibliotheca enim *Capitularis* satis amplam vetustissimorum codicum possidebat collectionem, quae cum et propter fluminis *Athesis* inundationes, et quia *Canonici* in animo habebant novum, in quo bibliotheca servaretur, aedificium erigere, in aliam partem aedium transportata esset ubi interim conderetur, in loco subobscuro et propter altitudinem hominum oculos facile fugienti per maiorem saeculi XVII partem latuit. *Maffei* veteris illius thesauri benignus non quievit, donec omnibus bibliothecae angulis diligenter excussis, veteres codices luci redderentur ²⁾. Codices *Maffeani*, si credimus Bibliothecae fatorum, quem modo testem citabamus, scriptori, donatione inter vivos testamento firmata omnes in *Capituli* possessionem pervenerunt ³⁾: *alcun tempo prima della sua morte, avea fatto trasportare nella nostra Biblioteca tutti i suoi manoscritti greci, latini e volgari: lasciava scritto nel suo testamento dei 17 Dec. 1754 „come volea rimanessero in piena podestà del Capitolo, avendone perciò fatto libero dono;” pregava „vi fossero conservati in perpetuo, insieme al tesoro inestimabile de loro antichissimi codici”. De sue private carte e memorie, e bozze, e fogliolini, tutti i suoi studi infine ordinava passassero prima in mano al sign. Giuseppe Forelli, che designava suo biografo, e nol fu. Questi poi tutto alla Biblioteca nostra fedelmente commet-*

1) Pokel. Philologisches Schriftsteller-Lexicon. *Maffei* (*Scipione marchese*) 1675—1755 aus *Verona*, 1699 in *Bonn*, 1703 im *Bayrischen Heere*, lebte zuletzt in seiner Vaterstadt: *Rime e prose*. Ven. 1719. 4°. *Origines Etruscae et Latinae linguae*. Lpa. 1731. 4°. *Verona illustrata*. Ver. 1731—2. v. f. (1792—3, 8 vol 4°). *Galliae antiquitates selectae*. Par. 1733. (Ver. 1734) 4°. *Graecorum siglas lapidarias*. 1746. *Museum Veronense* 1749. 4°. *Osservazioni letterarie* 1737—40. 6 vol. *Opere* Ven. 1790. 21 vol. *Italianische Gedichte*. (*Merope*, tragedia).

2) Cf. *Archivio Veneto*. 1875. p. 239 sq la *Capitolare Bibliotheca di Verona*, da *Carlo Giustiari*, capo III. Scoperta dei codici *Capitolari*.

3) *Archivio Veneto*. 1876. p. 61.

teva. Preziosa massa di carte che, ritrovate scomposte, mi sono adoperato (is qui scribit ipse canonicus est et bibliothecae Capitulari praepositus) a meglio classificare e ordinare, riuiscendone piene ben trentadue Buete in foglio. Non plane ita firmiter de eadem re persuasum videtur Blumio, qui totam Italiam ad bibliothecas discutiendas peragravit¹⁾: Maffei, inquit, schenkte schon vor seinem Tode mehrere Griechische Handschriften und eine sehr merkwürdige alte Zeichnung von Verona; das meiste von dem Reste seiner Sammlung SOLL nachher an dass Kapittel gekommen sein. Alibi vero minus cunctanter idem scribit: dass seine Bibliothek zerstreuet sei, ist fälschlich behauptet worden. Millin 1797. V. 363; nur fünf papyrusfragmente, die er gesammelt hatte, hat er der Vaticana geschenkt „per providere alla lor perpetua conservazione“. Num verum sit testimonium cum Ginali tum Blumii dubium me facit *Catalogus auctionarius Bibliothecae Askevianae*, quem initio adtuli, in quo memorantur multi²⁾ codices Latini cum hoc additamento: olim Maffeiianus corio Russico vel in paucissimis Turcico. Quum Maffei diem obierit a. 1755, Ascevi vero libri venierint³⁾ a. 1775 post mortem domini, satis videtur probabile, hunc iter facientem in Italia codices Maffeiianos ibi comparasse. Alterum, quod eodem tendit, argumentum hoc est. In catalogo librorum quae antea in castello Middlehill in Anglia servabantur, ante hos vero viginti annos ad urbem Cheltenham sunt translati⁴⁾, enumerantur (p. 11. 33) MSS. ex Bibliotheca

1) Blume. *Iter Italicum*. I. 258.

2) P. 24. n. 412. *Senecae Tragediae*, 425. *Asconius Pedianus*, 437. *Caesaris commentaria* (sic) de Goll. l. VII et de bello civili, l. IX ad XIV. *Hirtius de bello Gallico* l. VIII; 439. *Cic. de claris oratoribus et orator ad Brutum*, 440. *Cic. de inventione rhetorica*, 441. *Cic. Orationes in Verrem*, 447. *Cic. de legibus*, 449. *Cic. Philippica*, 452. *Cic. de oratore*, 455. *Corn. Nepos*, 459. *Dictys Cretensis*, 483. *Lucani Pharsalia*, 499. *Pauli Orosii historia*, 502. *Ovidii Fasti*, 526 et 527. *Suetonii opera*, 529. *Terentii Comediae*, 536. *Virgilii opera*, cum commentario.

3) Codices manuscripti *pro private motives* (*Catalogus MSS Praefatio*) modo decimo anno post, a. 1785, publica auctione habita venierant.

4) Cf. *Hamel. Cat. Codd. MSS*. Ipsum catalogum *Bibliothecae Philippicae*, qui rarissimus esse videtur, impressam a. 1837 typis *Medio-montanis*, commodavit mihi humanitas viri doctissimi *Campbell*, bibliothecae Hagensi praefecti. Inter illius collectionis libros manu scriptos enumerantur etiam duo ipsius Maffei opera, sub n. 45. *Maffei de Republica Venetiae*, et sub n. 9^o3. (inter codices *Cottianos*) *Maffei della Preservazione di Venetia*.

Celotti, partim ex monasterio S. Iustini Patavini; *Bibliotheca Naniana*; *Iesuitarum Turconensium*; *S. Georgii Venet.*; **MAFFRI VERONENSIS**; *Mocenigo Venet.* In bibliothecam quoque igitur Celottianam pars codicum Maffeanorum transiisse videtur.

In codice nostro, quod modo dicebamus, non nimis saepe correctorum manus deprehenduntur. Correctiones tribus ¹⁾ manibus tribuendae sunt, scriptoris vel potius scriptorum ipsorum, correctoris prioris, qui complura parvulis et nitidis litterulis sive emendavit sive complevit, tum tertii cuiusdam lectoris qui pauca quaedam satis negligenter mutavit. Primi octo versus rubro colore sunt exarati; litterae capitum initiales partim artificiosius pictae sunt rubro et viridi coloribus, partim simplicius uno vel altero horum colorum ductae; paucissimae olim argento illitae fuere. Libri inscriptio plane consentit cum Parisiensi n. 1623, qui olim fuit Claudii Puteani, inscribitur enim *Apologyticum* et in calce operis utriusque legitur *Apollogyticum*. Addit noster: *Tertulliani ac (ex de corruptum) ignorantia in Christo I-HV̄*, qui est primi capituli titulus, sed qui in nonnullis codicibus toti Apologetico tributus esse videtur, ut in *Catalogo Bibliothecarum Angliae* ²⁾ et *Hiberniae* mentio fit codicis ex bibl. *Eccl. Cathedr. Sarisberienensis* (1083. 157.) hoc nomine: *Tertullianus de ignorantia salvatoris* ³⁾. Non inscriptione tantum sed et lectionibus *Ob* plurimum consentit cum Puteaneo (A), post quem ordine cognationis proxime sequuntur *Gothanus* (E) et *Erfurtanus*. Notavi 162 locos ⁴⁾, ubi A et *Ob* eadem ratione discrepant a textu *Oehlerii*, 148 ubi *Ob* discedens a scriptura eiusdem editionis consentit cum E, 131 ubi cum *Erfurtano*. Confirmatur igitur sententia *Oehlerii*, qui *Gothanum* et *Erfurtanum* eiusdem familiae esse opinatur, cui familiae alter quoque *Oxoniensis* (*Ob*) adtribuendus ⁵⁾

1) Semel *quartam* manum mihi visus sum deprehendere, quae satis absurde p. 227. 8 *servi* mutavit in *serviri*.

2) Tom. II. p. 24.

3) Vide etiam Adn. § 3. p. 53.

4) 22 inveni locos, ubi *Ob* textum *Oehlerii* relinquens cum ano A congruit, scilicet: 129. 13, 142. 4, 152. 5, 154. 2, 164. 2, 174. 7, 183. 7, 217. 15, 218. 3, 219. 1, 2, 221. 7, 227. 2, 229. 2, 242. 6, 247. 1, 265. 2, 271. 2, 272. 10, 279. 5, 290. 10, 294. 2.

5) 14 locis soli E, Erf. et *Ob* inter se congruentes dissident a textu editionis, scilicet 154. 11, 160. 4, 168. 15, 174. 7, 204. 10, 214. 16, 217. 17, 219. 4, 225. 6, 245. 3, 282. 5, 286. 9, 288. 8, 289. 3.

6 locis *Ob* cum A, E et Erf. solis discrepat a textu *Oehlerii* 161. 1, 168. 1, 185. 5, 222. 5, 250. 5, 264. 3.

erit. De *Ambrosiano* et *Oxonienſi* priore, quos Oehlerus eidem familiae adnumerat, affirmare nihil ausim, quod in apparatu critico editioni Oehlerianae subiecto non omnes horum librorum diversae lectiones continentur, sed passim modo citantur. Attamen utrumque Oxoniensem 66es inter se convenire inveni, quando a scriptura *Oehlerii* differant.

Omissiones et transpositiones fere omnes Ob cum E et Erf. communes habet; omissiones sc. occurrunt:

- p. 111. 2. Ob omittit *in* cum ABCDEG**b**de Vind. Flor. Ambr.
Oa Erf. Gorr.
- p. 123. 9. " " *miror Lucium* cum ABCEG abcde Ambr.
Leid. Bong.
- p. 124. 7. " " *filium iam* cum ABCDEG Vind. Leid. Erf.
- p. 129. 13 " " *velat* cum A.
- p. 164. 2. " " *quos* " A m. 1.
- p. 199. 7. " " *tertium et* cum E abcde Oa Erf.
- p. 230. 1. " " *quod* cum Eb Oa Erf.
- p. 282. 5. " " *apud* " E Erf.
- p. 282. 9. " " *de* cum (Aϕ) (B) (D) E abcde Vind Oa. Erf.
Leid. 108. (Vossianus Apologetici.)
- p. 290. 12 " " *si de nostris sacramentis* cum DEFG abc
Vind. Erf.

Transpositiones:

- Ob legit: *aliquod bonum grande* 131. 6. cum D E Erf.
- " " *opinor hoc* 146. 2. " D E ab Erf.
- " " *dicit* (corruptum ex *didicit*) *eos* 154. 11 cum E Erf.
- " " *talibus vos* cum DE abcdef Erf.
- " " *sed iam quia* 206. 2 cum Oa.
- " " *cum deum esse* cum DE abc Erf.
- " " *et dei* cum Leid. 108.

De capitum inscriptionibus hoc primum observandum est, libros impressos divisos esse in L capita, codices vero modo XLV capita habere. In indicandis numeris et inscriptionibus Oehlerus non nimis fuit diligens. In tribus capitibus, quae opus auspicantur, omnes libri inter se consentire videntur, in ceteris A et Ob rebus modo minutissimis inter se differunt: c. 21 (p. 195. 1.) A habet: *de Christo et Iudaeis*, Ob *de Christo et de Iudaeis*; c. 23. (210. 31) *de fantasmatis magicis et demoniis*,

A de *phantasmatibus magiae et d.*; c. 27. (p. 226. 4) A (cum E Erf.) habet: *de spiritu daemónico*, Ob *"daemónico de" Christo*. Ante *daemónico* m. 2. add. *de spū*. Maius aliquanto est discrimen inter Ob et E Erf.

In capite VIIo. Ob cum A praebet *de infanticidio*, Erf. *de fama*, E *de fama incestus*.

" " VIIIo. " " " *de fama incesti*, E Erf. *de infanticidio et incesto*.

" " XIXo. " " " *de Moysē propheta*, E Erf. nullam inscriptionem habere videntur.

" " XXXIIo. " " " *item pro imperio et potestate imperatoris*, E Erf. *de eadem re*.

" " XXXVo. " " " *de sollemnibus* (de sollemnibus Ob) *Caesarum*, E Erf. *de sollemnitatibus Caesarum*.

" " XLlo. " " " *quod deus spernitur et statuæ adorantur*, E Erf. legunt: *adorantur*.

In capitum numeris Ob et A, quantum ex adnotationibus Oehlerianis apparet, omnino congruunt. E Erf. omittunt, quod videtur, numerum et inscriptionem c. 19, unde fit, ut ceterorum capita 20, 21, 22 et 24, in E Erf. numeris 19, 20, 21, 23 inserbantur. De sequentium capitum numeris Oehlerus nihil observavit. Omnes scripti libri post vocabulum *occupaverant* (269. 6) novum incipiunt caput, quod Oehlerus indicare praetermisit, quodque in Ob male insignitur numero XL, qui igiturbis positus est. Caput 41 nullum habet Ob, neque alii codices habere videntur, nam numeri 41, 42, 43, 44, 45 in Ob sunt 42, 43, 44, 45 (44, 45 = 43 editionis) 46, 47.

Lectiones, quas, quantum ex collatione cum apparatu editoris recentissimi colligi potest, solus codex, de quo agimus, praebet, hic subicio, additis paucissimis quibusdam scripturis paulo memorabilioribus.

111. 1. (Oehler. ed. maior.) vobis Ob nobis.

113. 10. eorum " earum (vera videtur lectio, idemque praebet *Leid.* 108).

115. 20. torti " hosti.

122. 6. ratio aemulae operationis Ob ^{ratio}emulę operationis (*ratio et op*
addidit m. 2; fuisse videtur:
aemulae rationis.
123. 4. nullius — nullus.
" " nomine — nomen.
124. 4. utilitatibus — utilibus (^{lati}*lati* add. m. 2).
125. 2. barbarum — barbaram
- " 10. Epicurei — epicuri.
127. 7. retractatu — retractu.
128. 13. contrahi — ^{contrahi}cogit. (*contrahi* add. m. 2).
129. 4. maluit — ^{ma}noluit. (corr. m. 2),
130. 10. tempore — ^{tempore}nomine. (corr. m. 2).
133. 8. quonam — quoniam.
135. 8. nullum — ullum.
136. 9. ipsum — *omittit.*
136. 13. immoletis — immolaretis.
- " 18. dicimur sceleratissimi — dicimur enim sceleratissimi.
138. 10. ne ¹⁾ — nec
139. 2. aiunt — aut.
- " 10. illud — *omisit* m. 1, add. m. 2.
140. 7. post *indicem* omnia exciderunt usque ad vs. 9. *adversus*,
explevit m. 2.
143. 5. haec quo magis Ob hæc quoque ^{ut}magis (*ut* add. man. 2)
144. 2. id ipsum — ⁱⁿid ipsum (*in* add. m. 3)
145. 2. ne — neç.
- " 5. Iupiter — iuppiter.
147. 4. tragicis — tragoecis.
148. 2. decurrentem — recurrentem.
149. 4. post *sanguine* exciderunt *ad* — *sanguinem*. Explevit in
margine m. 2.
- " 13. pecoris — peccoris.

1) *ne* et *nec* 15es in codice permutantur, 138. 10, 139. 10, 145. 2, 154. 11, 160. 4, 168. 15, 200. 9, 204. 10, 12, 214. 16, 225. 6, 229. 4, 239. 8, 273. 7, 282. 5. Nonnumquam man. 2 errorem correxit.

150. 2. gustassent Ob gustasset.
 „ 5. ctesias — etheseos.
 „ 7. ἤλαυνε — emyne.
 151. 1. εἰς τὴν μητέρα — eis TNN ΛΛΙΓΕΡΑ.
 „ 3. luxuriae — luxorię.
 155. 8. Attica — actica.
 156. 5. quorum — quo sum.
 156. 8. 1) inopinato — opinato.
 157. 9. proprie — propriae.
 158. 15. qui — quia (item habet Leid. 108).
 160. 6. sapientior — sapientia.
 „ 9. utique — utque.
 161. 5. ipsi — ipsa.
 162. 4. Cybele — chybelę.
 164. 6. praestrinximus — prestrinximus.
 „ 10. aliquando in caccabulum de Saturno — in Ob *in caccabulum* adscr. m. 2, *de Saturno excidit* 2).
 165. 3. addicta — addita.
 166. 10. Phrynen — Phryñnen 3).
 168. 16. qui — quia (cf. 158. 15).
 173. 5. cavea — canea
 174. 1. inquietant — inquietam.
 „ 7. vittis — vitis.
 176. 10. effigie — effigiae.
 181. 4. asininis — asinis.
 185. 1. et observatis his — sed observantibus his.
 186. 8. in inscriptione c. XVIII pro *de scripturis dominicis* legi-
 scripturis
 tur *de christus dominicis*. Corr. m. 2.
 190. 8. legiferis — elegiferis.
 191. 6. 4) Hieromus — iberommus.
 196. 1. dudum — totum.

1) 138 9. contrariam occurrit mendam: *impiae* (Ob) pro *pie* (Oehler.); 158. 16. *incertis* pro *certis* scriptum fuerat, corr. m. 2.

2) Verba *aliquando in caccabulum de Saturno*, teste Oehlero, omittuntur in editione Geleuii, quem in Apologetico recensendo Fr. Zephyrum Italum, qui Florentinis usque esset codicibus, secutum esse suspicatur.

3) 283. 3 *phryñnē*.

4) Cf. 202. 1. *Iesum*, Ob ihm (= ibesum).

198. 9. ¹⁾ fatum Ob factum.
 199. 12. spiritu — spiritus.
 202. 6. praedicatum — praedictatum.
 206. 2. quod Numa — quod Numa fecit (*fecit* add. m. 3).
 „ 11. expectante — exspectate.
 207. 3. execramenti — exsacramenti.
 „ 10. spiritalis — spiritualis.
 209. 8. decoqui — dequoqui. (item 275. 5.)
 211. 15. prosecat — prosectant.
 „ „ compar — cúpar.
 214. 18. in continenti — incontēnentię.
 215. 11. Minoem — minoen.
 217. 2. laesae — lege.
 222. 9. Aeneadarum — ęneadarum utique (eandem lectionem
 habet Leid. 108).
 225. 2. religionibus — regionibus.
 „ 5. ordinari — ordinari.
 228. 1. adversus — adversum
 235. 6. hoc — hic (vera lectio).
 „ „ veritas dei et devotio est — veritas et dei devotio (idem
 legit Leidensis 108.)
 „ 8. admittitis — amittitis. (cf. 272. 10)
 237. 2. diminutiva — ^{derivata} diminutiva (correxit m. 2)
 238. 5. deierare — degerare. (idem redit 238. 5. 247. 1.
 281. 6.)
 249. 3. habent — habet.
 250. 8. quam totius — quantotius.
 251. 1. conciliabula — conciniabula.
 252. 6. non generis ^chumani tamen, sed potius erroris — non
 generis ^ahumani erroris tamen ^bsed potius ^a.
 258. 2. honoraria — henoraria.
 261. 4. at — ad.
 268. 11. illic — ille.
 „ 13. olet — obe^{id}t (fuit *olet*; *l* in *b* mutavit et *id*
 adscr. m. 2).

1) Cf. 221. 2. fatum Ob factum.

272. 10.	admonitionem	Ob	amonitionem.
273. 4.	Indorum	—	inodorum.
" 8.	officinis	—	officiis.
274. 7.	supremam	—	sub praemam.
275. 2.	sumam.	Thura	— sumantur.
276. 7.	venenarii	—	venerarii.
277. 8.	elogia	—	eo logia ¹⁾ .
278. 12.	quid	—	qui.
281. 4.	impunitatem	—	impuritatem.
" 7.	palam	—	planam.
284. 3.	aedilitatem	—	cedilitatem ²⁾ .
285. 2.	omni	—	omnia.
286. 9. ³⁾	a Spartiatis	—	asparciacis.
" "	ad nostra	—	anrā ⁴⁾ .
288. 8.	de animae statu	—	deam maiestatem.
289. 3. ⁵⁾	iudicet	—	videlicet.
290. 11.	haec oro	—	hec horo.
293. 4.	qua	—	quia.
296. 10.	falsa	—	falla.

De codicis orthographia haec fere sunt observanda. *Ac* plerumque siglo ξ scribitur, ita tamen ut saepius idem signum pro simplici vocali *e* ponatur, e. g. 236. 7. *seculi*. E contrario *e* simplex nonnumquam locum diphthongi *ae* obtinet, ut 205. 2. *grecis* vel 272. 9. *plage*. Aliquoties etiam *ae* exaratur: 296. 6. *acterne*. Etiam diphthongus *oe* per siglum ξ scriptum legitur v. c. *penas* (296. 11). Graeco *y* semper punctum adscribitur (*y*), compluries *y* in verbis Latinis et Graecis pro *i* adhibetur: 158. 4. *sydera*, 173. 7. *hystorias*, 301. 5. *djonisio*. Contra littera *i* pro *y* obtinet, 167. 1. *sinhodi*.

I et *e* sexcenties confunduntur e. g.: 154. 2. *disperat*, 252. 2. *sufficiisset*; 221. 10. *Sermium* 276. 7. *secarii*.

1) *eologia* AB cf 277. 9. *eologiis* (Ob); 117. 2. *eulogiis* (Ob); 218. 8. *eologium*.

2) E Erf. *civilitatem*.

3) A a *spartiacia*.

4) E Erf. *auram*.

5) E Erf. eandem habent lectionem.

Cl. 260. 5. Oebler: *vindices*, Ob cum AE Erf. *indices*.

Vocabulorum, quae plerumque per litteram *u* scribuntur, adnotavi per *o* exarata: *luxoria* 151. 3. 242. 6. *somniculosa* 222. 2. (*u* adscr. m. 2), *stercolum* 223. 4; *postolo*, 238. 11; *adolatio* 240. 8¹⁾.

H perperam additum est 148. 3. *hauserunt*, ex *auferunt* corruptum; *hisdem* legitur: 161. 1. 174. 7. 228. 12; 181. 5. legitur: *habundanti*; 290. 10. *helysii*. Contra 212. 1. scribitur: *actenus* et 243. 4. ubi Oehlerus edidit *isthic*, codex praebet *istic*, 257. 1. *exortaciones*.

c et *t* promiscue utitur scriba uterque, praecipue vero posterior: 155. 8. *actica*, 160. 9. *prestius* (pro *praescius*), 177. 7. *propiciatur*, 300. 7. *sentenciam*, 274. 10. *institucionibus*, 216. 1. *contemplacione*. — 217. 3. *mendatium*, 217. 9. *offitia*, 219. 2. *provincias*, 221. 1. *marti* pro *marci*.

d et *t* compluries permutantur: 117.6. 129.4. 146.6. 160.2. *quod* pro *quot*, 187. 5. *reliquid*^t (corr. m. 2), 225. 13. *regnassed*^r (corr. m. 2), 261. 4. *ad* pro *at*, 268. 6. *velud* (etiam AG) pro *vel ut*, 274. 3. 8. *adtamen* (corr. m. 2), 279. 4. *delitiscendi* pro *delitiscenti* (idem habent ABG Vind. Oa), 279. 5. *deliquendi* (A) pro *delinquenti*, 283. 10. *lutulendis*. Fortasse huc etiam referendum: 196. 1. *totum* pro *dudum*.

In scribendis compositis codex in his fere decedit a scriptura Oehlerii: 114. 16. *comperto*, 117. 13. *allegans*, 123. 13. *irrupunt*, 126. 1. *quenquam*, 141. 11. *imponitur*, 145. 5. (cf. 168. 2.) *iuppiter*, 147. 7. *comparasse*, 147. 9. *quenque*, 150. 1. *appetendo*, 156. 12. *aspectu*, 158. 5. *imponitis*, 158. 18. *allegandi*, 174. 5. *componi*, 205. 6. *aspiciam*, 206. *comperta*, 215. 20. *iniminentia*, 216. 1. *contemplacione*, 226. 2. *aliquandiu*, 227. 13. 228. 3. *obpugnant*, 236. 7. *iniminentem*, 248. 10. *repperiantur*, 275. 7. *impertiendum*, 297. 18. *optinere*, 298. 2. *optinuimus*.

Modo non ubique legitur *dampnare* et *dampnatio*. Praeterea 278. 13. 279. 5. *contempnere*, *solempnis* (v. c. 241. 2.), *mercennariam* 253. 4, et bis *edifico* (216. 10 et 264. 7.) contra 285. 8. *aedificator*.

Verba et syllabae male coniunctae vel prave separatae leguntur p. 154. 10. *si et ipsa inficia si erit*, pro *inficias ierit*, 157. 2.

1) Contra p. 114. 8. *obpignerasset*.

paret pro par. Et, 179. 2. insignes pro in signis, 252. 10. nec vitas pro ne civitas, 264. 3. le non est pro lenones, 266. 3 quod efactionibus pro quo de f. 268. 5. christianis et pro christiani sed, 278. 5. sine cesse pro si necesse, 279. 3. cum illa. sed pro cum illas et, 288. 8. deam maiestatem pro de animae statu 284. 3. apocarteres inoptavit pro apocarteresin optavit.

Codex Agobardinus.

In utilissimo libello, qui inscribitur: *Curarum Tertullianearum particulae tres*, vir doctissimus Max. Klussmann docte et prudenter disputavit de codice Agobardino, i. e. libro manu scripto, qui olim fuit Agobardi, episcopi Lugdunensis, Caroli magni filiorum aequalis, nunc vero asservatur Parisiis in *Bibliotheca Nationali*, notatus n. 1622. Is liber continebat olim, nam hodie truncatus est, XXIV libros Tertullianeos, scilicet XXI diversos tractatus, quorum IV etiamnunc desiderantur. Est liber optimus, ut qui nono saeculo p. Chr. n. recentior esse non possit, et solus exhibet, quamvis lacunosos, libros *ad Nationes*, quos ex illo primus edidit *Iacobus Gothofredus*, quorumque Klussmannus novam et accuratorem collationem in libello modo dicto publici iuris fecit. Qui ubi de libri fati disputat, verba Gothofredi ex praefatione editionis quae a. 1625 *Genevae* prodiiit in hanc sententiam adfert: *Codex hic, hanc in urbem (i. e. Genevam) Lugduno iam pridem perlatus, e bibliotheca Tornaesiana in manus meas anno (i. e. MDCXXIV Klusm.) pervenit, verum aspergine longoque situ extremis paginarum oris degustatus seu arrosus.* „In his verbis” — ita Klussmannus disserere pergit — „male me „habet, quod codex e bibliotheca tornaesiana Genevam pervenisse „dicitur. Bibliotheca enim tornaesiana Lugduni Batavorum fuit, „ut codex nescio quo casu primum Genevam, tum ad Batavos „migrasse, inde ad lacum Lemanum redisse videatur. Nam „Genevae quoque, quo codex iam pridem perlatus esse dicitur, „alteram quandam tornaesianam fuisse vix probabile est”. Equidem *Lugduni Batavorum* bibliothecae *Tornaesianae* nullum neque vestigium, neque memoriam repperi, ut sollemnis error, quo *Lugdunum Batavorum* et *Lugdunum Francorum* inter se confundi soleant, hic quoque obtinere videatur. *Ioannes* autem *Tornesius*,

filius *Ioannis*, doctus fuit chalcographus, e familia iu historia artis typographicae clarissima oriundus. Natus *Lugduni* in Gallia anno 1585 solum vertit et propter persecutiones, quae religionis causa tunc temporis in patria grassabantur, *Genevam* migravit. Satis igitur veri simile videtur, codicem, quoquo modo in manus *Tornesii* pervenerit, ab illo *Genevam* perlatum esse, — quae suspicio optime quadrat ad verba *Gothofredi*: *hanc in urbem Lugduno iam pridem perlatus* — itaque e bibliotheca *Tornesii* post mortem possessoris a *Gothofredo* esse comparatam.

In Bibliotheca *Lugduno-Batava* continetur editio operum *Tertulliani* curis *Pamelii*, „cum collatione cod. ms. *Agobardi*, manu *Iosiae Mercier* 1).” Notulae adscriptae sunt ad libros: *de testimonio animae*, *de oratione*, *de idololatria*, *de cultu feminarum*, *ad uxorem*, *de corona*, *de praescriptionibus adversus haereticos*, *de carne Christi*, *scorpiacum adversus Gnosticos*, *de exhortatione castitatis*, qui libri omnes in *Agobardino* leguntur. Ex libris ad nationes nihil adnotatum, quippe qui editioni *Pamelianae* (ed. *Antwerpiae* 1584) nondum fuissent inserti. Collationem re vera ex comparatione libri *Parisiensis* ortum esse, luculenter apparet ex eo, quod ea pars libri *Agobardini* quae hodieque superstes est, finem facit in c. X libri *de carne Christi* (Oehl. II. 445. 20) post verba *animae nostrae*. Ad eadem autem verba *Mercerius* observat: *huc usque ms. Agobardi*. Praeterea adnotationes *Mercerii* ad librum *de anima* incipiunt a p. 571 editionis *Pamelii*, ubi leguntur verba: *hic incipiebat ms.* In A enim quinque capita initii libri desiderantur cum sexti dimidia, ut incipiat tractatus *de anima* fol. 118b verbis *de minutiloquis* (Oehl. II. 564. 24.). Ad p. 584. vs. 10. *Pamelii Mercerius* adscripsit: *deeran duo folia in ms. usque ad pag. seq.* Ad eundem locum (Oehl. p. 599. 5) recentissimus editor adnotat: *post voc. opinor in A exciderunt duo folia integra*. Sequens folium incipit sub med. cap. XXVIII verbis *qui molliora mentitus est*. Eodem loco *Mercerius*: *hic rursus v(erba) c(odicis)*. Denique ad calcem libri idem adnotavit: *Tertulliani de censu animae explicit*, — quae subscriptio *Oehlerii*

1) *Iosias Mercier*, Sieur des Bordes et de Grigny, nê à Urès, mort à Paris, 5 Dec. 1626, protestant, conseiller d'état sous Henri IV. Sa fille ainée épousa le célèbre *Seuinaise*.

notis confirmatur — *ita est in ms. agobardino, quem contuli a. 1625. Eadem verba ad singulos libros, ad quos Mercerii collatio pertinet, repetuntur. Fortasse Mercerius, qui a. 1626 Nonis Decembribus Parisiis obiit, ibi codicem contulit, quem Iac. Gothofredus, libris ad Nationes editis (1625), Regiae Parisiorum Bibliothecae donaverat*¹⁾.

Post socerum gener eundem librum discussisse videtur. Tempus enim tulit editionis Gothofredi exemplar²⁾, quod inscripto nomine teste, quondam *Salmasii* fuit. In huius libri margine notulae conspiciuntur duabus manibus scriptae, quarum quae plures scripsit, procul dubio librum Agobardinum contulit. Exemplo sit c. 14. libri secundi, (Oehl. p. 388. 9.) *Adicite potius titulis Herculeis supra puellarum, uxorum, et fascias Omphales.* Gothofredus ediderat: *factas Omphales.* Oehlerus in adnotationibus: 23. *et fascias ego. et factas a. (Gothofr.) et foctas (Aβ) b.* ((Aβ) indicat collationem Baluzii, sed uncinis inclusa est, quod editori de scriptura non satis constabat, *b* editio *Rigaltii*,) *et facias AΦ* (collatio ab *Hildebrando* instituta.) Libri *Salmasiani* margo: *facias.* Ibidem vs. 12 Gothofr. *auctorate*, Oehl. *adorate*, adnot. Oehl. 27. *adorate Aβ, auctorate, (AΦ) ab.* Margo: *adorate.*

ib. vs. 13. Gothofr. *parri* — *Qui.* Oehl. *parricidiorum, qui.* Adn. 29: *parricidiorum γ.* (*γ* = supplementa Gothofredi), *parri* — *um AΦ, parri* — *m Aβ* — *parri a. parti b.* Margo: *parri* — *m, qui.*

ib. 389. 4. Goth. *recurasse* — *filius.* Oehl. *recurasse. Is Apollinis filius.* Adn. 34: *recurasse. Is Apollinis ego, recurasse, Apollinis γ, recurasse.* — *s Aβ, recurasse* — *ns AΦ, recurasse . . . b. recurrasse a. recurasse* — *nis A,* teste Gothofredo in secundis curis. Margo: . . . *nis filius.*

ib. 17. *γ* Gothofr. *adorent* Oehl. *adorent* Adn. 43: *adorarent Aβ.* Margo: *adorarent.*

Codex Luxemburgensis.

In bibliotheca publica, quae Luxemburgi est, servatur Cod. ms. Saec. XVI, cuius Oehlerus nullam fecit mentionem. Auctore

1) Cf. *Klasmann*. p. 9.

2) Ex libris *Ia. Vossii*. 192 In *Catal. Bibl. Lugd. Bat.* gerit numerum 754. B. 4.

bibliothecae praefecto, viro doctissimo Nic. Mullero, haec opera Tertulliani in eo continentur:

1. De carne Christi.
2. De carnis resurrectione.
3. De romana militia. (i. e. de corona militis.)
4. Ad martyres.
5. De poenitentia.
6. De virginibus velandis.
7. De habitu muliebri. (= de cultu feminarum I.)
8. De cultu feminarum.
9. Ad Uxorem.
10. De fuga in persecutione.
11. Ad Scapulam.
12. De exhortatione castitatis.
13. De monogamia.
14. De Pallio.
15. De patientia dei.
16. Adversus Praxean.
17. Adversus Valentinianos.
18. Adversus Marcionem.
19. De epistolis St. Pauli (= adversus Marconem l. V.)
20. Adversus Iudeos.
21. Adversus omnes hereses.
22. De prescriptionibus haeticorum.
23. Adversus Hermogenem.

AD PLINII EPISTOLAS.

VII. 24, 5. *Audivi ipsam, cum mihi commendaret nepotis sui studia, solere se — lazare animum lusu calculorum.* Infinitivus cum accusativo *solere se* non habet unde pendet. Ante eum omissum puto *dicentem*.

VII. 33, 1. *Auguror, nec me fallit augurium, historias tuas immortales futuras.* Pro *fallit* suspicor scribendum esse *fallet*.

I. C. G. B.

QUAESTIONES AD HISTORIAM SCENICAM PERTINENTES.

SCRIPSIT

J. VAN LEEUWEN J. F.

(Continuantur ex Vol. XVI pag. 438.)



IV. DE AESCHYLI ITINERIBUS SICULIS.

De itinere vel de itineribus, quae Aeschylus in Siciliam suscepit, plus semel est disputatum; difficilior tamen, nisi fallor, quaestio illa videtur quam est, propter virorum doctorum sagacitatem intempestive adhibitam ut conciliarent notitias quae inter se videntur pugnare nec tamen pugnant. Sic autem novas sibi ipsi creant molestias, quae quam sint graves optime apparebit si breviter indicavero quid Dindorfio acceiderit et Bernhardio, summis igitur viris et in historia litteraria exercitissimis.

Dindorfius (Poet. Scen.^s Proleg. p. 5^b supra) scribit: „Boeckhius „(*Graec. trag. princip. p. 51*) RECTE indicavit, Aeschylum non videri „ante Olymp. 77, 4 in Siciliam abiisse, quo tempore victus ab „Sophocle invenire esset”. — Idem autem (l. l. Aeschyl. p. 100) de Aetnaeis, quam tragoediam Aeschylus in Sicilia docuit, sic scribit: „RECTE [ab Hermanno ex verbis biographi] collectum „est, fabulam circa Olymp. 76, 1, quo tempore Aetnam condere „instituit Hiero, scriptam esse”. — Docuerit igitur Aeschylus in Hieronis aula fabulam octavo anno antequam illuc pervenit.

Bernhardius (Histor. Litter. II, 2 p. 227) de Aeschylō haec habet: „Dann begab er sich um Ol. 76 zum König Hiero . . . ; zur

„Weiche der neuen Stadt Aetna, die der König an Stelle des früheren Katana gründete, [id quod Ol. 76, 1 factum est, ut ipse Bernhardius in annotationibus observat] wurde von ihm ein „Lokalstück *Λιτναΐαι* gedichtet, und das FRÜHER gegebene Drama „Perser überarbeitet auf die Bühne der Hauptstadt [Syracusas in-„tellege] gebracht“. — Persas igitur, quam fabulam Athenis Ol. 76, 4 datam esse constat, retractaverit poeta quarto anno antequam scripsit.

Tales viri ubi talia proferunt, tutissimum videtur a testimoniis veterum non discedere, nisi forte error in iis deprehendatur adeo manifestus ut dubitandi nulla relinquatur opportunitas.

Videamus quid traditum acceperimus.

1) Aeschylus archonte Phaedone Ol. 76, 1 (a. 475) in Sicilia scenae commisit fabulam *Aetnaeas*. Cuius rei praeter ipsum fabulae nomen haec extant testimonia:

a) Vitae scriptor: *ἔλθων εἰς Σικελίαν, Ἰέρανος τότε τὴν Αἴτνην κτίζοντος, ἐπεδείξατο τὰς Λιτναΐας, ἰωνιζόμενος βίβν ἀγαθὴν τοῖς συνοικίζουσι τὴν πόλιν.*

b) Diodor. XI 48: *ἐπ' ἀρχοντος Ἀθήνησι Φαίδωνος Ἰέρων τὴν Κατάνην μετωνόμασεν Αἴτνην.*

2) *Persae* fabula Athenis data est Ol. 76, 4 (a. 472), teste notitia didascalica quae in Argumento superest.

3) Aeschylus petente Hierone Syracusis *ἀνεδίδαξε* drama suum *Persas*. Hoc duo testes affirmant:

a) Vitae scriptor: *Φασὶν ὑπὸ Ἰέρανος ἀξιοθέητα ἀναδιδάξαι τοὺς Πέρσας ἐν Σικελίᾳ καὶ λίαν εὐδοκιμεῖν.*

b) Schol. Aristoph. *Ran.* 1028: *Ἡρόδικός Φησι διττὰς γεγενῆσθαι τὰς καθέσεις (fabulae Persarum), καὶ τὴν τραγῳδίαν ταύτην περιέχειν τὴν ἐν Πλαταιαῖς μάχην. δοκοῦσι δὲ οὗτοι οἱ Πέρσαι ὑπὸ τοῦ Αἰσχύλου δεδιδάχθαι ἐν Συρακούσαις, σπουδάσαντος Ἰέρανος, ὡς Φησὶν Ἐρατοσθένης ἐν γ' περὶ κωμῳδιῶν.*

Verba haec sunt *Didymi*, ut patet ex breviori redactione huius annotationis, quae statim in scholiis subiungitur; haec enim praefixum habet *Didymi* nomen. Scripta autem est *Didymi* observatio postquam loci Aristophanei textus ita est depravatus

ut hodie circumfertur. Ambigeus igitur de sensu verborum corruptorum ἡνίκ' ἤκουσα περὶ Δαρείου τεβνῆωτος, Didymus primo observat, in Persarum fabula illa, quae hodie superest ¹⁾, Darii mortem non nunciari; deinde Chaeridis (qui Apollonii sophistae fuit pater, cf. schol. Vesp. 1231) absurdam quaedam explicatouem refutat; tandem subicit ea quae supra excipsi; haec autem sic sunt interpretanda:

Herodiscus [in Κωμωδομύθοις] dicit Persarum duas extitisse recensiones, et in altera illa recensione etiam de pugna Plataeensi fuisse relatum. Atqui illa quam Herodiscus spectat editio videtur Syracusis data esse petente Hierone; testis est Eratosthenes in Commentariis de Comoedia.

Itaque sic argumentatur Didymus: dixerit aliquis, Herodici fretus auctoritate, duplicem extitisse olim Persarum editionem, et in altera illa, quae etiam pugnam Plataensem complectebatur et nostris igitur Persis fuit dissimillima, fortasse lecta fuisse ea quae comicus respicit Ranarum loco l.; atqui fabulam ita retractatam non Athenis sed Syracusis datam fuisse scimus ex Eratosthenis libris, itaque fieri non potest ut Aristophanes in scena Attica ad posteriorem illam recensionem alluserit.

Prudenter profecto et allatis testibus a Didymo haec sunt observata. Qui vero hinc extundunt, *nostram*, quam hodie manibus terimus, Persarum fabulam Syracusis esse datam, delirare faciunt Didymum. Nuper v. d. I. Schoenemann contendit Aristophanis loco scribendum esse ἡνίκ' ἀπηγγέλθη περὶ Μαρδονίου τεβνῆωτος, idque ab Eratosthene et Herodico lectum esse ²⁾; cui coniecturae me non adstipulari ex iis quae supra posui apparet. — Eleganter Fritschius, quem sequitur Blaydesius, correxit: ἐχάρην οὖν τῇ νίκῃ ἀκούσας παρὰ Δαρείου τεβνῆωτος.

4) Denique scimus Aeschylum Ol. 81, 1 (= 455) Gelae mortuum esse et sepultum. Cuius rei minime dubiae testimonia h. l. excribere supersedeo.

1) Inter se l. l. opponuntur a Didymo οἱ φερόμενοι Πέρσαι, id est ea quae superest Persarum editio, et οὗτοι οἱ Πέρσαι, αὐτὴ ἡ τραγῳδία, id est illa recensio de qua Herodiscus loquitur.

2) Vid. Mus. Rhen. 1887 p. 471.

Ex his quae attulimus apparet:

A) Aeschylus sub Aetnam conditam in Siciliam venit, anno igitur 476.

B) Deinde Athenas redux ibi anno 472 Persas docuit.

C) Secundum iter suscepit vivo adhuc Hierone, quo petente Syracusis Persarum fabulam docuit ita retractatam ut etiam Plataensem victoriam complecteretur. Post annum igitur 472, sed ante mortem Hieronis, qui anno 467 diem obiit supremum, denuo visit Siciliam. Causa autem fabulae ita auctae haec esse potuit, quod poetae in unum drama coniungenda essent quae antea in trilogia tractaverat.

D) Post secundum iter siculum Athenis docuit fabulam Septem c. Th. anno 467 et Orestiam anno 458.

E) Tertium in Siciliam se contulit post Hieronis mortem, anno 458 ut videtur, et altero tertiove abhinc anno Gelae fato functus est, annos natus undeseptuaginta.

Cur vero Aeschylus sub vitae finem solum verterit non obscurum videtur. Nam propter Eumenidas drama eum ἀσεβείας accusatum esse fama fuit, quam mirifice quidem exornarunt posterius, sed quominus de nihilo fictam censeamus obstat Aristotelis et Heraclidis Pontici auctoritas; — scimus praeterea Aeschylum in Orestia partibus Cimonis se addixisse; scimus denique ipso hoc anno, quo patriam suam reliquit, rem publicam graviter aestuasse, et Cimonem civitate pulsum, adversarium eius Ephialten vi necatum esse: — haec componenti dubium vix relinquitur quin ideo solum verterit Aeschylus quod popularibus suis οὐκ ἐτι συνίβη, ut Aristophanis (Ran. vs. 807) verbis utar..

Ter igitur ad minimum Aeschylus in Siciliam traiecit; sed prorsus nihil obstat quominus saepius etiam hanc insulam et Hieronis aulam eum visitasse credamus. Aetnae eruptionem si ipse vidit, ut quidam putant propter Prometh. vs. 368 sqq., etiam anno 479/8 (Ol. 75, 2) in Sicilia fuisse censendus est.

Haec vero, quae constare vidimus, sufficiunt ad quosdam errores redarguendos. Quorum primus hic est.

Biographus postquam narravit Aeschylum Aetnaeas in Sicilia docuisse, sic pergit: καὶ σφόδρα τῷ τυράννῳ Ἰέρωνι καὶ τοῖς Γελοίοις τιμηθεὶς, ἐπιζήσας τρίτον ἔτος ὧν ἑτῶν πεντὴ (immo ἐνεία) πρὸς τοῖς ἐξήκοντα γηραιὸς ἑτελεύτα τοῦτον τὸν τρόπον. Sequitur narratiuncula de causa mortis.

Plures ad haec emendanda patent viae; sed simplicissimum videtur statuere, praeter numerale illud (€ leg. Θ) nihil esse corruptum, illum autem, qui haec parum prudenter concinnavit, primum iter siculum cum ultimo confudisse, cum praesertim Hieronem coniunctum cum Gelois nominet.

Ridicula autem fabella de aquila testudinem in calvi poetae caput deicientis, ut de hac in transitu quaedam observem, ipsum ni fallor Aeschylum habet auctorem. Vide enim quid tragicus commentus fuerit de Ulixē, cui mortem ἐξ ἄλλοις venturam esse cum Tiresias apud Homerum (λ 134) praedixisset, obscurum illud vaticinium alius aliter exornavit: *raiae pastinacae spina* a Telegono filio sibi ignoto interentum esse Ulixem finxit Eugammon in Epico Cyclo, quem Sophocles in Niptris secutus esse videtur; Aeschylus vero in *Ψυχάγωγός*, dramate satyrico ¹⁾, hanc mirificam dedit interpretationem:

Ἐραθίδος γὰρ ὑψόθεν ποτώμενος
 ἐνόη σε πλῆξει, κηδύος χιλώμασιν·
 ἐκ τοῦδ' ἄκανθα ποντίου βοσκήματος
 σήψει παλαιὸν δέρμα ²⁾ καὶ τριχορρούς.

Quem locum affert schol. Hom. l. l.; ipsa autem verba egregio acumine restituit Valckenaerius Diatrib. p. 286. — Admodum insulse excogitata est ardea illa in Ulixis caput merdam deiciens cui insit spina piscis devorati, mox luem sanguini herois illatura; indignum profecto est hoc inventum ingenio Aeschyli; non tamen ut carperem id attuli sed ut indicarem quam sint similia hoc mortis genus atque illud quo ipse poeta abreptus esse fertur: in utrumque enim ad amussim quadrat vaticinium, quod Aeschylō datum esse contendit biographus: οὐράνιον σε

1) Satyricum fuisse drama ex ipso hoc loco satia apparet; *νέκυια* Homericam iocose expressit tragicus, ut *νεκλώπιαν* Euripides in Cyclope fabula.

2) Ni fallor legendum *βρέγμα* (*occiput*). Aeschylus ipse certe *αίεροσ* ἐξ *ὀνόχων* *βρέγμα τυπός* ἔβανεν. Conferatur etiam Strattidis de Creoutis calva iocus fr. 34 (Mueem. 1888 p. 275).

βίλος κατακτενεῖ. Itaque sic iudico: comicum aliquem finxisse ridiculam hanc causam mortis Aeschyli, usum ipsius Aeschyli ludicro invento. Haud dissimilis est fabella de Eupolidis morte, qui ab Alcibiade mari mersus esse ferebatur propter *Βάπτας* comoediam, qua Alcibiadem ipsum *ἔβαψε* sive *πλυὸν ἐποίησεν*¹⁾. Sed haec hactenus.

Alter error hic est. Plutarchus in vita Cimonis c. 8 (p. 483e) tradit, Aeschylum anno 468 archonte Apsephione (Ol. 77, 4) a Sophocle iuvene victum Athenas reliquisse et in aulam siculam se contulisse. Quoniam vero anno sequenti, archonte Theagenide, Aeschylus fabulam Septem c. Th. Athenis docuit, vanam a Plutarcho referri fabellam patet, cui olim, cum didascaliam τῶν *ἑπτὰ* ignoraretur, a multis fidem esse habitam non miramur: id magis est mirandum, a Dindorfio in Proleg. Poet. Scen.² pag. 5^b med. eam etiamnunc defendi.

Nam dubium non videtur quin Plutarchus in eundem inciderit errorem quo biographum implicatum fuisse modo vidimus, nempe ut duo confunderet itinera; et quid eum in hunc errorem induxerit perspicere mihi videor. PROPTER CIMONIS IUDICIUM Aeschylus sub vitae finem solum ferebatur vertisse, et recte quidem ferebatur, si modo cogitamus iudicium illud tesserarum, quo Cimon anno 459 pulsus est; haec enim res in causa fuit cur tragicus grandaevus Athenis diutius commorari nollet. At prorsus aliud „Cimonis iudicium” Plutarchus nostro loco commemorat, nempe iudicium quo Cimon Sophoclem iuvenem Aeschylo anteposuit in certamine tragico anni 468. Quod postquam Plutarchus rettulit sic pergit: *νικήσαντος δὲ τοῦ Σοφοκλέους λέγεται τὸν Αἰσχύλου περιπαθῆ γενόμενον καὶ βαρέως ἐνεγκόντα χρόνον οὐ πολὺν Ἀθήνησι διαγαγεῖν, εἴτ' οἴχεσθαι δι' ὄργην εἰς Σικελίαν, ὅπου καὶ τελευτήσας περὶ ἑλάν τέθαιπται*.

Plutarchus igitur in fonte, quem male lectum aut intellectum excerpit²⁾, haec fere invenerat: *μετὰ δὲ τὴν Κίμωνος κρίσιν ὁ Αἰσχύλος περιπαθῆς γενόμενος καὶ βαρέως ἐνεγκὼν χρόνον οὐ πολὺν Ἀθήνησι διήγαγεν, εἴτ' ὄχετο δι' ὄργην εἰς Σικελίαν, ὅπου καὶ*

1) Cf. Meinek. Hist. Comie. p. 119.

2) Stesimbrotum Thesium puta; vid. Plutarch. Cimon. c. 14, ubi alia quaedam „Κίμωνος κρίσις” ex Stesimbroti auctoritate enarratur.

τελευτήσας περὶ Γέλαν τίθαπται. — Haec autem ad amussim vera sunt; nam post Cimonem ostracismo pulsum Aeschylus aliquantisper remansit Athenis, deinde in Siciliam abiit.

Tertius error manifestus hic est. Biographus scribit: ἀπῆρε δὲ ὡς Ἴέρωνα, κατὰ τινὰς μὲν, ὑπὸ Ἀθηναίων κατασπουδασθεὶς καὶ ἡσσηθεὶς νέῳ ἔντι Σοφοκλεῖ, κατὰ δὲ ἑνίους, ἐν τῷ εἰς τοὺς Μαρθῶνι τεθηκότας ἔλεγείῳ ἡσσηθεὶς Σιμωνίδῃ. De prior opinione quid sit statuendum modo vidimus, nunc posterior est consideranda. Quam temporum rationibus damnari quivis statim videt; cum tamen prudens, quam statim afferam, de Aeschyli arte subiungatur observatio, non a sciolo ficta haec videntur, sed ex bono et antiquo fonte parum accurate excerpta esse. Uno autem anno antequam Aeschylus in Siciliam abiit, archonte Adimanto (a. 477/6), Simonides octogenarius vicit; sed carmen quo tunc vicit non fuit elegia illa in libertatis propugnatores, quam decimo quarto anno fecerat ante, sed ἀνδρῶν χόρῳ tunc praemium rettulit, ut ipse testatur in epigrammate (schol. Hermog. p. 410, fr. 148 Bergk):

ἤρχεν Ἀδείμαντος μὲν Ἀθηναίοις, ὅτ' ἐνίκα
 Ἄντιοχὸς Φυλῆ θαιδάλεον τρίποδα.
 Ξεινοφίλου δὲ τέθ' υἱὸς Ἀριστείδης ἔχορήγει
 πεντήκοντ' ἀνδρῶν καλὰ μαθόντι χορῶ.
 ἀμφὶ διδασκαλίῃ δὲ Σιμωνίδῃ ἔσπετο κῦδος
 ἐγδακονταέτερι παιδὶ Λεωπρέπεος.

Itaque duae notitiae, quas ambas veras esse nihil obstat quominus credamus, in unam eamque perabsurdam confluerunt:

a) Aeschylum simul cum Simonide certavisse elegia in Marathonomachos et ab eo victum esse, quia τὸ ἔλεγείον πολὺ τῆς περὶ τὸ συμπαθὲς λεπτότητος μετέχειν θέλει, ὃ τοῦ Λισχύλου ἐστὶν ἀλλότριον, quae sunt biographi verba l.l. — Aeschyli autem elegiam legerat Glaucias rhetor, quem citat Plutarchus Mor. p. 628e.

b) Aeschylum simul cum Simonide, id est eodem fere tempore, in Siciliam abiisse (vid. Pausan. I 2 § 3), cum Simonides Athenis brevi ante vicisset choro cyclico. Eodem enim anno quo Aeschylum, Simonidem venisse Syracusas inde efficitur quod brevi post (a. 476/5) Simonides Hieronem et Theronem ad foedus ferendum nuptiisque stabiliendum permovit (schol. Pind. Ol. II 29).

Quartus error restat confutandus. Inter causas itineris siculi biographus hanc quoque profert: *τινὲς δὲ Φασιν ἐν τῇ ἐπιδείξει τῶν Εὐμενίδων σποράδην εἰσαγαγόντα τὸν χορὸν τοσοῦτον ἐκπλήξαι τὸν δῆμον ὡς τὰ μὲν νήπια ἐκψῦξαι τὰ δ' ἔμβρυα ἑξαμβλωθῆναι.* Ne huic quidem narratiunculæ fidem historicam hodie facile tribuat quisquam¹⁾; nec tamen delendam censeo, quod suavitatis Dindorfius, neque in alium locum transponendam, quæ Nauckii est opinio; sed omnino assentior Boettigero²⁾ ex comoedia aliqua³⁾ desumptam videri. Pueruli illi animam edentes feminaeque abortum facientes, dum furis Aeschyleis exterrerentur, non in spectatorem subselliis visi sunt, sed in scena commemorati. Manifestus autem in verbis biographi est color poeticus, et metri anapaestici vestigiaprehendere mihi videor.

A vitae scriptore tres afferuntur opiniones de causa quæ Aeschylum moverit ut patriam relinqueret: omnes esse falsissimas iam perspeximus. Aequum tamen est observare ipsum quoque biographum non multum iis tribuisse, qui sic pergat: *ἰθὺν τοίνυν εἰς Σικελίαν κτλ.*; id est: *quo consilio ierit pro certo affirmare non possum, sed qua occasione scio, et scio quo anno.*

Verbo tangendum est denique quartum commentum. Suidas narrat sub v. *Πρατίνης*, hunc tragicum Olympiade 70^a cum Aeschylo et Choerilo certasse, et tunc(?) corruisse τὰ ἴκρια, theatrum enim lapideum tunc temporis nondum fuisse; in voce *Λίσχύλος* autem refert Aeschylum in Siciliam confugisse cum se fabulam docente concidissent tabulata. In has igitur notitias, quæ unius instar habendæ videntur, Aeschyli nomen per errorem irrepsisse iudico; fortasse nominandus erat *Phrynichus*, nam hunc quoque tragicum in Sicilia obiisse anonymus in prolegomenis de Comoedia narrat.

1) Licet Pollux IV 110 quasi rem inter omnes exploratam referat.

2) De furiarum pers. p. 3. — Item Kiehlins Muenos. 1852 p. 373.

3) Ex Phœrocratis fortasse Cræpatalis, fortasse ex Aristophanis Gerytade. Huius certe comici iuenta satis multa in historiam litterariam transierunt; nihil magis festivum vidi quam id quod in Aristophanis vita de rege Persarum narratur ex Acharn. 649 desumptum; risum quoque movet Euripidis biographus, qui dum mortem tragici refert, nescit se Aristophanis Thesmophoriazusas enarrare; notissimus quoque est Sophocles *παρνοσίας* a filio accusatus, quam litem non apud Sophoclis curiales sed in Aristophanis *Δράμασιν* actam esse perspexit G. Hermannus.

OBSERVATIUNCULAE DE IURE ROMANO.

SCRIPSIT

J. C. NABER S. A. FIL.

(Continuantur ex Vol. XVII pag. 409.)

V.

DE ERRORIBUS QUIBUSDAM ROMANORUM CIRCA PROBATIONUM MATERIEM.

Convenerunt nuper iurisconsulti Batavi (*Nederlandsche juristen-vereeniging*) ut communiter quaerent, iurene constituendo plenam probandi vim obtinere deberet ea cautio, quae *indiscrete loquitur*, quum legibus quibus hodie in his terris utimur aliter constitutum esse videatur. Ibi tunc praeceptorum meo viro clarissimo J. P. Moltzer, antecessori Amstelaedamensi, et mihi praemonendi munus mandatum fuerat; sed secundum receptum morem primus surrexit is qui contionem habebat Amstelaedamensium advocatorum decus E. N. Rahusen, qui quum collegas salutaret id maxime optandum esse contendit ne iuris nostri emendatio Romani iuris caeco amore et nimia admiratione impediretur; neque enim omnia quae ex vetustis fontibus haurirentur, nostris hominibus satis convenire nec pauca ex iis quae olim constituta essent, mutari debere, ut leges nostrae cum nostris moribus congruerent. Quod ego felix omen esse ratus, strenue contra ius Romanum pro cautione quae *indiscrete loquitur* pugnavi quumque collega meus et praceptor J. P. Moltzer mediam quamdam sententiam defenderet, auxilio inprimis usus sum advocati Amstelaedamensis J. A. Levy, viri consultissimi.

Doctrinam iuris Romani in hac utique parte facile depelli posse credideram quoniam eorum qui ius illud in scholis docent praeter me ipsum nemo aderat, ut derelictae causae patrocinium susciperet; nam M. Conrat, Amstelaedamensis antecessor et H. L. Drucker, Leidensis, viri clarissimi nomen non dederant, Groninga ab antecessore tunc vacante. Prorsus necopinato spe excidi. Etenim quotquot iudices et causarum patroni aderant, qui non in umbra scholae latitant, sed forensibus negotiis districti sunt, et in ipso conventu et in confabulationibus quas ne in littore quidem maris intermisimus, ad quod animi relaxandi causa descenderamus, hi igitur omnes ne tunc quidem destiterunt, argumenta mea impugnare et iugiter steterunt pro iure Romano, uno ore clamantes actum esse de nostro iure, si ex cautione quae *indiscrete loquitur* permittatur agi: inter quos honoris causa supremae nostrae Curiae iudicem F. B. Coninck Liefsting item advocatum Amstelaedamensem C. A. Cosman viros consultissimos nomino. Excepto viro consultissimo J. A. Levy inter eos qui in foro versantur solus vir clarissimus T. M. C. Asser advocatus et antecessor Amstelaedamensis privatim significavit se mecum facere. Itaque quum in suffragium itum esset, perpauci ab iuris Romani auctoritate desciverunt, meamque provinciam a me quodammodo indecore relictam contra me ipsum obtinuerunt. Haec ideo retuli quia numquam intelligere potui, quam ob rem cautioni, quae *indiscrete loquitur* fidem habendam Paulus negaverit (l. 25 § 4 D. 22. 3). Nam si *eum (stare) oportet suae confessioni*, qui in ipsa cautione *causas explanavit pro quibus eandem conscripsit* (l. 25 § 4 cit.), quare non stetur eius confessioni, qui nulla causa expressa simpliciter se debere scripserit? Quod enim de illo legimus, *nimis indignum esse [ut] quod sua quisque voce dilucide protestatus est, id in eundem casum infirmare testimonioque proprio resistere*, (c. 13 C. 4. 30) in hoc aequae valet. Sin quis dicat, quod in nostrorum iurisconsultorum consensu multi dixerunt, causa non adiecta diiudicari non posse, utrum quis vere sit creditor an dolo quodam creditorem se simulet, nec adiecta causa diiudicari potest, nisi aliunde probetur, nam facillimum est causam quamdam fingere, quae vera non sit. Aut igitur omnibus cautionibus fides habenda est, aut nulli. Quod Iustinianum non perspexisse,

olim valde miratus sum, nunc minus miror, postquam comperi hodie quoque in Hollandia multos intelligere id non posse. Quumque olim magis credidissem interpolatum a Triboniano fuisse id quod (l. 25 § 4 D. 22. 3) Paulo acceptum ferri vidimus, nunc subsisto, nam ibi errare potuisse Paulum fatendum est, ubi hodie quoque a plerisque erretur. Accedit quod Gaius habet (III § 134): *si quis debere se scribat*, inter cives Romanos *obligation(em non) fieri*. Nam quis credat in libro inventuti dicato eum additurum non fuisse, talem cautionem etsi non inducat obligationem tamen obligationis factae probationem inducere, si tute hoc addere potuisset? Id magis quaeri potest, utrum Pauli sententia omnes cautiones comprehendat, id est et eas quibus simpliciter se debere quis scripserit et eas quibus eo nomine stipulationem factam contineatur. De qua re nunc non disputo quum magis pertineat ad obligandi vim, quam habet stipulatio, quam ad probandi vim quam habet cautio.

Non fuit autem solus Romanorum error circa probationum praesumptionumque materiem, quem hucusque demonstravi. Turpius etiam erraverunt in ea cautione quae discrete quidem loquitur, id est qua debitor significat quam ob causam debeat, sed ideo debere se scribit quod pecuniam mutuan a creditore sumpserit. Nam si postea neget pecuniam sese accepisse, creditori id probandum esse existimaverunt, quamquam id neque semper neque omnibus placuerit. Iustinianus quidem in Codicis titulo, ubi data opera *de non numerata pecunia* (4. 30) agitur, contrariae sententiae vestigia sive interpolando sive omittendo vetustiorum imperatorum decreta delevit, sed extra hunc titulum passim supersunt. Recte olim Severus et Antoninus rescripserunt, c. 1 C. 8. 32 (33):

si pecuniam tibi non esse numeratam atque ideo frustra cautionem emissam et pignus datum probaturus es, in rem experiri potes (scilicet ut falsus creditor rem pignoratam restituat).

quam eandem constitutionem sub nostro titulo (c. 1 C. 4. 30) invenies, sed ita interpolatam ut creditori onus probandi incumbere videatur, ubi reus neget pecuniam mutuan datam esse:

si pecuniam tibi non esse numeratam atque ideo frustra cautionem emissam adseris etc.

Ceteros locos non perlustrabo, cum res sit omnibus notissima, de qua nulla dubitatio oriri potest, nisi tempus quaeras quo prava interpretatio irrepserit. Irrepisse versus finem Caracallae opinio est Henrici Rudolphi Gneist (*die formellen Verträge des neueren römischen Obligationenrechts* p. 275 sq.), quo nemo doctius aut copiosius hac de re umquam disseruit; certe prioribus Caracallae temporibus nondum irrepserat, uti apparet ex huius imperatoris rescripto, quod est hodie c. 1 C. 4. 7:

si ex cautione tua conveniri coeperis, nullam te pecuniam accepisse probandum est et eo impleto absolutio sequetur.

Itaque persuadere mihi non possum, interpolatam non esse Severi et Antonini constitutionem (c. 1 C. 5. 15):

dotem numeratio, non scriptura dotalis instrumenti facit: et ideo non ignoras ita demum ad petitionem dotis admitti te posse, si dotem a te re ipsa datam probatura es (fuit fortasse: si dos a te re ipsa data fuerit).

Nam, qui fidem denegandam non putet iis cautionibus quibus pecuniam mutuam datam esse scriptum sit, is haud magis eam cautionem improbabat, qua dotem datam esse contineatur. Novimus autem ex c. 1 C. 8. 32 (33) quam supra adhibui quid de illo cautionum genere Severus et Antoninus senserint, unde potest coniectura capi in hoc quoque genere eos non errasse. Triboniani manus effugere haec constitutio non potuit propter viciniam c. 3 C. 5. 15.

Missos nunc facio ipsius Iustiniani errores, quorum quasi monumenta exstant c. 14 C. 4. 30 et c. 3 C. 5. 15; propero enim ad longe antiquiorem errorem quo nondum nisi fallor viri docti attenderunt. Error est Divi Pii, quumque ad obligationum probationem ii errores pertineant, de quibus hucusque retuli, hic pertinet ad dominii adquisiti probationem. Notum est traditione dominia rerum transferri, nec mancipi si fuerint, ipso iure civili, mancipi si fuerint, opem ferente Praetore. De traditione autem quomodo constet? Crederes sufficere, si instrumentum proferatur, quo scriptum fuerit in vacuum possessionem emptorem eumve cui donatur inductum fuisse, dummodo possederit venditor vel donator. Contrarium Divo Pio visum esse ex eo apparet, quod ex ipsius constitutione tale instrumentum

probandi vim habiturum non fuerit nisi inter parentes et liberos. Quam constitutionem his verbis repetunt Diocletianus et Maximianus (Vat. Fr. § 314):

in filium a patre donationum conscriptis instrumentis, si cum in vacuum inductum possessionem horum lectio manifestet, ceterum de dubia facti quaestione divus Titus Antoninus parens noster, necessarii sanguinis rationem eius consortii, quod nascendi tempore liberis et parentibus datur, cogilans non admitti scrupulosam inquisitionem statuit.

Idem Paulo placuisse, ideo crediderim quia ipse quoque de traditionis probatione quaedam chartae mandavit quae vix mandasset, nisi instrumentum, quo contineatur in vacuum possessionem inductum fuisse emptorem, flocci habuisset. Scribit enim (V. 11 § 2):

probatio traditae vel non traditae possessionis non tam in iure quam in facto consistit; ideoque sufficit ad probationem, si rem corporaliter teneam.

Id igitur innuit, quod nec venditori noceat instrumentum traditae possessionis, si rem corpore teneat, neque emptori opus sit, si ipse possideat. Instrumentum igitur quo de agitur aut nihil proficiet emptori aut supervacuum ei erit. Nihil proficiet, si venditor, supervacuum erit, si ipse possederit. Quod supra (*Mnem.* XVII p. 407) inter eas causas retuli, quibus effectum est ut mancipatio, posteaquam mancipi rerum traditio Edicto Praetoris roborata fuit, diu superviveret.

Melius hinc intellectum iri spero duas Constantini Magni constitutiones, quarum altera nobis integra servatur in Vat. Fr. § 249 (5), obtruncata in Codice Theodosiano (c. 1 C. Th. 8. 12), altera non exstat nisi in Codice Theodosiano (c. 2 C. Th. 9. 19); nam quae ex utraque migrarunt in Codicem Iustiniani non ad nostram quaestionem pertinent. Priore igitur constitutione praescribitur res donatas tradendas esse advocatis et praesentibus vicinis, cuius rei ratio redditur, quod

in (corporalem traditionem) multi talia simulando inrepentes, aut vi¹) corpora capientes, solemne illud ius ac voluntarium inconcessa usurpatione praeripiunt.

1) Ex coniectura Philippi Eduardi Huschke. Ceterae edd.: *velut*.

Id est, nisi fallor, multi res alienas vi aut clam occupatas, deinde dicebant, traditas sibi fuisse. Quod non potest intelligi, nisi sumas Constantini quoque temporibus idem placuisse, quod Paulo placuisse vidimus, nempe ad traditionis probationem sufficere, quod quis possideat, instrumentorum in hac parte rationem nullam haberi. Itaque non videtur de traditae possessionis instrumentis sensisse Constantinus in altera constitutione, cuius hic tenor est:

cum in praeterito is mos in iudiciis servaretur ut prolatis instrumentis si ea falsa quis diceret, a sententia iudex civilis controversiae temperaret, . . . commodum esse duximus, ut etsi alteruter litigantium falsi strepitum intulisset petitori tamen possessorive momentum prolatorum instrumentorum conferret auctoritas: ut tunc civili iurgio terminato, secunda falsi actio subderetur.

Momentum quum sit idem atque *possessio* (de qua re conferendus est Bruns, *Besitzklagen* p. 87 sqq.), sensus hic est. Licet falsa dicantur instrumenta, tamen rei vindicatio sustinenda non est, donec de crimine iudicetur; sed ita pronuntiandum acsi talis quaestio non incidisset. Hanc enim seorsum tractari imperatori commodum visum est. Instrumenta autem intelliguntur mancipationis, aut, quod malim, venditionis; nam traditae possessionis instrumenta, etiamsi maxime genuina sint, tamen ad traditionem probandam vim nullam habent, neque possessionem sive *momentum* horum potest conferre auctoritas. Aliud dicendum est de venditionis instrumentis, haec enim licet non efficiant rem vere traditam fuisse, tamen ostendere possunt, a domino pervenisse ad alterum utrum litigantium. *Pertinent enim ad probationem originis* domini nostri (c. 24 C. 6. 42). Accedendum igitur est ad sententiam Gothofredi notantis intelligi nostro loco *auctoritatis instrumenta*, id est *instrumenta emptionis* (l. 43 pr. D. 13. 7). Quam sententiam quum argumentis ille non firnaverit, virorum doctorum examini mea submittere, quid vetare possit, non adsequor.

Scribebam Traiecti ad Rhenum mense Octobri 1889.

AD HORATII SAT. L. I, 6 vs. 9 ET 17 sqq.

SCRIPSIT

J. B. KAN.

(Continuantur ex Vol. XVII pag. 417).

Ad alterum Horatii locum (v. 17 sqq.), quem Speyerus emendasse sibi videtur, pergendum est.

De hoc versu cum me in summam expectationem adduxisset scriptor, quamvis eruditus sit sicut est, deseruit. Etenim iam subtiliter magis quam dilucide eum disseruisse arbitror. Feci mebercule quod debui: argumenta diligenter ponderavi, sed nescio quomodo, dum primum legebam assentiebar, cum posueram libellum et mecum cogitare coeperam, assensio omnis illa elabebatur. Sic nunc quoque neque quam sententiam obtinere statuit auctor obtinuisse neque aliquid assecutum reor cum dempto interrogationis signo (v. 18) *quid in quod* (v. 17) mutari iuberet. Immo tantum abest ut verba a corruptelae sordibus purgata correxerit, ut verear ne in deterius mutaverit. Quandoquidem multas rationes affert quibus velle ceteris, sibi certe persuasisse videatur, ne notioribus quidem et illustrioribus carere potero ut pateat cur subinde alia omnia sentiam.

Atque plura non satis explorata et obscuriora. Huc pertinet quaestio gravissima iam pridem ab interpretibus, a Speyero nequaquam tractata, de modo quo verba vs. 14 distinguenda sint. Qua de re quid statuerit, si quidem ad rem nostram haud parum faciat, versuum, quos translatos edidit, vestigia secutus efficere conabor. In argumentis latine reddendis me fidem servaturum neque tamen verbum e verbo expressurum vix est quod moneam. Ceterum veritatis quam contentionis cupidior hoc bellum moveo, ut studia Horatiana promoveam, quae numquam tanto in honore fuissent nisi doctissimorum (doctores mihi volo, Ciceroni furtum, ut supra, faciens) contentionibus viguissent.

Ut de verborum contextu constaret, quemadmodum Speyerus versus Neerlandicos ad calcem huius schœdæ typis exscriptos incidit, sic ego Latinos distinxî.

Vas. 6—22

Cum referre negas, quali sit quisque parente
Natus dum ingenuus ¹⁾, persuades hoc tibi vere
[Ante postestatem Tilli atque ignobile regnum]
Multos saepe viros nullis maioribus ortos
Et vixisse probos amplis et honoribus auctos,
Contra Laevinum, Valeri genus, unde Superbus
Tarquinius regno pulsus fugit, unius assis
Non umquam pretio pluris licuisse, notante
Iudice, quo nosti, populo, qui stultus honores
Saepe dat indignis et famae servit ineptus,
Qui stupet in titulis et imaginibus. Quod ²⁾ oportet
Nos facere a volgo longe longeque remotos.
Namque esto, populus Laevino mallet honorem
Quam Decio mandare novo censorque moveret
Appius, ingenuo si non essem patre natus,
Vel merito, quoniam in propria non pelle quiessem ³⁾.

1) Sabicio adnotationem Cruquianam, in part. I praetermissam: Hic accipitur pro generoso et egregio, qui proprie γενναῖος dicitur. Ostendit enim Horatius Maecenatem non tanti facere nataleis, quantum generositatem animi, inxta illud Phalaridis, ἐγὼ δὲ μὴν εὐγένειαν εἶδα τὴν ἀρετὴν οὐκ.

2) Nil impedit quominus imaginibus: quod vel im., quod legatur.

3) Sermone patrio Or. pp. 22, 23, 28:

Zeker, wanneer ge beweert, dat de stand van den vader niet afdoet,
Zoo maar de zoon, dien men eert, niet onvrij geboren is, hebt gij
In zooverre gelijk, dat vaak, schoon adeldom dervend,
Brave, verdienstlijke mannen aanzienlijke posten verkregen,
Maar dat een nul, een Laevinus, hozeer hij in rechte lijn afstamt
Van dien koningsverjager Valerius, nooit heeft gegolden
Meer dan de duit, die hij waard was, en dat nog wel in de schatting
Van dat volk, welks keuzen gij kent, dat slaaf van vooroordeel
Dwazelijk cerambten schenkt, daar het afgaat op ijdel glorie,
En zich vergaapt aan klinkenden naam, aan hooge geboorte.
Reden te meer voor mij om van volkskeus verre te blijven.
Want, neem aan eens, men had Laevius het cerambt gegeven,
Niet vriend Decius, of ik waar' door den censor gestooten
Uit den Senaat, waar ik om den stand van mijn vader niet thuis hoor,
't Zou zijn loon naar verdienste, daar 'k niet bij mijn' leest was gebleven.

Speyero porro supervacaneum sibi videri ait audientes in memoriam consuetudinis ac familiaritatis, quae inter Horatium et Maecenatem fuit, reducere altiusve rem repetere. Quod cum multo magis valeat de iis qui haec legent, de paucis tamen ab auctore prolatis meo vel Horatiano more referam — nec verbum verbo reddere fidus interpretis curabo.

Quam Camenae, inquit, eandem morum elegantiam cernimus in amicitiae usu.

Homo libertino patre et in tenui re natus, fervidus iuventa Bruti partes secutus erat. Bellorum civilium aestu patrimonii naufragus factus Maecenatis benignitate se satis superque ditatum existimabat, satis (Madvigium sequor) beatus unicus Sabinis, nec potentem amicum, qui si plura voluisset dare non denegasset, largiora flagitabat. Patroni meritis animum devinctum atque religione quadam obstrictum habens nullam cum Cicerone in amicitiiis pestem maiorem esse rebatur quam adulationem, blanditiam, assentationem, neque tamen linguam liberam in verborum licentiam abire sinebat.

Quamvis principibus placuisse viris non ultimam laudem duceret, probe gnarus erat gratia eiusmodi hominum florentes dente invido morderi atque ferire fulgura summos montes: quamobrem auream mediocritatem diligere nunquam desiit cum iure perhorresceret late conspicuam tollere cervicem.

Vere animadvertit Speyerus, hoc eniti si voluisset, haud arduam sane rem futuram fuisse opibus tam amici, qui amicum visceribus suis plus diligebat, quam hominis in civitate facile principis, Octaviani, Venusinum libertum a Lucumone abducentis, ad summos pervenire honores, Horatium autem haec detrectantem equitis Maecenatis instar privatam vitam publicae, quam dicunt, anteposuisse. Quae omnia adversario si facile dederit¹⁾, idcirco contententi huiusmodi beneficia ab imperatore ultro delata huius satirae scribendae nostro poetae ansam dedisse non adstipulabor neque magis id quod rei controversae caput est, verba vs. 17 „Quid est” cet. vitio laborare.

Speyerianae orationis ratio haec est: Verba si per se spectaveris,

1) Cupiebat enim „intra fortunam esse suam” quale in Maecenate laudat Propertius IV. 8 2 (ed. Lachmann).

interpreti negotia non facessere, cum nihil aliud sibi velle possint nisi hoc „Quid nos facere oportet cet.” Sin vero respexeris antecedentia, sive nos Horatium sive Horatium una cum Maecenate suo significet, interrogationem perquam miram sibi videri affirmat neque minus responsum ab interpretibus vulgo fictum „Nos sane minus stupemus titulis et imaginibus”. Etenim non opponi quod Horatius opinetur vulgi opinionibus sed, si cuiusquam, Maecenatis.

„At dixerit quispiam” pergit „fieri potest ut illa interrogatio non consequatur ex iis quae praecessere sed viam muniat ad sequentia”, quod longe secus esse ex vss. 19—22 efficit. Hoc enim rerum verborumque contextu enuntiatum interrogativum absurdum esse, quo nihil aliud significetur nisi poetam prorsus non curare titulos et stemmata maiorum, versibus contra sequentibus a particula „namque” incipientibus sanequam aliam notionem subiectam esse ubi poeta praedicet „haud immerito male iis rem cedere qui nullis maioribus orti honores spectent neque in propria pelle quiescant”. Iam vero si consideraveris hoc ipsum esse quod reliqua satira copiosius poeta sibi illustrandum proposuerit, sine ulla dubitatione lectionem „Quid oportet cet.” vitio laborare. Sin legeris *Quod* . . interrogationem enuntiatum non contineri sed poetam respondere ad ea quae Maecenas existimaverit. *Quod* (i. q. at hoc) enim sic accipiendum esse ut Accus. Subiect. sit τὸν *facere*, quo pacto omnia recte procedant.

Quo modo verterit auctor, supra vidimus: idem explicat „Id ipsum quod ultimo loco animadvertisti, amice Maecenas, vulgus stupere in titulis et imaginibus, me adigit ut in proposito susceptoque consilio honoribus nequaquam inserviendi permaneam.” Tum demum quae sequuntur „Namque” cet. aptissime cum antecedentibus „Quod” cet. cohaerere. In enuntiato enim, quod mendosum traditum sit, argumentorum momentum esse, quae litterulae tantum mutatione vitio purgata faciant, ut tota haec satira melius in intelligentiam nostram cadat.

Relationi fine imposito ad confutandum huius opinionis auctorem aggredior et ut via ac ratione progrediamur, prius de v. 14 incidendo agendum.

In re admodum dubia omnium primum ac potissimum reor Acronem sequi, qui locum sic interpretatus est: „Si populus, qui

ducitur nobilitate et divitiis, saepe ignavos quamvis nobiles spernit, quid nos" cet. 1).

Ex recentioribus primus verum vidisse mihi videtur vir de Latinis litteris optime meritis Dziatsko 2), qui animadvertit, si vulgarem interpretationem sequamur, inter se pugnare vv. 9 et 14. Etenim illo populi vulgare de Laevino existimationem probari, hoc improbari. Quamobrem interpungi verba sic iubet... licuisse. Notante cet.

Disputavit adversus haec G. Krueger 3), sed multo magis a veritatis specie discessit interpretatus „Non... licuisse notante" cet. non pluris licuisse quam notantem iudicem, quem nosti, populum. Hic enim locus non est ablativo comparationis. Si forte quis „notante — populo" ablativum esse, quem dicunt, absolutum, cum „licuisse" iungendum, contenderit, desiderabitur particula quaedam, ut pnta *vel* 4), quod Kiesslingus (ad h. l. ed. 1886) quoque agnovit, quamquam, vulgi interpretum more, vulnere medetur docens in locum illius voculae appositum „iudice quo nosti" successisse.

Si, ut paucis complectar, ad superiora referas „notante populo" haec verba aut cum „persnades hoc vere" aut cum „non pluris — licuisse" iungi necesse est. Utramcunque iuncturam praetuleris, summa sequetur confusio. Cum illis cohaerere nequeunt, nam Maecenas non poterat non contemnere vulgi opiniones, quae sane nihil quicquam faciebant ad eius sententiam stabiliendam. Neque magis cum his. Immo operae pretium erat homini ignoto honores petere cum indigni a populo censoris partes agente repulsam ferrent, neque causa erat cur nullis maioribus ortus in campum non descenderet.

Denique quasi transiens addo verbum *notandi*, ut apud Horatium fere nusquam non in malam partem accipiendum est 5), sic hoc quoque loco significare populum, censoris instar, morum magisterio fungentem, homini ignobili qui repulsam tulerit ignominiae notam inurere.

1) Reliqua perperam explicavit „Qui sumus sapientiores", qua de re infra pluribus.

2) Rhein. Mus. tom. XXV p. 315 sqq.

3) Rhein. Mus. tom. XXVII p. 84 sqq.

4) Sic Speyerus vertit: en *dat moy wel* in de scbatting cet.

5) Cf. Sat. I 3. 24, 4. 5 cl. 105; Ep. I. 17. 15; A. P. 449.

Excutere si iam liceat, quaenam versuum hucusque tractatorum vis sit, huc redire videntur: „Tibi, Maecenas, vere persuasum est iam antiquissimis rei publicae nostrae temporibus saepe multos, quamquam nullis maioribus orti essent, non solum probos vixisse verum etiam ad summos pervenisse honores, contra generosissimos haud raro semissis homines, ne laqueo quidem dignos (cf. Sat. II. 2. 99) fuisse. Quamobrem, si penes te iudicium esset, nobis aliquid faciendum i. e. in publicum et scaenam prodeundum civesque ambiendi erant. At cum ex arbitrio populi vel vulgi, natalium splendori nimis dediti, pendeamus, qui dignos indignosque discernere non queat ¹⁾, quid nos tenuissimo loco ortos, quibus infamiam ex repulsa inurere possit, facere oportet?”

Nihil est quod respondeas ad hanc quaestionem nisi hoc: „Nihil facere nos, ignobiles, oportet.”

Sic quoque paullo post (v. 24) interroganti „Quo tibi, Tilli” i. e. Quid tibi profuit cet. nullum responsum datur. Est enim unicuique facile ac promptum: „Nihil quicquam Tillius lucratus est ex eo quod depositum clavum sumpsit tribunusque factus est. Immo invidia increvit”.

Rationem, qua sententias se excipere arbitror, sub unum conspectum subieci, quamquam non omnia exsequi potui: iam de singulis vocabulis disputandum.

Horatium non ubique perlucidiorum vitro esse, quod Hertzius ²⁾ affirmat, ut complures alii, sic hic quoque locus docet.

Coniecit Bentleius, qui de v. 19, a nostro quoque Speyero male intellecto, silet, pro *nos vos* atque explicat: Quod si vulgus tam recte iudicat, quanto magis id oportet vos (Augustos, Maecenates, Polliones, Messallas etc.) facere.

Quo pacto, ut aegerrime desideratam particulam (*vel*) ante *notantem* silentio praeteream, haec in sequentia apte quadrare dici possint?

Pronomen primae personae secundae loco cedere non debet:

1) Vid. Cic. pro Plancio c. 3 § 8 Populus et potest et solet non numquam dignos praeterire cet. cl. Tusc. V, c. 19 § 54.

2) In lepidissimo libello quem inscripsit „Admonitiones Horatiana” p. 5 extr. (Index Lect. in Univers. Vratislav. habend. per aest. a. 1889).

Exemplo sit c. 28 l. I, de qua interpretum cruce ante XXV annos disserui in „Tijdschrift voor de Nederl. Gymn. en HBS.” 1864—65.

nos sunt ignoti, tenui loco orti, qualis ego sum, quod illustratur sequenti *longe longeque remotos* ¹⁾.

Reliquum est ut de vv. ipsis *facere longe — remotos* agamus, de quibus, Speyerus ipse mihi testis esto, ambigitur.

Confugiendum est, sicut plerumque, ad scriptorem eiusque fontes, unde hauriamus id quod sibi velit.

Si conferes Epist. I. 6. 2 (cl. 47):

Solaque (res) quæ possit *facere* et *servare* beatum tibi facile patebit hæc verba inter se opponi neque dubium esse quin *remotos facere* non sit efficere ut quis sibi constet in foro fugiendo civilibusve fluctibus se non committat.

Ad hoc probandum plus facit Sat. II. 1. 71

ubi se a vulgo et scaena remorant

cl. Sat. II. 6. 16 ²⁾.

ubi me in montes et arcem ex urbe removi.

Remotus enim erat a vulgo quod remotus a tumultu civitatis, solutus misera ambitione gravique (v. 129) privatus et quietus vitam degere malebat quam onus portare molestum ³⁾.

In vetustioribus editionibus erat „*longe lateque remotos*”. Hodie ad unum omnes editores typis exscribi curant Cruquium secuti — cui bene monenti non „*longe lateque*” scribendum esse omnium primus Baxterus obtemperavit — adnotantem „sic habent omnes libri scripti, quorum lectionem tanquam genuinam servavi pro superlativo longissime. Sic quoque Cic. II (c. 21 § 68) de Fin. „Plurimum se et longe longeque plurimum tribuere honestati”.

Pernegavit Bentleius longe lateque removeri aut dictum esse a quoquam veterum aut sane dici potuisse.

Vera igitur lectio e Cicerone nobis reddita est. Minus recte Kellerus in *Epilegomenis* ad hunc versum laudavit Lucretium de Rer. n. II. 106 et III. 69 ⁴⁾. Iure enim suo Bernaysius (Ed.

1) Sic C. II. 17, 32: Nos (pauperes) humilem feriemus agnam.

2) Forsitan addi possit: C. III. 6, 28; 5, 43; Sat. II, 5, 52.

3) Cf. v. 99. Iure perhorruit late conspicuum tollere cervicem, cum Parca non mendax dedisset malignum spernere vulgus (C. III. 16, 18 et II. 16 extr.).

4) Quamquam in Satiris imprimis Lucretius Horatio ante oculos subiinde versatus est. Cf. loci a v. o. Teuffel p. 379 laudati et Weingaertner, de Hor. Lucr. imitatore, Halle 1874.

Teubn. 1881) ita versum incidit ut utrumque adverbium ad suum quodque verbum pertineret: aurea aetate haec dictio non nisi vocabulo interiecto apud Ovidium ¹⁾ occurrit, quae apud Gellium demum et alios eosque sequiores scriptores saepius obvia est.

Miram quantum conveniunt cum nostro loco haec eiusdem Ciceronis in eodem libro de Fin. bon. et mal. l. V c. 31 § 93 „Quom tantum igitur in virtute ponant ii, qui fatentur se virtutis causa, nisi ea voluptatem acciret, ne manum quidem versuros fuisse, quid facere nos oportet, qui quamvis minumam animi praestantiam omnibus bonis corporis anteire dicamus, ut ea ne in conspectu quidem relinquatur?”

Dixerit fortasse quispiam parum ad rem nostram facere, utrum Cicero ita scripserit necne ²⁾. At repono de Horatio Ciceronis imitatore si quis commentationem scribat — haud scio annon quisquam iam scripserit ³⁾ — non irritum laborem fore. Interim in hac causa agenda praeter allata paucissima exempla intexere liceat.

Sic legitur in Laelio (§ 104) „Remoti ab oculis populi” cui opponuntur „qui ante oculos sunt (§ 38)” et in libro de Off. III. 1 § 3 „in maxima celebritate atque in oculis vivere” ⁴⁾.

Scrispit poeta noster a vulgo (et scaena) se remove, haud immemor Ep. ad Brut. l. 9, 2 ⁵⁾, ubi legitur:

„Ac mihi tum, Brute, officio solum erat et naturae, tibi nunc populo et scaenae, ut dicitur ⁶⁾, serviendum est.” Vide quanto opere haec illis respondeant, cum *scaena* fere apud nullum alium scriptorem, quod sciam, ita usurpetur ut cum *populo vulgove* iungatur.

1) Met. IV. 326 Sed longe cunctis longeque potentior illis.

2) Cicero ipse pro mea causa propugnet:

Eat enim finitimus oratori poeta, numeris astrictior paulo; verborum autem licentia liberior, multis vero ornandi generibus socius ac paene par: in hoc quidem certe prope idem, nullis ut terminis circumscribat aut defuist ius suum, quo minus et liceat eadem illa facultate et copia vagari qua velit. (De Orat. I. 16, 70).

3) Lecta dignissima sunt quae Hertzins l. l. ad calcem p. 7 adnotavit.

4) Cf. Seyffert in Comm. ad h. l. p. 273.

5) Libram ium ad Ciceronem referendam censeo, de VII epistolarum a Cratandro adiectarum fide (l. II) est quod dubitemus.

6) Erat igitur quasi in proverbio. Ceteram *scaena* tantum cum *pompa* coniunctam invenitur apud Cic. de Or. l. III. c. 45 § 177.

Sic quoque cum apud Matinae more modoque operosa carmina fingeret, nobilissimos Romanos laudanti (C. I. 12, 33 sqq.) ante oculos erant ¹⁾ haec Ciceroniana: Ex hoc genere illos fuisse arbitror Camillos, Fabricios, Curios cet. (pro Caelio c. 17 § 39) aut „Quare imitemur Brutos, Camillos, Ahalas, Decios, Curios, Fabricios, Maximos, Scipiones, Lentulos, Aemilios, (pro Sestio c. 68 § 143) ²⁾. Cur Scauros laudaverit (v. 37) rationes petendae sunt ex iis quae Plutarchus in vita Ciceronis (c. I) memoriae mandavit: *Αὐτός γε μὴν Κικέρων λέγεται νεανειυσάμενος εἰπεῖν ὡς ἀγωνιεῖται τὸν Κικέρωνα τῶν Σκαύρων καὶ τῶν Κάτλων ἐνδοξότερον ἀποδείξει.*

Ut tandem redeam, a proposito paullulum digressus, ad Sat. nostrae vv. 17 sqq., unde orsus sum, summo opere eiusmodi enuntiatis interrogativis delectari poetam nostrum difficile probatu non est. Mihi enotavi circiter 50 ³⁾, quae incipiunt a pronomine *quid*, sicut nostro loco, obiecti locum tenente: plus 30 aliis locis primum quaestionis, quam directam grammatici dicere solent, verbum invenitur, nullo alio nisi casus aut respectus discrimine. At ism satis de his, pergamus de reliquis agere.

Verba versus 19 *Namque esto, mallet* cet. multum interpretes vexarunt.

Peerlkampius adnotavit „Sententia est: Populus, alias saepe malus iudex, negat honores nobili qui non meretur. Nos, populo sapientiores — vides virum illustrissimum cum Cruquio errare quam cum aliis vera sentire maluisse — illud iudicium laudare debemus. Nam fac, eundem populum honores dare nobili non merenti” cet. Pergit autem „Obscura sententia. Scio *nam* saepe vim habere connectendae orationis, hic tamen melius puto *Iamque* esto . . . ⁴⁾. Doderlinus ante hunc versum versum excidisse

1) Perperam me iudice vel L. Mueller vv. 37—44 uncinis inclusit, praecentibus Peerlkampio (v. 33—48), Hauptio, alia.

2) Cf. Teuffel in Hist. litt. p. 485.

3) Carm. I, 12, 13; 31, 1, 2; 85, 34—38; III, 28, 1; IV, 13, 18.

Epod. 1, 5; 5, 49; 12, 1; 17, 80, 83.

Sat. I, 1, 63, 69, 101; 2, 69, 72; 3, 94, 126; 8, 40; 9, 4.

II, 1, 24; 3, 89, 99, 162, 201; 5, 3, 6, 83.

Epist. I, 1, 76, 91; 2, 17; 3, 6, 9, 15, 20; 4, 2; 5, 16; 6, 5, 6, 7; 18, 106; 20, 6, 7.

II, 2, 23, 57, 63. III, (A. P.) 83, 138, 212.

4) Criticos operam et oleam in Horatio emendando perdentes haud immerito no-

coniciit qui responderet antecedenti: v. c. *Vivere perpetuo longe longeque remotos* 1). Oratio sic quoque melius connecteretur”.

Ne omnium, qui immemores fuerunt Horatiani illius:

Delere licebit quod non edideris (A. P. 389)

omnes coniecturas prodam: G. Krueger paterni operis XII^{am} editionem hoc anno apud Teubnerum curans, dubitanter scribi iussit

Quaestori populus cet. 2)

hanc rationem afferens sibi aptissime opponi *quaestorem* Laevinum et Decium *novum*: ad illud vocabulum corrupendum multum quoque valuisse *nos* (v. 18) et *quam* (v. 20) nobis persuadere studet.

Alii alia in medium protulerunt interpretes ut loci difficilem nodum expedirent, nonnulli profecto invita, ut aiunt, Minerva.

In grege eorum qui male intellexerunt Speyerum nostrum adnumerare non dubito. Locum enim ita transtulit ut *esto* et *mallet* coniuncta protasin efficerent, quod fieri non potest nisi Horatius *σολοικισμοῦ* arguatur.

Iam vero *esto* cum imperfecto coniunctivi (*mallet*) iungi non debuit, quandoquidem nulli alii tempori nisi praesenti perfective adiungi iubet Grammaticae dura lex 3). Itaque *esto* aut

tavit W. S. Teuffel. Studien und Charakteristiken cet. Ed. II (Lips. apud Teubnerum, 1889) p. 439 sqq. in capite, quod inscripsit „Zu Horaz“, ubi p. 454 not. 2, haec: „Die weitaus größte Zahl der von R. Unger (wie andern) aufgestellten sogenannten Verbesserungen dient freilich nur dazu zu zeigen wie Horaz, wenn er das Ueberlieferte geschrieben hat, sehr viel mehr Geschmack besaß als die ihn meisternde Kritiker.“ — Vide quae porro (p. 439) de Peerlkampio, Lehrsiso, Gruppo, aliis locatur.

1) Quanto opere hia respondeant Speyariana: „Reden te meer voor mij om van volkskeus verre te blijven“, nemo non videt.

2) De nostro loco in Commentariis „Revue Critique“ cet. a. 1873 p. 393 sqq. egit quoque Ch. M., qui improbata Petri Willems, Professoria Belgici studii da Antiquitatibus Romanis clarissimi, coniectura

Namque est. Ei cet.

quaedam excidisse censet ita ut legendum sit:

Namque esto

. populus cet.

In nota dubitanter pro vv. *Namque esto* commendat

Nam quaestor cet.

3) Acerrima nos ante aliquot annos de consecutiona temporum, quam dicunt, melius observanda monuit Rubakecius, in Epistola ad Cobetum ex Oreo data, in Mnem. V (1877) p. 113 sqq.

enuntiatio quasi parenthetice interiectum ¹⁾ aut protasis loco est, ita ut apodosis a *mallet* incipiat.

Quidquid est, id certe constat, quod iam ante XXX annos Elspegergerus docuit: *esto*, Graecorum *εἴεν*, adverbium concedentis, tantum temporis praesentis, perfecto (futurove) adiungi ²⁾.

Perpauca testimonia ex veterum scriptis deprompta proferre liceat.

In Or. pro rege Deiotaro § 30 haec leguntur: *Esto*, concedatur haec quoque acerbitas ³⁾.

In Or. Phil. II. § 75 *Esto*, fuerit haec partium causa communis.

In Verr. V. 29, 76 *Verum esto*, sit tibi illud liberum tempus.

Etiamsi absolute positum sit, ad sequentia pertinens nonnisi iisdem temporibus scriptores uti solent.

In Or. pro Rosc. Amer. § 73 *Esto*, causam proferre non potes.

Verg. Aen. IV v. 35 *Esto*, aegram nulli quondam flexere mariti i. e. concedendum nullum ante maritum flexisse.

Aen. VII, v. 313 *Non dabitur regnis, esto*, prohibere Latinis.

Sed iam satis de hac vocula ⁴⁾. Veniamus ad particulam *namque*, qua, contrarii refutatione, rationes redduntur cur pronuntiatum (Tusc. Disput. I. 7, 14) quoddam verum sit. *Nam* ponitur si sententia strictim quasi in transitu attingatur et elevetur; *iam* particula id quod sequitur pari ferme ordine atque initae enumerationis modo cum iis quae antecedunt coniungitur ⁵⁾.

Quamobrem *nam* semper usurpatur cum in figura quam praerteritionem appellant grammatici, tum in (ante)occupatione.

Quid haec sibi velint, ne victus nimis horridus atque aridus sit, duobus locis e Cicerone petitis illustrabo.

In Or. pro rege Deiotaro c. 12, 34 haec leguntur:

1) Doederleius in hunc modum accepit et *mallet* hypothetice explicavit collato *trieris* in Sat. I. 1. 45.

2) In programmate (Onoldi, 1858). Cf. G. Krueger in adn. erit. ad hunc locum in ed. supr. laud. De interrogativo praecedente dubitatur; vide Kiessling ad Hor. S. II, 2, 30.

3) Ubi Richter et Eberhard adnotaverunt ad *esto*: Formel der concessio, womit man einen Gegenstand, als wäre es völlig erledigt, fallen lässt.

4) Operae pretium est conferre Cic. Tusc. disp. I § 102 et de Fin. bon. et mal. II § 61, ubi P. Decius „princeps in ea familia consulatus“ appellatur, et Seyffert, Scholae Latinae, Tom. I § 69.

5) Cf. Seyffert in Comm. ad Cic. Lael. XIII. 45 (ed. II^{ae}, cur. Mueller, p. 312 sqq.).

Et quem (Caesarem putat) nos liberi, in summa populi Romani libertate nati, non modo tyrannum, sed etiam clementissimum in victoria ducimus: is Blesamio, qui vivit in regno, tyrannus videri potest? Nam de statua quis queritur, una praesertim, cum tam multas videat?

Pro Arch. poeta c. 10 init. Ergo illum, qui haec fecerat, Rudinum hominem, maiores nostri in civitatem receperunt: nos hunc Heracleensem, multis civitatibus expetitum, in hac autem legibus constitutum, de nostra civitate eiciemus? Nam si quis minorem gloriae fructum putat ex Graecis versibus percipi quam ex Latinis, vehementer errat cet¹⁾.

Idem usu venit apud Graecos scriptores. Exemplo oratoris comprobemus, in cuius velut unici exempli eloquentiam se formavit Romanus orator, Demosthenis.

Ex Or. Olynth. III § 6 haec mihi sumo:

Εἰ γὰρ τοῖς ἐκείσε ἐβοηθήσαμεν προθύμως, οὐκ ἂν ἠνώχλει νῦν ἡμῖν ὁ Φίλιππος . . . Νῦν δ' ἐτέρου πολέμου καιρὸς ἤκει τις . . . Τί δὴ χρητόμεθα τούτῳ; εἰ γὰρ μὴ βοηθήσετε παντὶ σθένει . . . θεάσασθε κ.τ.λ. Τί sqq. fere respondet Horatiano „Quid nos facere oportet?” Cum interroget quid futurum sit, simul indicat se certo scire auxilium ferendum esse (βοηθεῖν). Namque si auxilium non feretis cet.²⁾.

Cetera de genere hoc — adeo sunt multa — vel eos qui huiuscemodi commentariolis quasi heluenter delassare valent; quamobrem audiant quo rem deducam³⁾.

1) Particula *aut* eodem fere modo usum esse, praeter alios scriptores, Horatium patet ex Carm. III 18. 2:

Miserarum est *neque* Amori dare ludum cet.

Aut (si dederint cet.) exanimari cet.

et

Carm. III 24, 24:

Peccare *nefas aut* (si peccaverit) pretium est mori.

2) Alia quaedam constructio Graeca, si fallor, conferri possit, quam agens de partt. γὰρ ἂν explicavit K. W. Krueger in Gramm. Graec. § 54, 12, adn. 9. Unum exemplum a Xenophonte mutabor: Οὐτε ἐπίουσι πλείω ἢ δύναται φέρειν, διαρμαγίην γὰρ ἂν κ.τ.λ. I. e. Namque (si id facerent) rumpentur cet.

Nemo non videt, particula γὰρ rationem reddi protasis, qua priori contraria sententia contineretur, eleganter omissae. Vertit Krueger γὰρ ἂν *denu sonat*: at pertinet ἂν ad verbum apodosis.

3) De satira quoque valet quod animadvertit G. Leuchtenberger in prooemio libelli:

Nulla alia, ut pressius definiam, his verbis notio subiecta mihi esse videtur nisi haec :

Nam si quis forte putet nos homines ignotos aliquid facere oportere, per me licet (nil moror): at populus praeferret (si ambirem) nobilem ignobili, idque merito sane, quod misera ambitione ductus non meminissem me in pellicula tenere mea (cf. Mart. III. 16. 5 sq.)¹⁾

Rationibus undecunq̄ue desumptis locum unum in paucis obscurissimum illustrare studui, neque tamen rem ita mihi cessisse arbitror ut dubia moveri non possint. At — redeo unde diverti — nisi locus sescentiens relectus mihi mentis aciem, si qua sum, praestrinxit, apud omnes philologos profiteri non pu-

Dis Oden des Horaz für den Schulgebrauch disponirt (Berlin, 1889), p. 1V. Führt einerseits der Lyriker manche Gedanken und Empfindungen weit aus, die in der logischen Gliederung mit wenigen Worten so versichnen sind, so deutet er andererseits gar manches und gerade oft logische Beziehungen nur flüchtig an, deren Aufseigung in der verstandesmäßigen Gliederung mehr Worte erfordert, und endlich kann manches, was der Lyriker überhaupt nur zwischen den Worten so lesen und zu danken giebt, bei der Angabe des kritischen Ordners nicht nnausgesprochen bleiben.

1) Cum Burdigalam adire mihi non contigerit, v. d. dn Rien, qua est humanitate, in Biblioth. L. B. Annales facultatis litt. Acad. Bordig. anni 1885, 12, 2 p. 263 sqq., a Kruegero laudato, evolvendos praehoit. Repperi in hoc volumine p. 256 „Horatiana“ Waltzii, lecta dignissima, eius sententiam postremo subicere haud abs re esse videtur.

Ne repetens quae de vv. *namque* et *esto* disputavit longus sim, disputationis summa haec redit: *Namque* ut referatur ad praecedentia fieri non posse ei videtur neque ad enuntiatum quod omni ex parte supplendum sit. Quamohrem verba *longe longeque remotos* hoc pertinere censet. Talem enim accessionis cuiusdam explicationem inveniri apud poetam nostrum vv. 99 et 100 huius satirae, ubi *molestum* pariter in fine positum sit ac *remotos*, et Sat. I. 4, 132 sqq. *consilium proprium: neque enim . . datum mihi*. Nostrum *esto* eodem fere loco esse quæ Sat. II. 2, 30 (?) et 3, 65, ita ut hoc sibi vellet: Solt, le peuple a pu mepriser Laevinus; il n'en préférerait pas moins ce même Lévinus s'il était en compétition avec un homme nouveau.

In patriam suam sermonem sic totum locum vertit:

Lévinus, descendant de Valerius qui chassa de son trône le tyran Tarquin, n'a pas pour cela valu un as de plus, aux yeux du peuple qui le fêtrit; tu connais pourtant ses jugements; tu sais que dans son avenglement il donne souvent les honneurs à des hommes indignes, qu'il est sottement esclave de la renommée et se laisse éblouir par les titres et les images. Comment donc jagerons-nous de telles gens, nous qui sommes loin du vulgaire et bien loin; car le peuple a bien pu repousser Lévinus (esto): il aimerait mieux lui donner ses suffrages qu'à un homme nouveau, fût ce un Décius; le censeur aussi m'élimerait, si je n'étais pas né d'un père libre cet.

det, ne dempto quidem mendo scripturae, quo, Speyero auctore, Horatii verba inquinata sint, me satis intellegere, immo vel sic nonnihil negotii superesse.

Id imprimis, ut de aliis iam sileam, mihi scrupulum iniecit, quod auctor ipse coniecturam interpretatione egere ratus, quid subiecti quid obiecti loco esset habendum pluribus exponere necesse habuit. Constat enim tum demum scriptoris cuiusdam locum vere emendatum esse cum nemo non luce clarius videt quid sibi velint verba, quod hic longe secus est.

Accedit quod orationem nimis pedestrem poetae obtrusit Speyerus. Quis enim litteris Latinis imbutus et excultae cuiusdam elegantiae est, qui non sentiat tale quid ab Horatio dici non potuisse ¹⁾, quamvis carmina sua elevant, sicut Sat. I. 4. 56.

His ego quae nunc,

Olim quae scripsit Lucilius, eripias si

Tempora certa modosque et quod prius ordine verbum est

Posterius facias, praeponens ultima primis:

Non

Invenias etiam disiecti membra poetae.

et Sat. II. 6. 17

„Se res illustrare saturis musaque pedestri” ait.

Haec ad verbum accipienda esse ne quis putet, vetat A. P. v. 95

„Et tragicus plerumque dolet sermone pedestri.”

Scripsi ut potui non ut volui de venusto illo Venusino, quem, ut saepius, ita nunc quoque inconsideratius emendatum credidi.

Si quis „Laedere gaudes” inquit, „et hoc studio pravus facis” cum poeta nostro repono „Unde petitum hoc in me iacis” ²⁾.

Ex Erasmano, incunte m. Octobri, 1889.

1) Fusius et accuratius hac de re egit v. d. J. W. Beck in Neue Philol. Rundschau, 1889 N^o. 22 p. 345 sqq., ad cuius censuram, mihi allatam eum haec conscripta nondum castigassem, Horatii studiosos delegatos velim.

2) Sat. I. 4, v. 78 sqq.

AD HORATIUM.

SCRIPSIT

J. S. SPEIJER ¹⁾.

Nil est, Antipho,
qui male narranda possit depravari.
Ter. Phorm. 4, 4, 16.

Falsae opiniones semel in lucem editae haud facile tolluntur; saepe ne excidisse quidem satis est Lernaeae hydrae ritu de sanguine suo renascentes. Veluti nuper decantata illa cantilena de Horatii nimia rerum Romanarum ignorantia instaurata est (vid. huius *Mnemos.* Vol. XVII, p. 414). Irritus ergo fuit Herculeus labor Bentleii et tot aliorum, qui tamen monstrum illud stultae doctrinae iam debellasse existimabantur. J. B. Kan, vir doctissimus, Erasmiiani Gymnasii rector, Bentleium parum curans habet qua re fretus contendat libertini filium historiae Romanae non satis gnarum fuisse. Ne quis putet testimonia ei deesse, ad illum versum, unde tota illa suspicio orta est (Carm. 4, 8, 17), alias praeterea rationes addit, quas sive ipse excogitavit, sive

[1) Cum vir clarissimus SPEIJER hunc commentarium ante paucas hebdomades nobis misisset Mnemosynes fasciculu quamprimum inserendum, auctores ei fuimus ut in posterum hoc consilium differret, alteram enim partem dissertationis, qua vir doctissimus KAN Horatio prodesse studuit, sub prelo esse, meliusque consultum fore cum Hurstii tum dignitati huius Bibliothecae Criticae, si res, de quibus viri d. Speijer et Kan inter se dissentiant, non in transitu iocose vel animose tangerentur sed data opera et sedato animo pertractarentur. Obnixae tamen petenti Speijero ut sine mora respondeendi facultas sibi daretur, abtemperandum esse duximus.

S. A. NAEK J. VAN LEEUWEN J.P. I. M. J. VALETON.]

transrhenanorum doctorum indefessam perscrutandi diligentiam in usum suum convertit. Profecto Hydrae caput, ut est apud nostrum, crevit in Herculem. Iam Iolao aliquo opus est, credo, qui excisi capitis vulnus igne adurat. Atque equidem hanc opem non minus Benteleo quam vati Venusino, cuius fama periclitatur, libenter sum laturus.

Incipiam ab eo loco, de quo iam egit Benteleus, Carm. 4, 8, 13 sqq.

Qui locus cum multis difficultatibus laborat, tum minime verum est (quod Kan confidenter, ut solet, affirmat) constare „auctore poeta temporibus errante Scipionem Africanum minorem laudibus Ennii propter Carthaginis incendia inclaruisse”. De integritate enim et authentia versus 17! plerique dubitant. Etenim si hunc versum „non incendia Carthaginis impiae” Horatius scripsit, aut Scipionem maiorem dixit aut minorem. Si illum, castra Hasdrubalis et Syphacis significantur incensa a Scipione et Masinissa nocturnaue illa invasio, quae Numidarum Carthaginensiumque copias tanta clade affecit ut magna exercitus parte amissa foedam fugam capessiverint; quo facto aliis levioribus proeliis postea commissis et Masinissa mox patrium regnum recuperavit et Syphax vivus captus est a Romanis. Poterat poeta huius facinoris mentionem facere. Clarus habetur Scipio ob Hannibalem victum et captum Syphacem (cp. Iuv. 6, 170 sq.). Quod incendium Livius narrando celebravit (vid. l. 30, c. 3—6) et post eum Silius Italicus laudibus satis exornavit (vid. Pun. XVII, 88 sqq.), id Ennius praeclaris versibus non caelo extulisse non potest. Minime igitur mirum est, si in commentatorum Horatii maxima multitudine fuere quoque, qui Syphacis castrorum incendia nostro loco significari arbitrarentur (vid. e. g. excursus ad C. 4, 8 in ed. maiore Baiteri et Orelli, tertiae ed. p. 581). Verum enimvero refragantur ipsa verba, quibus utitur poeta. „Incendia Carthaginis impiae” de castris in finibus Carthaginensium extra urbem incensis dictum vix potest probari. Itaque haec hodie interpretandi ratio repudiatur. Sed quamvis perversa, multo haec praestat illi alteri, qua Carthaginis excidium Ennii laudibus celebratum Horatius finxisse existimatur. Absurdum est enim in Horatio tantum ignorantiae suspicari ut, quod Bentelei aevo decennes pueri sciebant, nunc

saltem senum denuum annorum discunt, alium fuisse Scipionem victorem Hannibalis, alium Carthaginis carnificem, id non modo homo Romanus artibus liberalibus perquam eruditus, sed poëta elegantissimus, patriae amantissimus, Ennii Luciliique quorum annales et satiras memoria tenebat studiosissimus, amicus atque familiaris Maecenatis, Pollionis, Varii, Vergilii, turpiter nescisse perhibeatur. Tu, qui in hac ephemeride has nugas venditasti, adducito quemvis e recentioribus, sive poëtam nostratam vel mediocre, duos Guilielmos, Taciturnum et illum, qui Britannis libertatem restituit, inter se confundentem, seu Francogalium nescientem quantum distet Ludovicus XIV^{us} a Ludovico XVI, et tibi credam. Cumque initio disputationis tuae Indorum sacrae linguae mentionem inieceris, libet hic proferre adagium, ex eorum litteris sumptum, cuius haec sententia: non debet palo imputare caecus, quod offendit.

Bentleius, quem J. B. Kan, vir doct., Gymnasii Erasmi rector, parum se curare diserte affirmat¹⁾, vs. 17 spurium esse demonstravit, nimirum non tantum molestia interpretandi adductus, quae causa per se satis idonea non esset, sed maxime ob rationes metricas adeo non contemnendas, ut cum aliis multis criticis iisque praestantissimis persuaserit, tum novissimo commentatori atque eidem cautissimo, A. Kiesslingio, cuius Horatiani auctoritas hodie apud transrhenanos maximi fit. Is, qui interpolationes plerisque certissimas non agnoscit — velut Carm. I, 6, 13—16, IV, 4, 18—22 manifesta emblemata retinet — hunc versum 17^{um} uncinis circumdedit sic rationes reddens: „weder hat der ältere Scipio Karthago verbrannt, und hierin ein Versehen H.'s annehmen, hiesse einem heutigen Dichter zutrauen, dass er den grossen Kurfürsten bei Leuthen könne siegen lassen, noch hat H. caesurlose Asklepiadeen gebaut. Der Vers ist ein elendes Machwerk des vierten oder fünften Jahrhunderts, eingefickt um der Beziehung des folgenden *eius qui auf Hannibal vorzubeugen*“.

Sed de hoc loco de quo „constat“ satis videmur disputasse. De alio loco „patet“. Patet, ait J. B. Kan, vir doct., quae

1) Vid. l.l. p. 415. Et recte dicit parum se curasse. Neque Bentleius neque Pcerlkampius duos versus, quos iste nominat, spurios duxerunt, sed ille unum, hic quatuor.

Horatius in Sat. II, 1, 72 sqq. Scipioni minori tribuit ea maioris esse, patet ex Cic. de Off. III, 1¹). Quid est? Num somnians hoc scripsisti? Quid enim narrat poëta? Scipionem minorem et Laelium peractis negotiis cum Lucilio poëta domi ludere et nugari solitos esse. Quid autem Cicero? „P. Scipionem eum, qui primus Africanus appellatus est, dicere solitum scripsit Cato numquam se minus otiosum esse, quam cum otiosus, nec minus solum, quam cum solus esset. . . . Ille enim requiescens a r. p. pulcherrimis muneribus otium sibi sumebat aliquando et e coetu hominum frequentiaque interdum tamquam in portum se in solitudinem recipiebat”. Horatius Lucilii et Scipionis minoris familiaritatem tangit, Cicero Scipionem maiorem laudat in otio non minus occupatum quam cum rem publ. tractaret. Haec inter se diversissima qua ratione in comparationem conferri possint vel quo pacto ignorantia Horatii inde pateat, equidem me omnino non intelligere ingenue fateor.

Dilutis gravissimis criminibus, iam ad leviora transeamus, quae ne ipse Kan quidem arguet. Verisimile tantum esse statuit, Horatium in Satira sexta libri primi bis errare, vs. 12 et 21, illic „Appium Caecum ante oculos habere arrogantia et fastu infamem”, hic autem „Valerios Laevinos et Publicolas confundere et perturbare”. Utrumque falsum est. Non Appium illum Caecum dicit qui libertinorum filios tantum abest ut senatu moverit ut eos primus in senatum legerit (Liv. 9, 46), sed eum, qui cum Pisone censor fuit anno 50 a. Chr. n.; is enim acerrime censum habendo libertinorum filios senatu movit omnes. Dio 40, 63 (Piso) *ἐκείνω δὲ* (sc. Appio) *οὐκ ἀντίπραξε πάντας μὲν τοὺς ἐκ τῶν ἀπελευθέρων, συχνούς δὲ καὶ τῶν πάνυ γενναίων ἀπελάσαντι ἐκ τοῦ συνεδρίου*. Sic et Tillium sive Tullium — auctoribus Kellero Holderoque viris diligentissimis librorum mss. Horatianorum peritissimis Tillius sit — virum quaestorium senatu movit, qui postea per tribunatum plebis in amplissimum ordinem rediit. Hic nulla prorsus exstat causa cur poëtam temporibus et rebus errasse credamus. Namque Appius ille, quem nobilium fastus nobile exemplum proponit, censuram gessit eo tempore

1) Typothetae errori, credo, debetur quod Ll. p. 415 in aua. perperam legitur l. I, c. 1 § 2.

cum ipse Romae studiis vacabat. Libertini filius sui ordinis hostem optime norat, cuius severitas ei ob mentem obversetur necesse est, cum eam causam defendit, quae in Sat. I, 6 agitur.

Quod autem de confusione ac perturbatione Valeriorum insimulatur quam non firmum sit, quam paucissimis ostendam. Videtur Kan opinari stulti esse Valerium Laevinum „Valeri [Publicolae] genus” appellare. Stultus ergo et Livius fuit rerumque Romanarum parum gnarus, qui consulem Valerium Potitum milites his verbis alloquentem facit: non Appio duce rem geri sed consule Valerio, ab liberatoribus populi Romani orto, liberatore ipso (Liv. 3, 61, 2). Stultus et Plutarchus rerumque Romanarum parum gnarus, inter L. Cornelii Sullae maiores Rufinum quendam memorans Cornelium (Plut. Sull. 1).

„At Horatium pater in ludum Venusinum mittere noluit”. Itane vero? Mali causidici gloriolae invidere videtur qui sic scribit. Horatium in ludo Venusino non didicisse, hoc dicit, at id, quam ob rem patrem optimum laudat, quod

puerum est ausus Romam portare docendum
artes, quas doceat quivis eques atque senator
semet prognatos

tacet!

Iam Horatii famae calidius quam verius oppugnatae satis fecimus. Ad ea, quae de me misellisque coniecturis duabus decem paginis declamavit neque finivit, non respondebo. Nam et de ipsa satira quid sentiam, alio tempore, tum cum meae rationes ferent, philologorum iudicio sum submissurus et certamen ad quod iste me provocat abnuo; quamvis Horatius si viveret hunc in modum me adhortaretur

Per magnos, Brute, deos te
oro, qui reges consuisti tollere, cur non

hunc regem iugulas? operum hoc, mihi crede, tuorum est ¹⁾.

Per me enim iste Aeolus sua se iacetet in aula licet. Pergat auras verberare ut adhuc facere coepit. Nam de iis, quae ex oratione mea inaugurali aut male excerpit aut male intellexit — vel in ipsa eius inscriptione erravit — ad ipsam orationem revocare

1) Sat. 1, 8, 33 et cp. *Mnem.* XVII, p. 411 f. f.

satis est. Quae autem desultorio modo contra me disputavit, responsonem non admittunt. Non enim ex filo sermonis nexuque sententiarum, quibus illa satira constat, poëtae mentem sensuque explicare est conatus: versum de quo agitur contextui demptum in medio posuit superque eo neque praecedentium neque sequentium ratione habita multa disseruit partim futilia partim quae nihil ad rem. Velut cum me vituperat quod omne simile claudicare non meminissem (p. 414 in.): in Horatianis (S. 1, 6, 9 sqq.) inest antithesis, simile in iis non inest. De *regni* vi et significatione locupletissimos indices si consuluit, operam sane perdidit (quod per aetatem in istis rebus desudasse videtur, de oleo nescio); nihil enim refert utrum Horatius semel vel bis vel ter an nusquam praeterea „regnum” sic usurpaverit, hoc agitur potueritne suo iure salva latinitate ea uti metaphora, qua Cicero eiusque aequales saepe usi sunt. Tum haud scio an contra artem logicam peccare sit existimandus, ex infelici coniectura Peerlkampii ad C. 4, 2, 2, quam tabula publica nuper reperta confutavit, malum praeeudicium in me conflando. Denique, ut iam alia omittam, ea quae de universa ratione, qua ego satirae argumentum neque solus neque primus enarravi, obiter iactat (p. 416), planum faciunt notissimum Horatii locum ab eo minus recte esse intellectum. „Dissimile hoc illi” poëtam redivivum loquentem inducit „neque is fuit Maecenas, qui me ad honores capessendos incitaret, nam non isto illic, quo tu rere, vivebatur modo”. Neque ad honores petendos impellere minus honestum erat, neque Horatii locus, unde Kan haec verba „non isto vivitur illic | quo tu rere modo” mutuatus est, huc pertinet. Ibi enim (S. 1, 9, 48—52) non agitur de Maecenatis animo erga amicos, sed hoc affirmatur: malas artes a cohorte Maecenatis alienissimas esse, apud quem — rarum in hominibus — sorte sua quemque et loco contentum esse, neminem alteri invidere. Quid ergo importuni invidiosa atque malevola dicta ad locum controversum lucis afferre possint, parum video.

In extrema disputatione res eo deducitur ut universae scholae philologicae nostrae male dicatur. „Schola philologica nostra, inquit, hodie apud Germanos haud immerito male audire vide-

tur quod parum caute ac circumspecte veterum operibus nonnumquam violentas manus inferat". Satis mirari non possum hominem Batavum huius falsae opinionis patrocinium suscepisse. Si enim temeritate nonnumquam peccatur, Iliacos intra muros peccatur et extra. Iniquum est, iniquum, inquam, Peerlkampios, Bakios, tot alios, increpare, de Meinekii, Lachmanni, Ritscheli, Fleckeisenii, Ribbeckii, Baehrensii, Schoellii audacia ne muttire quidem. Critices duae semper fuerunt partes et erunt, quarum altera in tralaticiiis lectionibus, codicum auctoritatibus, tot saeculorum memoria est posita, altera ratione nititur, ingenio, inventione. Neque hanc prae illa, neque illam prae hac contemnere oportet. Sed in his studiis auream semper mediocritatem servare, quamquam omnes sincere cupimus, vix humanum est. Ut sua quemque fert natura, audacior videbitur aut timidior. Sed has partes definire gentibus, populis distinguere neque verum est neque rectum.

Scrib. Groningae m. Octobri.

AD SCHOL. ARISTOPHANIS ACHARN. VS. 12.

Πῶς τοῦτ' ἔσεισέ μου δοκεῖς τὴν καρδίαν;

Ad haec comici verba in scholiis adnotatur: ἄσειστον οὖσαν φύσει μᾶλλον ἐπίσεισε. κέχρηται δὲ τῇ ὑπερβολῇ τῇ ἐπὶ τῆς καρδίας καὶ Θουκυδίδης τὸ ὄνομα φράζων. — Sed quoniam nemo ignorare potest cor suum moveri, nemo contendere potest ἄσειστον id esse suapte natura; restitue igitur ἀείσειστον et sic demum intelleges quid illud μᾶλλον sibi velit: licet perpetuo moveatur, hac tamen re violentius solito est concussum. In cod. Rav. legitur ἐνσειστον, unde εὔσειστον fuere qui efficerent, non recte tamen; nam non saepe vel facile sed sine ulla intermissione movetur cor.

Praeterea ultima scholii verba correctione indigent, ad quam tamen inveniendam Thucydidis nomen viam indicat. Nempe Aristophanis loco rusticus, qui *nauseam nuper sibi incussam esse* dicit, COR nominat cum OS VENTRICULI significet, ut hodie quoque plebs assolet; eodem autem sensu vocabulum καρδία adhibitum est a Thucydide in notissima pestis descriptione (II 49). Itaque scholion sic est legendum:

ἀείσειστον οὖσαν φύσει μᾶλλον ἐπίσεισε. — κέχρηται δὲ τῇ ὑπερβολῇ τῇ ἐπὶ τῆς καρδίας καὶ Θουκυδίδης, τὸ στόμα (τῆς γαστρὸς) φράζων, i. e.: etiam Thucydides hac translatione usus est ut vocabulum καρδία de ore ventriculi usurparet. J. v. L. J. F.

CRITICA ET EPICRITICA AD CYROPAEDIAM.

SCRIPSIT

H. VAN HERWERDEN.



Analecta Xenophontea nova scripsit
J. J. HARTMAN. Lugd. Bat. S. C. van
Doesburgh. MDCCCLXXXIX.

Quemadmodum priora HARTMANI *Analecta Xenophontea* edita a. 1887 provocarunt opusculum meum, quod inscribitur *Symbolae Ezegeticae et Criticae ad Xenophontis Historiam Graecam* (Traiecti a. Rh. ap. J. L. Beyers a. 1888), ita quae in novi huius libri cap. IV (p. 125—235) vir doctissimus ad varios Cyropaediae locos annotavit me commoverunt, ut diligenter examinatis quae scripsit simulque relecto opere Xenophonteo de plurimis locis, partim tractatis ab illo, meam exponerem sententiam. Quanti faciam virum industrium et sagacem, in libelli mei introitu satis iam declaravi, nec dubito quin, si, ut illic, hic quoque saepenumero ab ipsius iudicio discessero, id aequo animo sit laturus, cum probe noverit, me solo veri, quodve pro vero habeam, amore ductum libere profiteri quae sentiam. Haec scribens operae pretium mihi imprimis idcirco facturus esse videbar, quod Cyropaedia non magis ab eruditis quam ab indoctis et semidoctis teri solet; quibus utilem Hartmani librum et utiliore et minus periculosum (est enim subinde vir acutus paullo incautior et calidior) mea censura reddere conatus sum. Ordine igitur totam Cyropaediam percurrrens simul locis haud ita paucis, qui etiamnunc laborare viderentur, pro virili parte tuli auxilium.

AD LIBRUM I.

Non agnosco Xenophontis elegantiam nec proprietatem dicendi in verbis

I, 3 *ἐπειδὴ δὲ ἐνενοήσαμεν, ὅτι Κύρος ἐγένετο Πέρσης, ὃς καμπόλλους μὲν ἀνθρώπους ἐκτίσαστο πειθομένους αὐτῷ —, ἐκ τούτου δὲ ἠναγκαζόμεθα μετανοεῖν κτῆ.* Nam sine controversia dicere non voluit „se reputasse Cyrum Persam fuisse”, sed „Cyrum permultos homines sibi parasse obsequentes”. Quare non dubito quin olim sedulus lector in margine aut intra versus ad Cyri nomen annotarit *ἐγένετο Πέρσης*, quae deinde addito pronomine migrarint in textum. Ceterum si quis forte mavult *ὅτι Κύρος γένει Πέρσης καμπόλλους κτῆ.*, non pugnabo.

I, 5 *ἐπιχειρεῖν* Hartmano p. 126 admodum rara significatione *rebellandi* dictum videtur, mihi, qui illam verbi vim prorsus ignorem, significare videtur, quod saepissime, *adoriri* sive *invadere*.

I, 6 *ὅσα οὖν καὶ ἐπύθομεθα καὶ ἤσθησθαι δοκοῦμεν περὶ αὐτοῦ.* Prius verbum notat quae Xenophon ab aliis de Cyro acceperat, alterum quae de moribus eius sibi visus est animadvertisse, quatenus scilicet de his iudicare licebat ex iis quae fecerat gesseratque. Huc pertinent viri sermones et cogitationes. Frustra me iudice haesit H. p. 126.

II, 4 *διήρηται δὲ αὕτη ἡ ἀγορὰ ἢ περὶ τὰ ἀρχεῖα τέτταρα μέρη.* Putida diligentia, bono scriptore indigna, conspicitur in addendis verbis *ἢ περὶ τὰ ἀρχεῖα*, quae Xenophonti abiudicare non dubito. Leguntur verba *περὶ τὰ ἀρχεῖα* mox in eadem paragrapho et bis infra § 9, solentque interpretes additamenta sua petere e vicinis. — In sequentibus loci sententiam flagitare *πλὴν ἐν ταῖς τεταγμέναις ἡμέραις, αἷς αὐτοῦς δεῖ <πρὸ> παρῆναι*, ostendere conatus sum in *Révue de Philologie* II 3, 198 sq.

II, 7. Vocula *γὰρ* dudum ante H. (p. 127) deleta est, nec legitur in ed. Didotiana a. 1847.

II, 10 *αὕτη ἡ μελέτη.* Non haereo cum H. in articulo. Plena sententia est: *αὕτη ἡ μελέτη τῶν πρὸς τὸν πόλεμον μελετῶν ἀληθεστάτη αὐτοῖς δοκεῖ εἶναι.*

II, 11 τὸ οὖν ἄριστον τοῦτο δειπνήσαντες τὴν ὑστερίαν αὐθιγῶσι μέχρι δείπνου. Voculam οὖν recte omisit editor Didotianae. Quid sibi velit δ' οὖν in hac sententia non intellego. Sic tamen H. p. 128. Ibidem facio cum Hartmano parum eleganter scriptum esse iudicanti τοῦτο δὲ ποιοῦσι τοῦ ἰθιζεσθαι ἕνεκα, ἢν ἰάν τι καὶ ἐν πολέμῳ δεήσῃ, δύνωνται τοῦτο ποιεῖν, sed nulla erit offensio, si mecum correxeris, quod dudum in exemplaris, quo uti soleo, margine notavi, ἢν — δύνωνται ταῦτ' ποιεῖν.

II, 12 χρῶνται δὲ τοῖς μένουσι τῶν ἐφήβων αἱ ἀρχαί, ἣν τι ἢ φρουρῆσαι δεήσῃ ἢ κακουργοῦς ἐρευνησαι ἢ ληστὰς ὑποδραμεῖν ἢ καὶ ἄλλο τι (additum fere malim δρᾶσαι), ὅσα ἰσχύος τε καὶ τάχους ἔργα ἐστί. Verbi quidem ὑποτρέχειν sic usurpati aliud exemplum desidero, sed cf. Pindar. Pyth. II 84 λύκοιο δίκαν ὑποθεύσομαι ποτὶ ἰχθρὸν.

III, 2. De huius loci et Anab. I 5, 8 interpolatione vide quae scripsi *Revue de Ph.* II 3, 199.

III, 4 ἵνα ἤττον οἴκαδε ποθοίη. Notanda breviloquentia pro οἴκαδ' ἀπελθεῖν ποθοίη, prorsus ut nos dicimus *naar huis verlangen*. Infra II, 2, 9 est τὴν ἐπιστολήν, ἣν ἔγραψα οἴκαδε, VII 4, 7 ἄλλοσε χρῆσθαι στρατῶ et similia alibi, quorum tamen paullo diversa est ratio. Mox non iniuria haesit H. p. 129 in verbis τὸν δὲ Κῦρον ἔφασαν λέγειν, sed miror eum non vidisse, id quod dudum in margine apposui, simpliciter corrigendum esse Κῦρόν φασὶ λέγειν, ut mox sequitur τὸν δὲ Κ. ἀποκρίνεσθαι λέγεται, ubi tamen recte λέγεται expunxit Cobet. Sed cf. § 15. IV 9 et 26. VI 1. In extrema § expectabam potius πολλοὺς δὲ τινὰς ἐλιγμοὺς ἄνω κάτω (pro ἄ. καὶ κ.) πλανώμενοι κτέ., ut est noto loco Aristoph. ἄνω κάτω πλανύττομεν.

III, 7. Rectissime haeret H. in verbis νῦν γὰρ τοῦτ' ἔχω, quae si abessent, nihil desideraretur, neque omnino exputo, quae sententia apte addi potuerit. Declarare videtur universi loci compositio ea verba nescio unde in textum devenisse. Nimis tamen fere absurda sunt quam quae vel interpreti tribuas.

III, 8. Quid displiceat Hartmano in additis verbis *τοῖς βασιλευσὶ τούτοις* (sc. in Media) et § 9 *τῶν βασιλείων*, quibus deletis vix salva est loci sententia, vellem exposuisset.

III, 12 *τὰς δ' ἡμέρας* (*interdiu*) oppositum praegressis *ἐπὶ τῷ δείπνῳ* recte habere videtur, si sumimus coenam regiam post solis occasum locum habuisse et, ut par est, in multam noctem protractam esse. Quare non haereo cum H.

III, 14 *σε οὐ Σάκας εἶρξει* etiam mihi olim venit in mentem, et verissima videtur emendatio. — In sqq. e verbis *ἐπειδὴν τάχιστα ἰκπεύειν μάθης* (cf. § 15) apparet supra § 3 Astyagem putandum esse, quando cum nepote equitaret, non admovisse equo suo calcaria.

IV, 4 *οὐχ ἂ κρείττων ἦδει ἄν, ταῦτα προύκαλεῖτο τοὺς συνόντας*. Iniuria H. requirit *εἰς ταῦτα*. Thuc. II 72 *ἄπερ καὶ τὸ πρότερον ἤδη προύκαλεσάμεθα* et similia passim. Sic noto usu dicitur *προκαλεῖσθαι σπονδάς, εἰρήνην, sim.*

IV, 7 *ὅπως ἀπὸ τῶν δυσχωριῶν φυλάττοιεν* recte editiones Didotiana et Sauppiana (Tauchnitz 1865). Vid. H. p. 133. Cf. Hellen. VII 2, 10.

IV, 9 *καὶ σύ γε, εἰ βούλει, — τιμωρησάμενος ταῦτα ὁμῶς χάρισαι μοι*. Non iungendum *ταῦτα* cum *τιμωρησάμενος*, sed cum *χάρισαι*, itaque minus recte H. locum sollicitat.

IV, 11. Optime H. verba *ὑπὸ δὲ τῆς πλατύτητος οὐδὲ ἀμαρτεῖν οἶόν τε ἦν αὐτῶν* loco suo mota esse perspexit, sed non excidisse videntur ante ipsa verba *τὰ δ' ἐν τοῖς ὄρεσι*, quo loco oratio minus commode interrumperetur, sed ante verba *ἔπειτα κτῆ*. Legerim: *πρῶτον μὲν γὰρ ἐν μικρῷ χωρίῳ ἦν ὑπὸ τε* (pro δὲ) *τῆς πλατύτητος* (sc. τοῦ χωρίου) *οὐδὲ ἀμαρτεῖν οἶόν τε ἦν αὐτῶν, ἔπειτα λεπτὰ καὶ ψωραλέα, κτῆ*.

IV, 12 *ἦν δὲ τοσοῦτον ἐπιδιδῶ*. Sitne addendum cum H. *ἴτι* non disputo, sed vertens „si tantidem (tantundem?) accesserit

annorum" a sententia aberrasse videtur, nam ἐπιιδόναι de aetate usurpari non assolet. Voluit, ut arbitror, scriptor: Σί ταντος (quantos hucusque) *fecero* (in pudore) *progressus*.

IV, 14. Optativus δύναιτο (qua de re dubitat H.) recte habere videtur. Structura est quae κατὰ σύνεσιν dicitur, quasi praegressus sit optativus: οἱ κατ' ἐμὲ πάντες διώκειεν καὶ διαγωνίζοντο.

IV, 15. Insiticia esse verba αὐτὸν ἠσθάνετο e loci sententia demonstrabam *Révue d. Ph.* l.l. p. 199.

IV, 19. Ἦ οὔτοι, ἔφη, ὧ πάππε, πολέμιοι εἰσιν, οἱ ἐφεστῆ-
κασι τοῖς ἵπποις ἡρέμα; Πολέμιοι μέντοι, ἔφη. Ἦ καὶ ἐκεῖνοι,
ἔφη, οἱ ἐλαύνοντες; Κάκιστοι μέντοι. Frustra in his quoque haeret
H. p. 136, nihil enim impedit quominus intellegamus „qui cum
equis suis *constiterunt*“, quia ἐφιστάναι saepe est *sistere*, deque
equo usurpatur Anab. I 8, 15. Τοῖς ἵπποις est dativus instru-
menti, ut *καυσὶν ἀφικνεῖσθαι*, similia multa, nec necessarium
videtur <σύν> τοῖς ἵπποις conicere. — In sequentibus οἱ, ἦν
ἐπ' ἐκείνους ἡμεῖς ἐλαύνωμεν, ὑποτεμοῦνται ἡμᾶς πάλιν ἐκεῖνοι,
non genuinum videtur ἐκεῖνοι.

IV, 26 τοὺς μέντοι λαβόντας καὶ δεξαμένους τὰ δῶρα λέ-
γεται Ἄστυάγει ἀπενεγκεῖν, Ἄστυάγην δὲ δεξάμενον Κύρω
ἀποπέμψαι. Verba otiosa καὶ δεξαμένους Xenophontis esse dubito.

V, 1 ἐπεὶ δὲ καὶ ἐσθίοντα αὐτὸν ἑώρων ὥσπερ καὶ αὐτοὶ ἠδέως
καὶ πίνοντα κτῆ. Recte H. requirit ἄπερ. Aut hoc aut οἱ ἄπερ
verum est.

V, 4 καὶ εἰς Πέρσας ἴπεμπε πρὸς τε τὸ κοινὸν καὶ πρὸς Καμ-
βύσην τὸν τὴν ἀδελφὴν ἴχοντα καὶ βασιλεύοντα ἐν
Πέρσαις. Admodum suspecta habeo verba inutilia τὸν — Πέρσαις.

V, 10 ὅποτε καρποῦσθαι ταῦτα δεῖ, scil. ἃ ἴσπειρε καὶ ἐφύ-
τευσε. Pronomen delet H., sed, si recte memini, verbum καρ-
ποῦσθαι non solet absolute poni. Recte sine obiecto usurparetur
θερίζειν.

V, 14 ἐγὼ δ' ἐπανελθὼν πρὸς τὸν πατέρα πρόειμι δὴ κτέ. Cur H. malit *πάρειμι* non exputo. Solet enim *προίεσθαι* usurpari de militibus, quo sensu nos dicimus *oprukkken*. Vide mox VI, 2 init. II 4, 17 et passim.

VI, 7 εἴ τις δύναίτο ἐπιμεληθῆναι ὅπως ἂν αὐτός τε καλῶς κάγαθός δοκίμως γένοιτο κτέ. Vitio haec carere cum H. vehementer dubito, non tantum quia vocabulum *δοκίμως* male abundare videtur, sed etiam quod adverbium praeter unum Aeschyli locum apud nullum scriptorem Atticum reperitur. Fortasse ad *καλῶς κάγαθός* nescio quis olim adscripserit interpretamentum *δόκιμος, probus*, idque deinde, ut aliqua exiret sententia, in *δοκίμως* refictum est.

VI, 8 ὅταν μέντοι γε πρὸς ἄλλους ἀνθρώπους ἰδὼν κατανοήσω, οἷοι ὄντες διαγίγνονται ἄρχοντες κτέ. Verte „cum vero alios homines *considerans* (s. *respiciens*) animadverterim, cett.” Si cum H. deleveris voculam *πρὸς* sententia minus apta nascetur „cum vero aliis hominibus *conspicis* cett.”

VI. 9. In *Revue de Ph.* p. 199 expungebam glossema *εἶνα*, scribens *ἔστιν ἃ οὐ πρὸς ἀνθρώπους ἀγωνιστέον*, et mox verba otiosa *τοῖς παρὰ Κυαζάρου χρήμασιν*, nec muto sententiam.

VI, 11. Quod requirit H. *τὴν γῆν*, iam legitur in Didotiana.

VI, 15 καὶ περὶ μὲν τροφῆς ἐπίσθην ἰκανὸν εἶναι ὑπάρχον, ὅτι Κυαζάρης ἔμελλε παρέξειν ὑμῖν. Brevis delet *ὑπάρχον*, Hartman scribi mavult *ὑπάρχειν* pro *εἶναι ὑπάρχον*. Equidem illius magis probo rationem, siquidem quod quis praebiturus est nondum *ὑπάρχει* i. e. *surpetit, praesto est, adest*. Recte Suidas τὸ *ὑπάρχειν* οὐχ ἀπλῶς τὸ εἶναι — *σημαίνει, ἀλλὰ τὸ πάλαι εἶναι, προεῖναι, φθάνειν*. Simpliciter pro *εἶναι* hoc verbum usurpare est labentis Graecitatis.

VI, 16 σοὶ δὲ τούτου μεγαλοπρεπεστέρα ἔσται ἢ τῆς ὑγιείας ἐπιμέλεια. Cur praestet quod coniecit H. *ἔσται τις τῆς κτέ.* etiam post ea quae scripsit non perspicio. Sed rectissime deinde cor-

rigit μάρτυρας (pro μάρτυρες) δὲ σαφεῖς ἑκατέροις αὐτῶν παρίστανται τὰ τε σώματα καὶ τὰ χρώματα. Similiter pusillum vitium pessumdare mihi videtur sententiam eorum quae supra § 13 leguntur sic scripta: ἐπήρου με αὖ πάλιν, εἴ τινας τέχνας ἐδίδαξεν (δὲ σοφιστής), αἱς τῶν πολεμικῶν ἔργων κράτιστοι ἂν σύμμαχοι γένοιτο, ubi clamat contextus verum esse αἱ τῶν π. ε. κράτιστοι ἂν σύμμαχοι γένοιτο.

VI, 17. Verba ἀπ' ἐλαχίστων ὀρμώμενα recte intellexit interpres Latinus apud Didotium vertens „ut quaeque tenuissima commeatu in bellum feruntur, ita quaecumque ceperint iis largissime utuntur.”

VI, 18. Ἄλλὰ μέντοι, ἴφη, τό γε μελετᾶσθαι ἕκαστα τῶν πολεμικῶν ἔργων, ἀγῶνας ἂν τις μοι δοκεῖ, ἴφη, ὧ πάτερ, προεῖπὼν ἑκάστοις καὶ ἄλλα προτιθεῖς μάλιστα ποιεῖν εὐάσκεισθαι, ὥστε ἕκαστα, ὅποτε δέοιτο, ἔχειν ἂν παρεσκευασμένοις χρῆσθαι. Qui sit ridiculus in his, de quo queritur H., vocabuli ἕκαστος abusus, me quidem plane latet, nec quo alio modo Xenophon melius sententiam suam exponere potuerit invenio, sed nescio an, praegresso προεῖπῶν, melius scribatur προθεῖς κτέ.

VI, 22. In *Révue de Phil.* p. 199 tentabam ἦν γὰρ βούλη, μὴ ἦν, ἀγαθὸς γεωργὸς δοκεῖν εἶναι [ἀγαθὸς] ἢ ἰππεὺς ἢ ἰατρὸς ἢ αὐλητὴς κτέ. Sequentia, quae Hartmano fecerunt negotium, parva mutatione sic correxerim: καὶ εἰ δὴ πείσεις ἐπαινεῖν τέ σε πολλούς, ὅπως δόξαν λάβοις, καὶ κατασκευὰς καλὰς ἐφ' ἑκάστῳ αὐτῶν κτήσαιο, ἄρτι τε ἐξηπατηκὸς εἶης ἂν καὶ δλίγῳ ὕστερον, ὅπου πείραν δόξης ἐξεληλεγμένος, προσέτι καὶ ἀλαζῶν φαίνοιο, i. e. *et in praesentia deceptor eris et paullo post, ubi periculum tui faciens (fraudis) convictus fueris, praeterea iactatorem te esse apparebit.*

VI, 40 εἰ δὲ καὶ ταύτας (sc. τὰς κύνας) ἀποφύγοιεν, τοὺς πόρους αὐτῶν ἐκμανθάνων καὶ πρὸς οἷα χωρῖα Φεύγοντες αἰρούνται οἱ λαγῶ, ἐν τούτοις δίκτυα δυσόρατα ἐνεπετάννυες ἂν, καὶ (sic recte Didot et Sauppe pro ἴνα καὶ) τῷ σφῶδρα Φεύγειν αὐτὸς ἑαυτὸν ἐμπεσὼν συνέδει. τοῦ δὲ μὴδ' ἐντεῦθεν διαφεύγειν σκοποὺς τοῦ γιγνομένου καθίστης κτέ. In ultimis sine causa offendit H., saepenumero enim accidit ut irretita fera

rupto reti effugiat, sed recte depravata putat verba dudum mihi quoque suspecta Φεύγοντες αἰροῦνται. In margine exemplaris mei duo reperio tentamina Φεύγειν αἰροῦνται, ut sit *proliissimum fugiunt* et Φεύγοντες χαίρουσιν, i. e. *libenter fugiunt*, sed vix recte brutis animalibus tribuas αἴρεσιν, neque altera coniectura mihi ipsi prorsus persuadet. Iudicent alii. — Ibidem verba καὶ αὐτὸς μὲν σὺ ἐπισθεν κρυυῆ οὐδὲν ὑστερίζουσα τοῦ λάγω βοῶν ἐξέπληγτες αὐτόν, ὥστε ἀφρόνως ἀλίσκεσθαι cur Hartmano (p. 145) *aenigmatis inslar* videantur non intellego. Clamor non minus velociter currens (frequens litotes pro *etiam velocius*) quam lepus, itaque eum attingens, mihi quidem neque obscure neque illepede dictum videtur.

AD LIBRUM II.

I, 9 οἱ γε μεντᾶν αὐτῶν (hostium) Φεύγωσι, τούτους ὑμῖν καὶ τοῖς ἵπποις νέμομεν (praesens pro futuro in vivida et alacri oratione, ut supra τάττομεν), ὡς μὴ σχολάζωσι μήτε Φεύγειν μήτ' ἀναστρέφεισθαι. Verba ὡς μὴ σχολάζωσι κτῆ. Hartmano absurda videntur, mihi non item. Fugientes enim, quos nemo persequatur, probabile est se convertere ut pugnam instaurent; iisdem vero, equitibus persequentibus, nec fugiendi nec convertendi tempus relinquitur. Sive enim fugiunt sive convertuntur, opprimuntur ab illis.

I, 11 ἄρχοντος γὰρ ἐστὶν οὐχ ἑαυτὸν μόνον ἀγαθὸν παρέχειν, ἀλλὰ δεῖ καὶ τῶν ἀρχομένων ἐπιμελεῖσθαι ὅπως ὡς βέλτιστοι ἔσονται. Structurae ratio docet voculam δεῖ esse insiticiam. Eadem vocula abesse *proleat*, sed non *debet* mox § 13 extr. ἀπειναι μέντοι οὐδὲ τὰ ἡμέτερα χρεῖ, ἀλλὰ παντὶ τρόπῳ δεῖ τῶν ἀνδρῶν θήγειν πάντως τὸ φρόνημα. Quae verba respondent Cyri dicto § 11 extr. τὰς γε μέντοι ψυχὰς θήγειν αὐτῶν ὑμέτερον τὸ ἔργον. Sic enim recte ed. Didotiana pro ἡμέτερον, qua lectione recepta omnis Persici ducis quae sequitur oratio, in qua haesit H. (p. 142), fiet perspicua. Illic tamen ante ἔργον articulus delendus cum Cobeto. Mnem. III, 383 n. S.

I, 16 οὐ γὰρ ἦν ἡμῖν σχολή ὡς (al. ὡσπερ) ἡμῖν τούτων ἐπιμελεῖσθαι. Recte sic scribitur, si Cyrus dicere voluit Persarum vulgo *protonis* defuisse tempus exercendi; sin minus, legendum est ὅση sive ὅσηπερ, ut est IV 3, 12 ἀλλὰ μὴν σχολή γε ἡμῖν μακθάνειν ὅση οὔτε παισὶν οὔτε ἄλλοις ἀνδράσιν, quod equidem praetulerim.

I, 23. Didot edidit ἄθλα δὲ προὔφθηε τοῖς μὲν ταξιάρχους, οἱ κρατίστας δόξαειεν (l. —ειαν) τὰς τάξεις παρασκευάσαι, χιλιάρχους ἕσθθαι. Vide H. p. 143. Eidem temere requirenti ὑπῆρχε δὲ πᾶσι τούτοις τοῖς ἄρχουσι πρῶτον μὲν <τὸ> θεραπεύεσθαι ὑπὸ τῶν ἀρχομένων κτῆ. suadeo, ut inspiciat Stephani thesaurum sub voce ὑπάρχειν vol. VIII p. 129 A ed. Dind.

I, 25 Hartmano fortasse satisfaciet lectio in Didotiana ὥστε ὑφίσθθαι τινὰ (sic quoque Sauppe) κακίῳ <τε> ἕτερον ἑτέρου εἶναι πρὸς τοὺς πολεμίους.

II, 1 εὐχαριτώτατοι recte requirit H., quid enim intersit inter εὐχάριστος et εὐχαρις ne pueri quidem ignorant. Citatur autem εὐχαριτώτεροι apud Gregorium Cor. in schol. in Hermogenem p. 967 ed. Reiskii. Vocabula saepe confunduntur. Sic v. c. apud Platonem Rep. III 411 E e libris editur μετὰ ἀρρυθμίας καὶ ἀχαριστίας pro ἀχρητίας, quod sententia postulat.

II, 4 οὐδὲν ἔτι (pro τι) δεῖσθαι iam edidit Didot.

II, 6 τὰς τάξεις = τὴν τακτικὴν recte dici facio cum H., sed minime id sequitur ex verbis quae affert ex Anabasi ἰδόκει ἐπιστήμων εἶναι τῶν ἀμφὶ τὰς τάξεις. Melius vir doctus attulisset Cyropaed. VI 1, 24 ἅμα δ' ὅπως ἐν ταῖς ἀγωγαῖς τὰς τάξεις ὑπομιμνήσκοντο.

II, 13 ὅποτε γε νῦν καὶ αὐτὸς εἰδῶς, ὅτι εὐφραίνει μὲν τί σε βουλόμεθα, βλάψαι δ' οὐδέν, ὅμως οὕτως ἐν πολλῇ ἀτιμίᾳ ἡμᾶς ἔχεις. Manifeste verba καὶ αὐτὸς significant *aegre bene ac nos. Vernaculo sermone dicas, ge weel even goed als wij dat we u genoegen willen doen.* Quare non intellego, quid in his verbis Hartmano displiceat.

II, 24 καιρὸς οὖν ἰδοῦμαι αὐτῶν νῦν εἶναι ἐμβαλεῖν περὶ τούτου ψῆφον. Manifestum est, si recte ψῆφον traditum sit, haec verba non pertinere ad sequentem in tabernaculo consultationem, sed ad totius exercitus decretum, quod fit post habitum τῶν δημοτίμων consilium II 3, 1—16. Id tamen cum vetant verba sequentia (νῦν —) ἐν ᾧ καὶ οἱ δημοτίμοι δύνουσι τὴν τοῦ ἔχλου ἰσομοιρίαν, tum universus loci contextus. Quare non possum non probare haud lenem sane Hartmani coniecturam λόγον pro ψῆφον. Fieri potest ut λόγον errore omissum fuerit, et deinde propter praegressum ψήφισμα inepte suppletum sit ψῆφον. Si confidi posset unico loco Cyr. V 5, 43 οὐδ' ἡμῶν ἐμβαλε παρῶν περὶ τούτου κτλ., suspicarer ψῆφον prorsus esse delendum, sed haud improbabilis est Hugii coniectura ibi post ἐμβαλε excidisse βουλήν, cl. II 2, 18. Cobet praeiverat coniciendo <λόγον> ἐμβαλε.

II, 24 ἡ δ' ἀρετὴ πρὸς ἔρθιον ἀγούσα οὐ πάνυ δεινὴ ἐστὶν ἐν τῷ πραυτικά εἰκῆ συνεπισπᾶσθαι. Non perspicio quo sensu additum sit εἰκῆ. Num forte ea vox dittographia nata est ex canda praegressi vocabuli, adiuvante itacismo?

II, 26 μαρτυρεῖ δὲ καὶ μοι τόδε πρὸς τὸ ἀγαθόν. Miror H., qui recte in his haesit, non expungi iussisse insulsum supplementum πρὸς τὸ ἀγαθόν, quod qui addidit significare voluisse videtur τοῦτ' ἀγαθὸν εἶναι. Mox ὑπόντων et ipse olim conieci et, nisi fallor, alicubi propositi pro ἐνόντων, quod idem valet de correctione καρτερικώτερον pro καρτερώτερον I 6, 25.

II, 31 καὶ τις εἶπε· Κάπειτα τοιοῦτον ὄντα οὐ φιλεῖς αὐτὸν ὡς περ τοὺς συγγενεῖς; Vereor ne tria ultima vocabula, quae nihil hic faciunt, aliquis addiderit memor loci I 4, 27 sq.

III, 3 οὕτω δὲ, ἔφη, δεῖ ὑμᾶς γινώσκειν, ὡς, ὅταν μὲν ἀνθρώποι κοινῶν πολέμου γενόμενοι ἐν ἑαυτοῖς ἕκαστοι ἔχωσιν, εἰ μὴ αὐτὸς τις προθυμῆσεται, ὡς οὐδὲν ἐσόμενον τῶν δεόντων. Vid. *Revue de Ph.* p. 200, ubi proposui τὴν γνῶμην οὕτως ἕκαστος ἔχωσιν — ὡς κτλ. De articulo in sqq. Hartmano satisfaciunt edd. Didotii et Saupprii.

III, 6. Ibidem delevi manifestum glossema ἢ τοῦ ἀγαθοῦ, nisi forte praestat una litura delere μάλλον ἢ τοῦ ἀγαθοῦ, et μοχ § 9 verba ὁ κύων στόματι, quia canis non παίει sed δάκνει τῷ στόματι.

III, 11 καταλείπεται sensu τοῦ λοιπῆ ἔστι non est sollicitandum cum II.; vid. Ar. Pl. 680 εἴ που πόπανον εἶη τι καταλείμμενον, et ita non raro. Cf. etiam κατάλοιπος apud Stratonem (Athen. 382) τοῦτο γὰρ νῆ τὸν Δία | ἔστι κατάλοιπον, μίροπας ἐπὶ δεῖπνον καλεῖν.

III, 13 οὐ γὰρ ἔστι διδάσκαλος οὐδεὶς τούτων κρείττων ὢν τῆς ἀνάγκης. Recte iam Didotiana omittit ὢν.

III, 16. ἀνίσταντο δὲ καὶ ἄλλοι πολλοὶ συναγορεύοντες. Soloecae ita scribitur pro συνεροῦντες.

III, 20. Vox καλλίστην, quam deleri iubet H., sine insigni sententiae detrimento me iudice abesse nequit, neque in reliquo loco quidquam vitiosi mihi esse videtur.

III, 21. Stephani coniectura παρῆγεν pro παρήγγειλεν, quam probat H., mihi quidem corruptela non emendatio esse videtur. Recte Didotiana: παρήγγειλεν εἰς τέτταρας ἄγειν τὸν λόχον, ut supra est παρηγγύησεν εἰς δύο ἄγειν τὸν λόχον. — In extrema paragrapho propter dicta § 17 malim ἐκάλεσε <καὶ> ταύτην τὴν τάξιν ἐπὶ τὸ δεῖπνον σὺν τῷ ταξιάρχῳ.

(Continuabitur).

Sumptibus E. J. BRILL prodierunt:

- M. T. Cicero. Commentarii rerum suarum sive de vita sua; accesserunt Annales Ciceroniani in quibus ad summamque annum referuntur quae in his commentariis memorantur; utrumque librum scripsit W. H. D. Suringar. 1854. 2 part. 1 vol. 8°. f 8.50
- C. G. Cobet, Variarum lectionum, quibus continentur observationes criticae in scriptores Graecos. Editio secunda auctior. 1873. 8°. f 7.—.
- Miscellanea Critica, quibus continentur observationes criticae in scriptores Graecos praesertim Homerum et Demosthenem. 1876. f 7.—.
- Collectanea critica, quibus continentur observationes criticae in scriptores Graecos. 1877. 8°. f 7.—.
- Hyperidis Orationes duae Ὁ ΕΠΙΤΑΦΙΟΣ ΛΟΓΟΣ et ἘΠΕΥΕΚΕΝΗΠΠΟΥ. Editio altera auctior et emendatior. 8°. 1877. f 1.50.
- Observationes criticae et palaeographicae ad Dionysii Halicarnassensis antiquitates Romanas. 1877. 8°. f 3.50.
- De Philostrati libello ΠΕΡΙ ΓΥΜΝΑΣΤΙΚΗΣ. 1859. 8°. - 1.25.
- Cornelii Nepotis vitae excellentium imperatorum. In usum scholarum. 1881. kl. 8°. f 0.60.
- Lysiae Orationes et fragmenta. Edit. sec. emend. 1882. 8°. f 1.20.
- Xenophontis Expositio Cyri. Editio quarta emend. 1886. 8°. f 1.20.
- Historia Graeca in usum scholarum. Editio tertia emendatior. 1887. 8°. f 1.20.
- J. J. Cornelissen, Oratio inauguralis. 1879. 8°. - 0.45.
- Coniectanea Latina. 8°. - 0.60.
- Cornelii Taciti de vita et moribus Iulii Agricolae. 1881. 8°. - 0.75.
- Opus idem. In usum scholarum. 1881. kl. 8°. - 0.30.
- Minucii Felicis Octavius. 1882. kl. 8°. - 0.90.
- H. van Herwerden, Lectiones Rheno-Traiectinae - 1.50.
- Dr. H. T. Karsten, De inkomsten en uitgaven van den Romeinschen Staat. Antiquarische schets. 1e stuk: De Republiek. 1880. 8°. f 0.80.
- Spicilegium criticum. 1881. 8°. - 0.80.
- H. W. van der Mey, Studia Theognidea, accessit collatio codicis Mutinensis tantum non omnis. 1860. 8°. f 0.75.
- E. Mehler, Luciani dialogi quattuor. Graeco. (Timon, Philopseudes, Verae historiae, Gallus). In usum scholarum f 1.90.
- Dr. J. S. Speijer, Latijnsche spraakkunst:
1ste stuk. Flexie en etymologie. 2de druk. 1883. f 1.90.
2de stuk. Syntaxis. 2de druk. 1884. - 1.90.
- Mnemosyne. — Bibliotheca philologica Batava. Edid. C. G. Cobet, T. J. Halbertsma, H. G. Hamaker, E. J. Kiehl, etc. 1852—62. 11 vol. et Appendix ad vol. 2—7. 8°. (f 56.50) f 30.—.
- Nova series scripsit C. G. Cobet, C. M. Francken, H. van Herwerden, S. A. Naber, W. G. Pluygers, J. J. Cornelissen, J. van Leeuwen J. f., I. M. J. Valetton, alii; Vol. I—XIV colleg. C. G. Cobet, H. W. van der Mey, Vol. XV—XVIII colleg. S. A. Naber, J. van Leeuwen J. f., I. M. J. Valetton. 1873—89. 8°. pro vol. f 5.25.

342 70 1890



MNEMOSYNE.

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA

COLLEGERUNT

S. A. NABER, J. VAN LEEUWEN J. F., I. M. J. VALETON.

OPERAM SUAM POLLICITI SUNT

C. M. FRANCKEN, J. J. HARTMAN, H. VAN HERWERDEN, A. E. J. HOLWERDA,
H. T. KARSTEN, E. MEHLER, J. C. NABER, H. J. POLAK, K. G. P. SCHWARTZ,
M. C. VALETON, J. VAN DER VLIET, J. WOLTJER.

NOVA SERIES.

VOLUMEN DUODEVICESIMUM. PARS II.

LUGDUNI-BATAVORUM

E. J. BRILL.

W^DLIPSIAE,
O. HARRASSOWITZ.

1890.



INDEX.

	Pag.
Critica et epicritica ad Cyropaediam, (<i>continuantur ex huius Vol. pag. 112</i>), scripsit H. VAN HERWERDEN	113—148.
Criticae versus emendatur, scripsit J. v. L. J. F.	148.
Observatiunculæ de iure Romano (<i>continuantur ex huius Vol. pag. 81</i>), scripsit J. C. NABER S. A. FIL.	149—163.
Ad Platonis Apologiam, scripsit J. B. KAN.	163.
De Ovidii Metamorphosesin edendis scripsit J. J. HARTMAN .	164—202.
De morte Aeschyli epirrhema, scripsit O. CRUSIUS	202.
Addenda ad. h. v. pag. 103—148, scripsit H. VAN HERWERDEN.	203—205.
De Iliadis et Odysseae codice Vindobonensi N° 5, scripsit J. v. L. J. F.	206—207.
De modis auspicandi Romanorum II. (<i>continuatut ex Vol. XVII pag. 452</i>), scripsit I. M. J. VALETON	208—263.
Ad Platon. Rep. V p. 468 A, scripsit J. v. L. J. F.	263.
Ad Lucretium I. 859 sqq., scripsit H. T. K.	264.

III, 6. Ibidem delevi manifestum glossema ἢ τοῦ ἀγαθοῦ, nisi forte praestat una litura delere μάλλον ἢ τοῦ ἀγαθοῦ, et mox § 9 verba δ κύων στόματι, quia canis non παίει sed δάκνει τῷ στόματι.

III, 11 καταλείπεται sensu τοῦ λοιπή ἐστὶ non est sollicitandum cum H.; vid. Ar. Pl. 680 εἶ που πόπανον εἶη τι καταλειμμένον, et ita non raro. Cf. etiam κατάλοιπος apud Stratonem (Athen. 382) τοῦτο γὰρ νῆ τὸν Δία | ἐστὶ κατάλοιπον, μέροπας ἐπὶ δεῖπνον καλεῖν.

III, 13 οὐ γὰρ ἐστὶ διδάσκαλος οὐδεὶς τούτων κρείττων ὢν τῆς ἀνάγκης. Recte iam Didotiana omittit ὢν.

III, 16. ἀνίσταντο δὲ καὶ ἄλλοι πολλοὶ συναγορεύοντες. Soloece ita scribitur pro συνεροῦντες.

III, 20. Vox καλλίστην, quam deleri iubet H., sine insigni sententiae detrimento me iudice abesse nequit, neque in reliquo loco quidquam vitiosi mihi esse videtur.

III, 21. Stephani coniectura παρήγεν pro παρήγγειλεν, quam probat H., mihi quidem corruptela non emendatio esse videtur. Recte Didotiana: παρήγγειλεν εἰς τέτταρας ἄγειν τὸν λόχον, ut supra est παρηγγύησεν εἰς δύο ἄγειν τὸν λόχον. — In extrema paragrafo propter dicta § 17 malim ἐκάλεσε <καὶ> ταύτην τὴν τάξιν ἐπὶ τὸ δεῖπνον σὺν τῷ ταξιαρχῷ.

IV, 3 ἐπεὶ δὲ κατενόησε τὴν ἀγυιὰν τὴν πρὸς τὸ βασιλεῖον φέρουσαν στενωτέραν οὔσαν ἢ ὡς ἐπὶ μετώπου πάντας διέναι, παραγγείλας τὴν πρώτην χιλιοστὴν ἔπεισθαι κατὰ χώραν, τὴν δὲ δευτέραν κατ' οὐρὰν ταύτης ἀκολουθεῖν, καὶ διὰ παντὸς οὕτως. Quid sibi hic vult κατὰ χώραν? Eodem ordine quo collocati fuissent vertunt, quod neque Graecitas fert neque admittit loci ratio, quae manifeste requirit certum militum ordinem plateae angustiis accommodatum. Non poterant procedere milites κατὰ πρόσωπον, ergo longo agmine ire debebant. Longius distat ἐπὶ κέρως, itaque quid lateat non reperio. Nam κατὰ κέρως proponere non audeo.

IV, 5 ἐγὼ δ', Ἰφῆ, ἐβουλόμην σε ὡς λαμπρότατον Φανῆναι· καὶ γὰρ ἐμοὶ ἂν κόσμος ἦν τοῦτο, ἐμῆς ὄντα ἀδελφῆς υἱὸν ὅτι μεγαλοπρεπέστατον φαίνεσθαι. Vix recte abest pronomen. Num ἐμῆς <σ'> ὄντα κτέ.? Audacius rem administrabam *Rénue d. P.* p. 200.

IV, 11 ἄλλως τε καὶ εἰ εἰς τοιοῦτόν τι λαμβάνοιμι, ὁ μέλλοι καὶ σοὶ δαπανηθὲν βέλτιον εἶναι. Recte in his haesit H., confusa inter se esse dicens quod expenditur et rem cuius causa expenditur. Vix tamen sufficiunt propositae ab ipso correctiones, ut aut ὥστε legatur pro ὅ, aut deleatur δαπανηθὲν. Longe saltem praetulerim hanc lectionem: ἄλλως τε καὶ εἰ τοιοῦτόν τι λαμβάνοιμι, ὁ μέλλοι καὶ σοὶ δαπανηθὲν βέλτιον εἶναι. Ex ei ditto-graphia natum est εἰC.

IV, 17 ἂν (hic et ubique l. εἰάν) τις ἐκεῖσε ἐξήγγειλῃ, ὡς ἐγὼ βουλοίμην μεγάλην θήραν ποιῆσαι. Ut recte dicitur ἐξήγγειλέ τις, ὡς Κύρος βούλοιο — θήρην ποιῆσαι, sic in illa quoque sententia recte habere videtur optativus, quem H. non concoquere se dicit p. 150. — Etiam num § 18 *necessario* inserendum sit ὡς post εὐθέως, dubito propter verba καὶ γὰρ τῷ ὄντι, Ἰφῆ, βούλομαι ἑλθὼν κατασκευάσαι αὐτὰ ὡς ἐχυρώτατα, et revera tendit Cyaxares τὴν πρὸς τὰ Φρούρια § 18 σὺν δυνάμει πεζῇ καὶ ἰππικῇ. Potest quis ire πρὸς τόπον, nec tamen eo pervenire. — Ὅποτε δὲ σὺ προεληλυθοῖς σὺν ἧ ἰσχύος δυνάμει καὶ θηρώεις καὶ δὴ δύο ἡμέρας. Particulae καὶ δὴ sic usurpatae videntur ut III 3, 43 οἱ δὲ Ἀσσύριοι καὶ δὴ ἤριστοκότες ἐξῆσαν τε θρασέως κτέ. significantque saepe fere idem quam ἤδη, nisi quod alacrius ponuntur. Aliter H. p. 150. Significant quidem saepius *fac, rone*, sed non nisi in sententiae initio, tum vero pertinent ad universam sententiam.

IV, 21 καὶ τοῦτο προῖδὼν ὡς συμβλεῖται πρὸς τὸ λανθάνειν, i. e. *providens hoc quoque ad fallendum hostem conducturum*. Nempe si iam nunc Armeniorum rex rescivisset tantas copias in unum congregari, iusto citius intellexisset venationem illam merum esse praetextum. Cur H. ea verba *sensu cassa* dicat, non intellego. Non magis obscura esse concedo quae narrantur § 29: ἀγαθὸν δὲ καὶ τῶν δυνατωτάτων καὶ προθύμων ὑπομένοντάς τινας

ἐνίοτε παρακελεύεσθαι· ἐπειδὴν δὲ παρέλθῃ τὸ κίρας, παρεξυτικὸν εἰς τὸ σπεύδειν πάντας παρὰ τοὺς βαδίζοντας τρέχοντας δρᾶσθαι. Nemp̄e iis, qui tardorum incitandorum causa substiterant, postquam horum agmen ipsos praetergressum erat, celeriter erat currendum praeter illud agmen, ut suos locumque suum repe-terent, isque cursus novum erat illis festinandi incitamentum.

IV, 24. Legendum ἦν δ' αὖ ὑποχωρῆ <ποι> τοῦ πεδίου, δῆλον ὅτι μεταθεῖν δεήσει. Nam sin minus, apto sensu carent sqq. ἦν δ' εἰς τὰ ὄρη Φεύγῃ κτέ.

AD LIBRUM III.

I, 4. Φεύγοντες ἠλίσκοντο πολλοὶ γε αὐτῶν. In emphatica particula γε non offendo cum H.

I, 11 καὶ γὰρ ἴστιν — καλὸν μάχεσθαι, ὅπως μήποτε τις δοῦλος μέλλοι γενήσεσθαι. Requiro μέλλῃ.

I, 19. Tigranes ad Cyrum de patre haec: ἅ δὲ ὣήθη (pater) χρῆναι λαθεῖν ἢ φθάσαι ἢ ἀποβιάσασθαι, οὐδὲν τούτων ἰκανὸς γενόμενος διαπράξασθαι. Σὲ δὲ οἶδεν, ἐπεὶ ἐβουλήθης ἐξαπατήσαι αὐτὸν οὕτως ἐξαπατήσαντα ὥσπερ ἂν τις τυφλοὺς καὶ κωφοὺς καὶ μὴδ' ὀτιοῦν φρονοῦντας ἐξαπατήσειεν, ἅ δ' ὣήθης λαθεῖν χρῆναι, οὕτω σε οἶδε λαθόντα, ὥστε ἅ ἐνόμιζεν ἑαυτῷ ἰσχυρὰ χωρία ἀποκεῖσθαι ταῦτα σὺ εἰρκτὰς αὐτῷ ἔλαβες προκατασκευάσας. Lucrabitur huius loci compositio, deletis vocabulis σε οἶδε male repetitis.

I, 27. Ἄλλὰ ναὶ μὰ Δῖ, ἘΦη, ὦ Κῦρε, ἔχει μὲν προφάσεις τὰ ἡμέτερα ἀμαρτήματα ὥστε ἀπιστεῖν ἡμῖν, h. e. habent sive continent delicta nostra causas, quare fides nobis non habeatur, nec scribendum cum H. πρέχει, quod de hominibus usurpatur, non de rebus. Ita v. c. Plato Rep. V, p. 469 C ἢ οὐ πρόφασιν ἔχει (sc. τὸ πρᾶγμα) μὴ πρὸς τὸ μαχόμενον ἰέναι, ὡς τι τῶν δεόντων δρῶντας, ὅταν περὶ τὸν τεθνεῶτα κυπτάζωσι κτέ., estque hic verbi ἔχειν usus in similibus perfrequens. Comparandae sunt notae formulae λόγον ἔχει et φύσιν ἔχει.

I, 28. Praepositionem παρά male repetitam iam expunxit Cobet Mnem. III, 388.

I, 39. Innuit Xenophon, Socratis discipulos huius amore a parentibus suis abalienari creditos esse ab aequalibus.

II, 20. Futurum νεμῖν hic pro νέμειν necessarium esse dixi *Révue de Ph.* l. l. Supra § 13 pro ὡς ibidem requirebam ὅπως δὲ καλῶς ἔξει — ἐμοὶ μελήσει.

II, 23. Transponendum cum Linckio ἔδοσαν καὶ ἔλαβον πάντες τὰ πιστά.

II, 25 εἰσι δὲ τινες τῶν Χαλδαίων, οἱ ληζόμενοι ζῶσι καὶ οὐτ' ἐπίστανται ἐργάζεσθαι οὐτ' ἂν δύναιντο, εἰθισμένοι ἀπὸ πολέμου βιοτεύειν. Quicumque ἐργάζεσθαι οὐκ ἐπίσταται eum ultro liquet οὐ δύνασθαι, inepteque lector de ea re, quasi nesciat, monetur. Procul dubio Xenophon scripsit οὐτ' ἂν βούλοιντο.

II, 29. Verbum γενέσθαι, quod post συμπράκτορας rectissime expungit H., nisi fallor, pedem intulit ex Cyri verbis praegressis § 28 ὥστε γενέσθαι ἡμῖν — ἃ ἐγὼ βούλομαι, et fortasse pars fuit veteris interpretamenti huiuscemodi: ὥστε γενέσθαι ὑμῖν ἃ βούλει.

III, 4 καὶ τοῦτ' ἐποίουν, ἕως ἐκ τῆς χώρας ἀπῆν. Haud difficile me malle ἀπῆλθεν, sed illud fortasse potest defendi.

III, 6. Incertum arbitror, sitne cum H. pro ἔχειν corrigendum ἔξειν, an, quod fere praetulerim: εἰ ἕκαστος τὸ μέρος ἀξίεικαινον ποιήσειε, τὸ ὅλον <ἂν> αὐτῶ καλῶς ἔχειν.

III, 9 γιγνώσκων, ὅτι ἐν τῷ μέλλειν πολλάκις τοῖς ἀρχουσι καὶ τῆς καλλῆς παρασκευῆς ἀλλοιοῦται τι. Malim equidem καὶ τῆς κκλλίστης, etiam pulcherrimae.

III, 19. Verba πολὺ ἂν μᾶλλον deleuit Dindorf; πολὺ γὰρ μᾶλλον, ὃ καὶ ὁ πατήρ ἀεὶ λέγει coniecit Hertlein. Vid. Hartman p. 155 sq.

III, 35. Cur pro ἀκούοντες suspicer ἀσκοῦντες, exposui *Révue de Ph.* p. 201.

III, 69 παρηγγύησεν ἐπὶ πόδ' ἀνάγειν ἔξω βελῶν καὶ πείθεισθαι. Duo ultima vocabula genuina esse dubito. Cf. IV 1, 3.

AD LIBRUM IV.

I, 3 ὥστε αὐτός τε ἀβλαβής καὶ τοὺς αὐτοῦ ἄνδρας ἀβλαβεῖς — παρέχεται. Ad ἀβλαβής necessario addendum esse, quod ultro mente supplemus ἔστι, non persuadet mihi H, licet plerumque sequente alio verbo verbum substantivum addi facile concedam. Nec tamen desunt loci, ubi similiter abest.

I, 7 καὶ συνηθεῖς ἐκείνῳ κοινῆ ὡς εἰκός κτῆ. Adverbium κοινῆ delet H. Vide tamen Eur. Hippol. 731 τῆς νόσου δὲ τῆσδε μοι κοινῆ μετασχών. Si igitur κοινῆ genuinum, non intellegam *gratulus*, sed *una cum illo gavius*. Cf. etiam Arist. Nub. 67. — Facile sane κοινῆ nasci potuit ex ἐκείνῳ.

I, 16 καὶ γὰρ εἰ μὲν οἱ πολέμιοι ἦττους ὄντες ἡμῶν Ἐφευγον, ἴσως ἂν καὶ διώκειν τοὺς ἦττους ἀσφαλῶς εἶχε. Verba insipida τοὺς ἦττους vix ipse Xenophon addidit. Simile additamentum reperies infra V 4, 36, ubi recte H. delet verba τὸν αὐτοῦ βελτίονα.

I, 22 verba πρὸ αὐτοῦ post φιληθεῖς, in quibus iure offendit H., neque apud Didotium reperies neque apud Sauppium.

II, 7. Cum H. expectabam διδόναι pro διδάσκειν, iubensque, deletis verbis ὡς ἀληθεύετε ut glossemate, legerim: ἔχετε οὖν ὧν λέγετε πιστόν τι ἡμῖν διδόναι;

II, 13 γενέσθαι soloecum esse quis non concedet Hartmano? Malim tamen delere quam corrigere. Elegantius enim scribetur: ὡς οὐχ ἡμᾶς ἐφ' ὑμῖν ἴσσεσθαι, ἀλλὰ μάλλον — ὑμᾶς ἐφ' ἡμῖν. Byzantinum interpretem tempora confundentem arguit additum γενέσθαι.

II, 30. Verbum *παρισθάνομαι*, quod H. nusquam legere se meminit et vitio natum putat, usurpavit, ut sequiorum locos reticeam, ex scriptoribus Atticis Plato Theaet. p. 157 E.

II, 31 verba *καὶ Ἀραβίων* cur insiticia esse credam, dixi *Révue de Ph.* l.l.

II, 36 *πρῶτον μὲν ἐκέλευε καθίζεσθαι αὐτῶν ὄσοις ἐστὶ πλέον ἢ δυοῖν μηνοῖν ἐν τῇ σκηνῇ τάπιτήδεα, ἔπει δὲ τούτους εἶδεν, αὐθις ἐκέλευεν ὄσοις μηνός ἤν.* Fac dici posse, quod non nego, in tali sententia *ἐστὶ* pro *ἤν*, non recte tamen in eadem sententia ambo tempora copulantur. Suspicio igitur *ἐστὶ* suppletum esse, postquam proclivi errore inter *μηνοῖν* et *ἐν* vocula *ἤν* exciderit, et scribam *ὄσοις πλεῖν ἢ δυοῖν μηνοῖν <ἤν> ἐν τῇ σκηνῇ τάπιτήδεα.*

II, 40. Pro *προσῆκει* requiri *προσῆκεν* monui *Révue de Ph.* l.l. Non facio cum H. addendum fuisset existimante, cur cavendi essent versantes *ἐν τῷ στρατοπέδῳ πολίμιοι πολλαπλάσιοι* ipsorum Persarum, quam causam nemini obscuram, ut arbitrator, si Xenophon addidisset, inepte loquacem hominem iudicarem.

II. 46. Ad h. l. duas H. protulit coniecturas, quarum utraque reperitur in Cobeti annot. ad Cyropaediam Mn. III, 391 n. s.

III, 13. Vix recte H. hic affert Bacchi iocum ad Xanthiam in Ranis *πῶς γὰρ Φέρις, ὅς γ' αὐτὸς ὑφ' ἑτέρου Φέρι;* Aliud enim comicum decet, aliud imperatorem militibus suis persuadentem. Quare potius crediderim Cyri verborum hanc esse sententiam: arma quae eques portat, velut scutum, partim niti equi dorso, itaque minus gravia esse portanti. Quis quaeso militum inani, quali Bacchus utitur, captivuncula decipi se passus fuisset?

III, 14. H. pro *κἄπειτα* requirit *ἔπειτα* et e verbis *ἀλλ' οὐδὲ τοῦτο ἀμήχανον* delet *ἀλλά*, hoc saltem non recte, nam in obiectione illa coniunctio praesertim ante negationem est usitatissima, inde ab Homero, qui cecinit

*εἰ περ σ' Ἐκτωρ γε κακὸν καὶ ἀνάλικτα φήσει,
ἀλλ' οὐ πείσονται Τρῶες καὶ Δαρδανίωνες.*

Alterum, licet parum sit usitatum, defendi fortasse potest miro quidem sed certo usu, quo non ita raro pro *ἔπειτα* et *εἶτα* post participia inferuntur *κάπειτα* et *κῆτα*. Cf. Ar. Nub. 409. Av. 674. 1455. Eq. 391. Plat. com. fr. 63 (K.). Nihilominus *ἔπειτα* mihi quoque verius videtur.

III, 17 ὁ δὲ δὴ μάλιστα δοκῶ ζῶν, ἔφη, ἐξηλωκέναι, ἰπποκενταύρους, εἰ ἐγένοντο ὥστε προβουλεύεσθαι μὲν ἀνθρώπου Φρονήσει, ταῖς δὲ χερσὶ τὸ δέον παλαμᾶσθαι, ἵππου δὲ τάχος ἔχειν καὶ ἰσχύν, ὥστε τὸ μὲν Φεῦγον αἰρεῖν, τὸ δ' ὑπομένον ἀνατρέπειν, οὐκοῦν πάντα καὶ ἐγὼ ταῦτα ἰππεὺς γενόμενος συγκομίζομαι πρὸς ἑμαυτόν. Si scribimus *εἰ ἐγένοντο οἱοί* (i. e. τοιοῦτοι οἱοί) *προβουλεύεσθαι* et in fine *οὐκοῦν* (*nonne*) — *πρὸς ἑμαυτόν*; reliquus locus fortasse mendo caret. Δοκῶ, ut saepe, valet νομίζω. In liberiore structura (quales apud veteres Atticos non ita raro occurrunt) sine causa idonea haesit H. p. 162.

IV, 2 οἱ δὲ διηγούντο ἅ τ' ἐποίησαν καὶ ὡς ἀνδρείως ἔκαστα ἰμεγαληγόρου. Manifeste prava est horum verborum compositio. Num forte *ἰμεγαληγόρου* fluxit e glossemate? Sufficit enim aut *οἱ δὲ διηγούντο ἅ τ' ἐποίησαν καὶ ὡς ἀνδρείως ἔκαστα*, *hi autem narrabant quae et quam fortiter singula gessissent*, aut *οἱ δὲ ἅ τ' ἐποίησαν καὶ ὡς ἀνδρείως ἔκαστα ἰμεγαληγόρου*, quod proposuit Cobet Mn. III, 392 n. s. et fortasse est praefendum. Non intellego qui H. scribere potuerit: „non concoquo verba ὡς ἀνδρείως. „Credo X. aliquid dedisse in hanc sententiam: *ut mos est hominum*”.

V, 8. Ὁ δὲ Κυαξάρης δ τῶν Μήδων βασιλεὺς κτέ. Deleatur magistelli emblemata.

V, 11. Καὶ πῶς, ὦ δέσποτα, ἐγὼ εὐρήσω ἑκείνους; Ὁ πῃ δὲ Κύρος, ἔφη, καὶ οἱ σὺν αὐτῷ (sc. τοῦς) ἐφ' οὓς ἐπορεύοντο. Imo vero: Ὁ πῃ δὲ κτέ. Τοῦς additum malim.

V, 14 εἰσέφρηκαν pro εἰσαφῆκαν correxi *Révue de Ph.* p. 202, nescius idem iam vidisse Cobetum l.l. Mnem. Sententia enim postulat *ἐντρωμίσανται*. Praeterea ibidem malebam *εἰρημένον* ὑπὸ Κύρου, deletis vocibus ὥσπερ et ἤν.

V, 41. Hic locus, in quo optime offendit H., sic fere splendendus videtur: ὁμοίως δὲ διαδίδοτε λαβόντες ἵππει μὲν τὸ διπλοῦν, πεζῶ δὲ τὸ ἀπλοῦν <, ἀλλὰ μὴ ἅπαντα>, ἵνα ἔχητε, ἣν τινος προσδέησθε, καὶ ὅταν ὀνήσεσθε.

V, 52. *Révue de Ph.* p. 202 transponebam ὅτι ἂν ἄλλο δοκῆ pro ὅτι ἄλλο ἂν δοκῆ.

V, 55. ὁ δὲ τοὺς ταξιάρχους καλέσας ἐκέλευσε τοὺς ἵππους λαμβάνειν καὶ τὰ τῶν ἵππων σκεύη καὶ τοὺς ἵπποκόμους ἀριθμῆσαντας λαβεῖν, κληρωσαμένους εἰς τάξιν ἴσους ἐκάστοις. Pertinet ἴσους ad omnia quae enumerantur: τοὺς ἵππους, τὰ τῶν ἵππων σκεύη, τοὺς ἵπποκόμους, neque igitur probō H. coniecturam ἐκατέρων. Poterat Xenophon scribere ἐκάστην, sed eodem sensu scripsit ἐκάστοις. Ordo verborum est κληρωσαμένους ἴσους ἐκάστοις εἰς τάξιν.

VI, 3 εὐδαίμονα — τιθείη in Attico scriptore non fert H., neque ego in alio pedestri ferrem, sed fero in Xenophonte, quem non raro Iasmis uti constat. Scribere autem sic potuit, qui in Lacedaemoniorum rep. scripsit X, 2: θεὸς τοὺς γέροντας κυρίους τοῦ ἀγῶνος et Oecon. IX, 3 τιμιωτέρους τιθέντες δικαίους τῶν ἀδίκων, quae non magis Attice dicta sunt.

VI, 8. Cur τιμωρήσειν σοι τοῦ παιδὸς τὸν Φονέα minus recte dictum sit quam τ. π. τὸν Φόνον, quod praefert H., non perspicio. Sauppe cum parte codicum omisit τὸν Φονέα, sed τιμωρεῖν cum genetivo personae prorsus nihil significat. Nihilominus sub hac optimorum librorum lectione latebat vera scriptura, quam mutatione vix ulla in lucem protraxit summi Cobeti sollertia corrigentis τιμώρησίν σοι τοῦ παιδὸς σὺν θεοῖς ὑπισχυοῦμαι, quam evidentem emendationem (Mn. III, 394) si cognovisset H., aliter de hoc loco iudicasset. — Idem mox § 11 requirens ἀποδεδωκότες propter sequens ἐξηρηκότες non attendisse videtur ad ἐκπληρωσαντες, quod post pauca in eadem sententia subsequitur.

AD LIBRUM V.

I, 1. Οἶμαι positum pro οἶμαι δεῖν, licet vocula δεῖν compendiose scripta ut saepe alibi, ita in hac quoque formula, paucis quibusdam locis perierit, Graecum esse nego (cf. meae *Symbolae Exeg. et Crit. ad Xenophontis Hist. Gr.* Traiecti a. Rh. 1888 ult. pag.) nec χάριν ἔχειν = εἰδέναι hic, ut H. putat, male positum est pro χάριν δφείλειν. Optime veritas: *et tibi ego gratior sum, ut arbitror, quod a me (sed recte Cobet delevit ἐμέ) petivisti, quam tu mihi, quod accipis.* Quod aliquanto acrius dictum est quam si legeretur οἶμαι δεῖν aut δφείλειν. Hyperbolice autem Xenophontem locutum esse confirmant ipsa sequentia: οὕτως ἐγὼ ὑμῖν διψῶ χαρίζεσθαι, quae alioqui sensu cassa forent. Iniuria igitur H. hunc locum sollicitavit.

I, 4. Saepius τοίνυν, verba sunt Dindorfii in Stephani thesauro, nihil nisi continuat orationem. Ad formulam καὶ τοίνυν cf. Hell. VII 4, 3. Oecon. V 2 al. Non vertendum cum H. *atque insuper*, sed potius *et vero*.

I, 6 περικατερρήξατό τε τὸν ἄνωθεν πέπλον. Xenophon alibi aut περιρρήγνυσθαι aut καταρρήγνυσθαι de vestimentis lacerandis usurpat, neque alibi apud Atticos duplex praepositio in hoc verbo apparet. Legitur vero apud Dionys. Hal. A. R. IX 39 et in Nicolai Damasceni excerptis p. 453.

I, 20. Recte periisse iudicat H. voculam ἄν, sed monere neglexit, ubi exciderit. Elapsa est, ut saepissime, post similes, ductus voculae γάρ.

I, 22. Rectius Sauppe edidit ἀλλὰ καὶ Ἴτρκανίοις τοὺς ὄρκους καὶ τὰς δεξιὰς, <ἄς> ἔδωκα, ἐμπεδώσω neque aliter iam Didot. In lectione codicum, quam minus feliciter tentat H., οἷς ditto-graphia repetitum est ex Ἴτρκανίοις, et ἄς excidit post similem caudam praecedentis δεξιᾶς.

I, 26 ὅτε δ' αὖ τῆς δεῦρο στρατείας ἐπεθύμησας, πάντες σοι Μῆδοι ἐκόντες ἠκολούθησαν. νῦν δ' αὖ οὕτως ἔχομεν κτλ. Nescio an praestet ἠκολουθήσαμεν, quam Graecis usitatam structuram librariorum non intellegentes saepe oblitterasse constat.

II, 3 sqq. Quicumque hunc locum diligenter perlegerit, facile intelleget, Gobryam sic agere, ut Cyro appareat, ipsum nulla coactum necessitate sed prorsus sua sponte arcem suam egregie munitam et neque vi neque fame expugnabilem Cyro tradere, idque facere eo consilio ut hic tanto obstrictus beneficio ipsum habeat cariorem magisque honoret; quam spem non fefellit eventus. Propterea et Cyrum ad se mittere iubet homines quosdam fidos, qui intromissi in castellum huic renuntiant ὅτι τασαῦτα εἶη ἔνδον ἀγαθά, ὅσα ἐπ' ἀνθρώπων γενεάν μὴ ἂν ἐπιλιπεῖν τοὺς ἔνδον ὄντας, et ipsum iubet περιελάσαντα ἰδεῖν, ἢ ἡ πρόσδος εὐπετεστάτη, ut oculis sibi suis persuadeat πάντοθεν ἰσχυρότερα πάντα (εἶναι) ἢ προσελθεῖν. Non mirum est Cyrum, nondum perspicentem Gobryae consilium, ἐν Φροντίδι εἶναι, ὅτι ποτ' εἶη ταῦτα, et metuere ne homo non stet iis quae sibi nuper (IV, 6) promiserat. His vero anxio curis ecce Gobryas subito cum omnibus suis relicta arce tendit obviam cum largissimo commestatu, quo Persarum exercitum laute excipiat, simulque Cyrum apertum castellum occupare iubet. Omnia hic luce clariora sunt, nec Hartmani cavillationes, quas singulas refellere, ut facile ita longum et supervacuum videtur, intellegere me confiteor.

II, 7 ἰκετεύομεν δέ, ait Gobryas, ἐγὼ μὲν καὶ πρόσθεν τοῦ υἱοῦ, αὕτη δὲ νῦν τοῦ ἀδελφοῦ τιμωρὸν γενέσθαι σε. Quia praesens ἰκετεύομεν male respondet adverbio πρόσθεν, vide num scribendum sit: ἐγὼ μὲν <ὡς> καὶ πρόσθεν. Dubito tamen, quia ita in sequentibus νῦν minus recte addi videtur.

II, 16. De hoc loco disputavi in *Revue de Ph.* 202.

II, 17. De corruptela huius loci planissime assentior Hartmano. Expectes fere: ἔπειτα δὲ (pro ἐπεὶ δὲ. Praecedit τὸ μὲν δὴ πρῶτον) <ἔτι μᾶλλον ἐθαύμαζεν, ἐπεὶ> κατενόησε τὴν μετριότητα τῶν συσσίτων. In sequentibus non male H. coniecit οὐτ' ἂν ὀμμασιν ἐκπεληγμένος — οὐτε τῷ νῶ <ᾧστε> μὴ οὐχὶ προσκοπεῖν, abiectis verbis οὐτε ἀρπαγῆ, quia tamen non intellegitur unde ea nasci potuerint, alium errorem subesse existimans locum insanabilem esse crediderim.

II, 23. Verbum *μαθεῖν*, quod mihi necessarium videtur ob colloquium § 25 sqq., abesse iubet H.

II, 24. Dativus *εἰδῶσι σφίσι*, suspensus e verbo *περαίνειν*, nullam habet me iudice difficultatem.

II, 27. Vocula *καί*, quam inseri iubet H. ante *ἔπαθον*, optime potuit omitti.

III, 10 *κἄν πρίαιτο* Γαδάτας τὸ μέγα τι ποιῆσαι κακὸν τὸν βασιλέα. Speciem habet Hartmani opinio excidisse τοῦ βίου aut simile quid, nam alibi sane πολλοῦ aut καμπολλοῦ aut τῆς ψυχῆς huic formulae adiungitur a Xenophonte. At succurrit notus Eupolidis locus (M. II 547) *μισῶ λακωνίζειν, ταγηνίζειν δὲ κἄν πριαιίμην κτέ.*

III, 16. Deleri iubet H. verba *ὅπως ἄγοιεν τὰ στρατεύματα καὶ τὰς κλίμακας κομίζοιεν*. De verbis *καί* — *κομίζοιεν* vix ulla potest esse dubitatio, quin invito Xenophonte addita sint, reliqua fieri potest ut genuina sint propter § 22 sqq.

III, 19. *παῖδας* sequentis vocis *ἐκγόνους* glossema esse iam significavi *Révue de Ph.* p. 202.

III, 46 *ὡς μνημονικῶς πᾶσιν ὁπόσοις συνέταττεν ἐνομάζων ἐνετέλλετο*. Fortasse corrigere sufficit *ὁπόσοις <τι> συνέταττεν*, nam verbum *συντάττειν* interdum habere *praecipienda* et *imperandi* vim non recte negat H. Legitur enim in epistola Philippi apud Demosthenem p. 251, 11 *ταῦτα συνετάχθη τῷ νκυαρχῶ — ὑπὸ — τινῶν ἀρχόντων* et interdum ita loquitur Polybius, deque medicorum praeceptis verbum usurpavit Plutarchus Apophth. p. 204 B. Confiteor tamen locis allatis e Xenophonte a Schneidero et apud Dinarchum I § 10 verbum potius significare *constituere, statuere*, neque e scriptoribus vere Atticis exemplum illius *imperandi* aut *praecipienda* significationis afferre possum. Quare vide an aut interpretandum sit *omnes quibuscum exercitum ordinabat* aut coniciendum potius *ὁπόσοι οἱ συνέταττον*. Conspiciebatur enim Cyri memoria in eo quod nominatim omnibus copiarum suarum ducibus imperabat.

III, 50 οὕτω γὰρ προσταττομένων εἰς ἀλλήλους τε ὄραν πάντες ἐδόκουν αὐτῷ. Ut in tali re Latini non ferrent ablativum absolutum, ita optimo cuique scriptorum Graecorum nihil est genetivo absoluto usitatius, nec haerendum est in hac structura cum H.

IV, 4 ἐν κώμαις ἀθρόαις absurdum esse bene perspexit H. Ne ἀθρόαις quidem per se recte haberet, non enim usurpatur hoc adiectivum de omnibus *δεκταῖς*, sed de iis tantum quae et *σεραταῖ* et *colligi* sivi *congregari* possunt, ut de militibus, de navibus similibusque. Correctio est prorsus incerta. Venit quidem mihi in mentem: ἀκούσας ἐκεῖνος τό τε χωρίον εὐθύς παρέλαβε καὶ πολλὴν ἵππων ἔχων καὶ ἄρματα ἐνέδριεν ἐν κομάροις. ὁ δὲ Γαδάτας ὡς ἰγγύς ἦν τούτων τῶν κομάρων, sed ignoro an illic terrarum arbuta crescant, nec magis scio an id arborum genus collocandis insidiis aptum sit. Cogitavi praeterea de reponendo ἐν κοίλοις χώροις et deinde τούτων τῶν κοίλων, coll. Hell. V 1, 10, sed certam, quod dixi, emendationem desidero.

IV, 5. Alterum ὡσπερ εἰκός iam Cobet melius abesse vidit, sed non magis fero repetitum ἤλισκετο § 8 nec πάντα § 31, aut verba inutilia δ' Ἀσσύριος § 9. — In proximis verbis προθύμως ἐκτεινῶν τὸν ἵππον σὺν τῷ βασιλεῖ ἐδίωκεν, licet ἐκτεινῶν sic sine exemplo dictum videatur et in promptu sit conicere κινῶν vel κεντῶν, tamen, quia currens equus re vera ἐκτεινεται, sollicitare non ausim' traditam lectionem.

IV, 11 σὲ ἐπαναθεατόμενος ἦα. Optime intellexit interpres Latinus apud Didotium vertens: Ego vero iterum te spectatum veni, ut videam quae vultus tui, tali animo praediti viri, species sit." Obtinet breviloquentia. Additarum praepositionum est ea vis, ut dicat Gadatas, se priusquam Cyri magnanimitatem expertus esset, viri vultum non satis spectasse. Iniuria igitur H. locum sollicitat, sed recte idem in sqq. delevit glossema καὶ ἐπαιδεποισάμην, quod et ipse dudum damnavi.

IV, 18. Hic quoque locus frustra sollicitatur ab H. Optime enim dictum est ἀλλ' ἢ αὐτόπτης ἐφείρα ἦ, εἰ μὴ αὐτὸς ἐξα-

νύτσει, πέμπων Φανερός ἦν τοὺς ἐπιτηδεύοντας. Si ipse tantum opus (omnes sc. aegros visendi) *perficere non posset*, alios mitterebat qui facerent, quod ipse infectum reliquisset. Eur. Hipp. 400 *ἔπειδὴ τοισὶδ' οὐκ ἔξήνυτον* | Κύπριν κρατῆσαι, κατθανεῖν ἰδοῦξί μοι.

IV, 20. *ἀπατηθῆναι*, in quo recte offendit H., dudum depravatum esse intellexi, cogitavique de substituendo *σφαλλῆναι* vel *ἠττηθῆναι*, quod labem acceperit e sequenti *ἀπατήσαντι*. Ita sensus sit, fieri quidem posse ut vel sic clade afficiatur, sed tamen etiam illud, ut cett. Nihilominus non nego subesse etiam posse quam sententiam H. putat, sed ita de vero verbo repeniendo despero.

IV, 28 *ἡ δ' ἐκ τῶν πολεμίων τροφὴ κουφοτέρην τὴν στρατείαν ἰδῶκει παρέχειν*. *Necessarium esse cum H. reponere δοκεῖ* dubito. Vide v. c. VII 5, 5: *ἡ δ' οὕτως ἔχουσα τάξις καὶ πρὸς τὸ μάχεσθαι ἰδῶκει εὖ παρεσκευάσθαι καὶ πρὸς τὸ μὴ Φεύγειν*. Per se apparet, ea quae semper et ubique vera sint a scriptore aequo iure tanquam aliorum cogitationes proponi posse atque ut suas.

IV, 36. Locus conclamatus. Vide Hartmanum.

IV, 47. Quia praecedit parallelum *ἐπὶ μακρόν* — *μακραί*, nescio fere an in altera sententiae parte de industria Xenophon scripserit *βραχὺ πρὸς τὸ ἔγγυς*, nec cum H. tria ultima vocabula delere ausim, quae non significare mihi videntur ad *locum vicinum*, sed *ad eam copiarum partem quae munitionis praesidio est proxima*. Intellegendum, nisi scribendum, τὸ <ἀεὶ> *ἔγγυς* (τῶν παρίοντων scil.).

IV, 49. Numquam *ὑπολαμβάνειν* est *suspicari*, ut vertit H., sed *putare, existimare, credere*, quare nihil h. l. temere mutandum.

IV, 50. Non sum ego rei militaris Hartmano peritior, sed tamen videor intellegere, Gobryam exercitus urbem praetereuntis novissimum agmen semper firmiter reddidisse, quia huic praesertim periculum imminabat ab oppidanis. Quid locus habeat difficultatis non video.

IV, .51. Quid displiceat H. in Weiskii coniectura *ἐποίησαν* pro *ἔπεισε*, quam paene certam arbitror, vellem dixisset. Nihil enim Xenophonti et aliis usitatius quam *ποιεῖν* sequente infinitivo *efficiendī* sensu usurpatum. Plurima e Xenophonte exempla collegit Stürz in lexico Xenophonteo s. v. vol. III p. 577, 10.

V, 1 *πέμπει πρὸς Κυαζάρην καὶ ἐπέστειλεν αὐτῷ ἦκειν*. Usitatior est post praesens aoristus quam imperfectum, quare malim *ἐπέστειλεν*.

V, 7 *παρακαθισάμενος*. Vid. *Révue de Ph.* p. 202.

V, 13 *ἐὰν γὰρ τι Φανῶ κακὸν πεποιηκῶς, ὁμολογῶ ἀδικεῖν· ἐὰν μέντοι μηδὲν φαίνωμαι κακὸν πεποιηκῶς μηδὲ βουλευθεῖς, οὐ καὶ σὺ αὐτὸ ὁμολογήσεις μηδὲν ὑπ' ἐμοῦ ἀδικεῖσθαι*. Optime dictum Φανῶ, sed minus recte in eadem sententia *φαίνωμαι*, quod quin a magistello adscriptum sit nullus dubito. Ex usu verbi praesentis *ἀδικεῖν* et *ἀδικεῖσθαι* hoc loco et saepe alibi pro praeterito videbis infra § 20 *τόδε γ', ἸΦη, εἰπέ, εἴ τι ἀδικεῖσθαι ἐνόμισας, ὅτι — σὲ μὲν αὐτὸν ἀφῆκα τοῦ κινδύνου* Hartmanum, qui recte requirit *νομίζεις*, minus recte postulare *ἠδικῆσθαι*. Non melius idem haesit in *εἴ τι — ὅτι*, quod optime dictum est et post pauca bis recurrit in § 21. Sensus: *dic nuntqua iniuria affectum te esse putes in eo quod cett.*

V, 23 *τί ἡμῖν πεπραγμένον οὐ Φανερόν ἐστι; ἢ οὐ πᾶσι Φανερά ἐστιν ἃ πεπράχαμεν*. Hoc mihi quidem praestare videtur Hartmani coniecturae *τί ἡμῖν οὐ πεπραγμένον Φανερόν ἐστιν*; quod significare posset, ni fallor: quid a nobis *non factum* esse apparet?

V, 24 *καὶ τὰ μὲν τῶν πολεμίων Φρούρια ἔχόμενα, τὰ δὲ σὰ τὰ πρότερον εἰς τὴν Σύρον ἐπικράτειαν συγκατασπασθέντα νῦν τάναντία σοι προσκεχωρηκότα*. De hoc loco bene disputat H. pag. 123 sq. Sub lectione codicum *συγκυροῦντα* latet, nisi fallor, *συντελοῦντα*, quod quam aptum sit apparebit conferenti Hellen. VII 4, 12 *καταλαμβάνουσιν οἱ Ἕλεῖοι Λασιώνα τὸ μὲν παλαιὸν ἑαυτῶν ὄντα, ἐν δὲ τῷ παρόντι συντελοῦντα εἰς τὸ Ἀρκαδικόν*. Unde tamen nasci potuerit volgata lectio non exputo.

V, 33. Videndum annon verba inutilia σὺν τῇ ἐμῇ βώμῃ pro quibus pars librorum habet σὺν τῇ ἐμῇ δυνάμει sint expungenda. Cf. Hartman p. 179 sq. Sed fortasse praestat locum sic constituere: Σὺ γὰρ ἀληθῆ λέγεις· εἰπόντος ἐμοῦ τοὺς ἐθέλοντας ἄγειν λαβῶν ὄχου πᾶσάν μου τὴν δύναμιν, ἐμὲ δὲ ἔρημον (ἐρῆμον?) κατέλιπες· καὶ νῦν ἂ ἔλαβες τῇ ἐμῇ βώμῃ (pro δυνάμει) ἄγεις δὴ μοι καὶ τὴν ἐμὴν χώραν αὖξεις· ἐγὼ δὲ κτῆ., deletis verbis σὺν τ. ἐ. βώμῃ.

AD LIBRUM VI.

I, 6 νῦν οὖν δοκεῖ μοι εἶναι καιρὸς περὶ τούτου πρῶτον διαλέγεσθαι, πότερον στρατεύεσθαι ἢ τι καιρὸς δοκεῖ εἶναι ἢ διαλύεσθαι ἤδη τὴν στρατιάν· λεγέτω οὖν τις, ἸΦη, περὶ αὐτοῦ τούτου ἢ γιγνώσκει. Ultima vocabula docent prius εἶναι καιρὸς genuinum esse, sed in altera sententiae parte eadem verba sine necessitate repetita esse quis credat?

I, 12. Post ἄλλους debebam ἴππους *Révue de Ph.* p. 202, καὶ ἐπιγενήσονται Cobet Mn. III, 399 sq.

I, 14 τὰ δ' ἐπιτήδεια ὅπου μὲν ἡμεῖς ἐληλύθαμεν. Hartman ὅπη requirit, ego ὅποι propter opposita ὅποι δὲ μὴ ἀφίγμεθα.

I, 28 ἡνίοχοι δ' αὐτοῖς εἰσι μὲν, ὡς εἰκός, οἷς μάλιστα πιστεύουσιν. Sufficiunt haec, ut arbitror, et magistello reddenda quae secuntur verba οἱ βέλτιστοι.

I, 30 προσέθηκε δὲ καὶ δρέπανα σιδηρᾶ ὡς διπήχη πρὸς τοὺς ἄξονας ἔνθεν καὶ ἔνθεν τῶν τροχῶν καὶ ἄλλα κάτω ὑπὸ τῶν ἄξονι εἰς τὴν γῆν βλέποντα, ὡς ἐμβαλοῦντων εἰς τοὺς ἐναντίους τοῖς ἄρμασιν. Tam ieiunam explicationem ipsum Xenophonem verbis suis admodum perspicuis ascribere potuisse, haud facile adducar ut credam. Una litura verba ὡς — ἄρμασιν delere non dubito.

I, 34 *πειθεῖν δὲ εἰ δύναιτο, οὐκ ἔφη κωλύειν*. Iudicabat, ni fallor, Cyrus (i. e. Xenophon), qui Pantheam nondum noverat, mulierem amatoris precibus cedentem marito suo indignam esse.

I, 36 *ὄρω σε φοβούμενόν τε ἐμὲ καὶ ἐν αἰσχύνη δεινῶς ἔχοντα*. „An δεινῶς ἔχω idem est quod *περίφοβός εἰμι*?” quaerit H. Minime, sed *ἐν αἰσχύνη δεινῶς ἔχοντα ἐμὲ* significat *δεινῶς αἰσχυρόμενον ἐμὲ*, ut *ἐν ὀργῇ ἔχειν* est *ὀργίζεσθαι*, *ἐν ἡδονῇ ἔχειν* ἡδεσθαι, alia id genus non pauca. Euripides Suppl. 164 *ἐν μὲν αἰσχύνας ἔχω πίτνειν πρὸς οὐδας*.

I, 37 *ἐμὲ δ', ἔφη, καὶ οἱ ἄλλοι ἄνθρωποι καταδύουσι τῷ ἄξει*. Si vocula *καί*, quam ob ipsa praegressa non expectasses, genuina est, sententia esse videtur *praeter Antheam, quae amorem meum sprevit*. Sed dubito num genuina sit vocula.

I, 39 *καὶ ὑπὸ τῶν φίλων οἶδα ὅτι ὡς σὲ πεφευγὰς λόγον ἂν παρέχοιμι*. Imo vero *ἔχοιμι*, nam constanti usu dicitur *λόγον ἔχειν ὑπὸ τινος*, sed *λόγον παρέχειν* suapte natura iungendum foret cum dativo. Dicitur *λόγον ἔχειν* sensu passivo pro *λέγεσθαι*, ut *πράγματα ἔχειν* pro *ἰνοχλεῖσθαι*, *μομφὴν ἔχειν* pro *ψέγεσθαι*, et id genus alia. Secuntur haec: „*Ἐλθοῖς* (i. e. *reddeas*, ut VI 2, 9 et alibi) *ἂν τοίνυν, ἔφη, ἡμῖν πάντα εἰδῶς τὰ τῶν πολεμίων· οἶμαι δὲ καὶ λόγων καὶ βουλευμάτων κοινῶν ἂν σε ποιῶντο διὰ τὸ πιστεύειν*. Praetulerim *οἶμαι γὰρ κτέ*.

I, 43 *συμβούλευε δ' αὐτοῖς καὶ ἐκτάττεσθαι ὅπῃ ἂν δοκῇ κράτιστον εἶναι*. Aegre hic desidero pronomen: *ὅπῃ ἂν δοκῇ σοι* vel *σοὶ δοκῇ κτέ*. Nam bene cavendum erat Araspae ne hostibus ad quos tanquam transfuga venisset suaderet, quod ipsis optimum esset.

I, 50. Fieri sane potest ut verba *εἰς τὰ ἑκατὸν* et *ὅμοια ἐκείνοις*, quae delet H., sine insigni sententiae damno abesse possint, sed vehementer nego (quod ille contendit), si adsunt, vim afferendam esse verbis, ut recte locum interpretemur. Nam neque *συντελεῖν* vertendum est cum H. contra verbi vim *addere*, neque *ὅμοια* de numero accipiendum est, neque *εἰς τὰ ἑκατὸν* hic aliter dictum

est quam dici solet. Verte: *Abradas operam dabit, ut ex equestribus copiis suis ad centum ei currus conficeret similes Cyri curribus*, quae sententia minime pugnat cum iis quae postea leguntur II 7 καὶ τὰ ἄρματα τὰ δρεπανηφόρα, ἃ τε αὐτὸς (Cyrus) κατασκευάζει, ἐκπλα ἤδη ἦν εἰς τὰ ἑκατόν, ἃ τε Ἄβραδάτας ὁ Σούσιος ἐπεχείρησε κατασκευάζειν ὁμοίᾳ τοῖς Κύρου, καὶ ταῦτα ἐκπλα ἦν εἰς ἄλλα ἑκατόν, ubi prorsus eadem narrantur de Abradatae curribus. Melius H. haesit § 52 in verbis ὥστε ὀκτὼ ζεύγεσι βοῶν ἄγειν τῶν μηχανῶν τὸ κατωτάτω ὄχημα, ubi in exemplaris mei margine olim delendum esse notavi κατωτάτω sive potius κατώτατον, ut est in codd., licet non intellegam quid quemquam movere potuerit, ut ridiculum additamentum ascriberet. Delebam etiam II, 4 πράττειν, quod idem nunc facere H. laetus animadverto. Res dubia non est.

I, 54 τούτων neutiquam delendum, sed accipiendum est, ut ipse H. intellexit.

II, 9. Quid novi hic videat H. in usu verbi τελεῖν, me latet. Xen. Hipp. IX 5 ἐθέλουσι τελεῖν ἀργύριον ὡς μὴ ἰππεύειν. Cyrop. VIII 6, 3 τοῖς τε φρουροῖς δάσουσι μισθὸν καὶ ἄλλα τελοῦσιν ὅτι ἂν δέμ, et quid omnino usitatius est quam τελεῖν ἀργύριον, χρήματα similiaque?

II, 12. Cum κυκλοῦσθαι h. l. compara Latinum verbum *circulari* apud Ciceronem Brut. 54, 200.

II, 14. Recte H. non fert τοῖνον in orationis exordio. Placet mihi lectio ed. Didotianae ἐγὼ τοῖ ὑμᾶς συνεκάλεσα, facile enim NTN nasci potuit e sequenti ΤΜᾶς. Cave praeferas leniorem mutationem ἐγὼ τοῖ νῦν κτέ., nam vocula νῦν male abundaret. In Platonis Gorgia p. 459 A olim edebatur ἔλεγες τοῖνον δὴ ὅτι κτέ., sed bene correctum est τοῖ νυνδὴ = ἄρτι.

II, 17. Praep. περί fortasse sic potest defendi, ut putemus falces desiisse in tubos ferreos, quibus insertae fuerint axium partes extremae. Delet H., pro cuius opinione facit locus II 1, 30 προσέθηκε — δρέπανα — πρὸς τοὺς ἄξονας, sed non intellego,

quid quemquam movere potuerit ut verba facillima et admodum perspicua τοῖς ἄξιςι προσήρμωσται difficilia et obscuriora redderet inserta praepositione. In § 21 non offendo cum H.

II, 22 ἡμῶν cum H. libenter addiderim post τις, sed πώποτε non videtur necessarium. — Ibidem e verbis ἵνα θᾶπτον καὶ τούτων τῶν Λυδίων ἀγαθῶν ἀπολαύωμεν nescio an Λυδίων ut glossema eximendum sit.

II, 25 ἀνεσκέυασται non positum est, ut H. putat. pro ἀνά-
λωται (vera forma est ἀνήλωται), sed significat, quod saepe,
avecta sunt et sublatā.

II, 28 καὶ τὰ ἐφθά δὲ πάντα μεθ' ὕδατος τοῦ πλείστου
ἐσκεύασται. Non temere haesit H. In margine olim notavi: An
ὡς ἐπὶ πλείστον, plerumque? Hanc certe notionem loci ratio
postulat.

II, 30. Male habet H. structura verborum στρωμάτων δὲ ἐν-
δεηθέντες μὴ δείσητε ὡς οὐχ ἠδέως καθευδήσετε. Non memi-
nerat ista scribens loci Soph. El. 1309 ἦν σὺ μὴ δείσης ποθ' ὡς
γέλωτι Φαιδρὸν τοῦμόν δψεται, ne locos commemorem ubi se-
quitur ὅπως et πῶς post verba timendi, quorum paullo diversa
est ratio, siquidem ibi vertendum est quo pacto, ut Eur. Iph.
T. 995. Arist. Plut. 200. Xen. Cyr. IV 5, 19. Herod. IV 116.

II, 39 ἢ μὴν πορεύσεσθαι pro πορεύεσθαι dudum cor-
rectum esse suspicor, sed quid prosunt certae coniecturae, nisi
in textum admittantur? Nunc video correxisse Cobetum Mnem.
III, 399.

III, 1 ἐκστρατοπεδεύεσθαι non significat, quod putat H., post
aliquantum itinervis castra locare, sed extra (urbem aliumve
locum) ponere castra, quod probant duo reliqui loci, ubi prae-
terea legitur: Thuc. IV 129 et Joseph. B. I. III 7, 5. Hoc loco
nescio an praepositio errore nata sit e sequentibus litteris, ita-
que legendum καὶ τῇ μὲν πρώτῃ ἡμέρᾳ ἐστρατοπεδεύσατο
ὡς δυνατὸν ἐγγύτατα.

III, 12 ἐκ τούτου τοὺς μὲν αἰχμαλώτους ἀπάγειν ἐκέλευσεν, εἰς δὲ τοὺς παρόντας ὡς λέξων ἀνήγετο. Recte labem suscepisse Hartmano videtur ultimum verbum e praecedente. Non aliter iudicabam olim tentans ἀνίστατο, ut Cyr. II 3, 6 et VII 1, 1 ἄλλοι ἀνίσταντο συνεροῦντες, sive mavis ἀνίσταται. Probe et more Xenophontis quoque dicitur λέγειν εἰς τινὰς.

III, 13 διώξεις (l. διώξει) δὲ οὐδαμῆ εἰς ἀφανές, ἀλλ' ὅπως αἰ σκοπαί σοι διαμένωσιν ἐπιμεληθεὶς πάριθι. Corrigendum, ni fallor, ἐπ' ἀνίθι *redē*, quam notionem verbo παρίεναι tribui non posse recte animadvertit H.

III, 15 οἱ δὲ ἄλλοι, ὥσπερ εἰκός, μηδὲν εἰδότες, ἐκπεπληγμένοι ἦσαν τῷ πράγματι. E soloeco μηδὲν (pro οὐδέν) acute H. effecit emendandum esse ὥσπερ εἰκός μηδὲν εἰδόμενος. Similis praestantiae est eiusdem correctio στέγειν pro στέγην § 25, ubi temere dubitavit de sanitate vocis λιθολογήματος, quae locis B. A. 277 et Poll. VII 121 et Hesychii s. v. explicatur et confirmatur. Cf. etiam λιθολογία apud Moerin Att.

III, 27 ἔργον ἐστὶ hic significat *incumbit*, ut dici solet σὺν ἔργον (sc. ἐστὶ), *tibi incumbit*, nec verum esse quod contendit, formulam illam semper et ubique significare *difficile est*, Hartman ex ipsa Cyropaedia discere potuerat. Legitur enim IV 5, 13 ἔκαιον οἷς τοῦτο ἔργον ἦν, quibus hoc *incumbebat*. Cf. Comment. II 10, 6. Nec aliter dicitur ib. II 10, 6 ἔργον ἔχω τοῦτο σκοπεῖν. Infra VII 1, 19 νῦν — ἔργον τῆς σῆς ταχυεργίας, nunc *opus est*. Conferatur etiam frequens formula οὐκ (οὐδέν, οὐκέτι) ἔργον cum Inf., *non, nihil, non amplius opus est* et supra V 1, 30 Πέρσαις δὲ μηδὲν ἄλλο ἔργον ἢ τὰ πρὸς τὸν πόλεμον ἐκποιεῖν. Plura id genus addere supersedeo.

III, 29 οἱ δὲ ὑπάρτῃ σου ἰσχυρῶς κολαζόντων τοὺς προϊόντας τοῦ καιροῦ ἢ λειπομένους. Quia Gen. τοῦ καιροῦ non potest pendere a verbo προϊόντας, nec per se quidquam significat, suspicor ad exemplum loci Anab. IV 3, 24 corrigendum esse τοὺς προϊόντας <προσωτέρω> τοῦ καιροῦ.

III, 30 *ἐπόμενα γὰρ πάντα ταῦτα καὶ πλήθους δόξαν παρέχει καὶ ἐνεδρεύειν ἡμῖν ἔξουσία ἔσται καὶ τοὺς πολεμίους, ἢν κυκλοῦσθαι πειρῶνται, μείζω τὴν περιβολὴν ἀναγκάσει ποιεῖσθαι.* Locus male compositus sic videtur emendandus: *ἐπόμενα γὰρ πάντα ταῦτα καὶ πλήθους δόξαν παρέξει καὶ ἐνεδρεύειν ἡμῖν ἔξουσίαν, καὶ τοὺς πολεμίους, κτέ.* Postquam facili et per frequentem errorem lineola, qua littera N indicari solet, neglecta ex *ἔξουσίαν* factum est *ἔξουσία*, ut sententia exiret, male corrector aliquis de suo inseruit *ἔσται*. Locum parum feliciter tractavit H.

IV, 2 *ταῦτα δ' ἐποίησατο λάβρα τοῦ ἀνδρός.* Necessarium esse *ἐπεποίητο* non mihi persuasit H. Locos, qualis hic est, qui hoc agit reperiet apud optimum quemque scriptorem permultos.

IV, 11. Οἱ δὲ ἄνθρωποι ita tantum male opponerentur praegressis eunuchis et ancillis, si scriptum esset in praegressis *οἱ μὲν εὐνοῦχοι καὶ θεράπαινοι*, sed ut nunc res habet, sine causa offendit H. Οἱ δὲ ἄνθρωποι (= τὸ πλῆθος) non faciunt oppositionem, sed sermonem continuant.

IV, 14. In *μεθ' ἑαυτῶν* dicto pro *μετ' ἀλλήλων* nihil quidquam est insoliti, et cogebatur Xenophon sic scribere, ut orationem propter proxime praegressum *μετ' ἀλλήλων* variaret. — *Μαχεῖσθε* necessarium esse vix quisquam non concedet Hartmano, sed in reliquis me iudice ne umbra quidem est dubitationis.

IV, 17 *τάς τε γὰρ ἀσπίδας μείζους ἔχουσιν ἢ ὡς ποιεῖν τι καὶ δρᾶν κτέ.* Verba depravata esse concedo Hartmano, sed quam proponit tmesin *πρό τι καὶ δρᾶν*, quamvis ingeniose excogitatam, Xenophonteam esse sine simili exemplo non credam. Ipse cogitavi de reponendo *προσδρᾶν τι καὶ δρᾶν* vel *προϊδόντι (καὶ) δρᾶν*, sed nihil certi reperio.

AD LIBRUM VII.

I, 2 οἱ δὲ ἵπποι (ὠπλισμένοι ἦσαν) προμετωπίδοις καὶ προστερνίδοις καὶ παραμηρίδοις χαλκοῖς· τὰ δ' αὐτὰ ταῦτα παραμηρίδια ἦν καὶ τῶ ἀνδρῶν. Mire dictum pro χαλκῶ δὲ παραμηρίδια κτέ. Sic enim locum accipio.

I, 4. Παροῶν ex παρηγγύησε traxisse praepositionem et ipse notavi, itaque nunc assentior Hartmano.

I, 19 νῦν δρᾶς ἔργον τῆς σῆς ταχυεργίας. Haesi et ipse, verum δρᾶς, quod nemo adscripturus erat notissimae formulae, non deleo cum H., sed interpungo: νῦν, δρᾶς, ἔργον κτέ., ut est apud Aristophanem Eccl. 104 νυνὶ δ', δρᾶς, πράττει τὰ μέγιστα et similia alibi.

I, 22 Φάλαγγα ἔχοντες sine δέ dudum iam ediderunt Didot et Sauppe.

I, 29. Necessario supplendum videtur καὶ τὰ μὲν <ἐναντία> ἄρματα ἔφευγεν εὐθύς κτέ., id enim narrationis perspicuitas imperiose postulat. Quam facile ea vox inter similes ductus ἘΝΑΡΜΑΤΑ perire potuerit, cadit in oculos.

I, 30. Pro ἀφορῶντας, quod depravatatum esse primus sensit Schneider, expectatur quod significet *aversos*, ut vertit interpres Latinus apud Didotium. Ferrem igitur, si scriberetur: καὶ εἰσπεσόντες καίουσιν οὐδ' ὀρῶντας.

I, 40. Facile admitto Schneideri, quam H. commendat, transpositionem vocabuli πάντοθεν ante δρᾶσθαι τὰ δπλα, sed delendi articuli nullam video necessitatem, quia commode veritas „ita ut undique eorum arma conspicerentur", quod tantummodo fit, ubi milites orbem efficiunt.

I, 42. Aptum et acute inventum esse quod proposuit H. huius loci remedium non nego, sed tamen verba ἐτι — ἐθίλοντας non videntur esse eiusmodi, ut ab interpolatore profecta esse

tuto credi possint, nec quo leguntur loco inepta esse concedere possum Hartmano. Respondent enim verbis *ἀνδρες ἀγαθοὶ δοκοῦντες*, i. e. *qui fieri potest, ut nos salva virtutis existimatione sospitemur?* Praestat me iudice lenior Cobeti correctio, in qua ex mea quidem sententia minime obscurum (ut H. iudicat) quomodo *εἰ* et *σωθείητε* irreperere potuerint, siquidem, ut ait Cobet, *sciolus necessariam ellipsin explendo idque perverse faciendo corrumpit omnia.*

I, 48 *οἱ ἐπ' αὐτῶν* (sc. τῶν κλημάτων) *ἰππεῖς*. Num *ἰππεῖς* genuinum?

II, 3. „Qua aditus est eadem semper et ubique est reditus, qua descensus eadem est adscensus” inperiosius quam verius affirmat H. De Averno noto loco negavit Vergilius, deque semitis in locis arduis et praeruptis idem negant monticolae. Saepe enim alia via montem conscendunt, alia descendunt. Hic scriptor ostendere volebat, viam ad flumen non fuisse nimis arduam. Non magis autem video cur nimis subitus videatur Hartmano transitus a verbis quibus narratur, quo duce usi sint milites, ad ea quae secuntur.

II, 6 *νῦν δ', εἴη, μὴ θυμιάζετε, ἣν τις καὶ ἀπιούσιν ὑμῶν κρείττων ἐντύχη*. Quamdiu mecum eratis, dicit Cyrus Chaldaeis, vincere solebatis, nunc discedentibus vobis nolite mirari si superior aliquis hostis occurrerit. Sic locum, in quo H. haeret, intellego.

II, 8 *οἱ μὲν δὴ Χαλδαῖοι οὕτως ἐποίησαν, ὡς ἐκέλευεν ὁ Κύρος· καὶ ἔλαβον οἱ πειθόμενοι πολλὰ καὶ παντοῖα χρήματα*. Quia omnes Chaldaei Cyro obtemperarunt, inepte deinde additur *οἱ πειθόμενοι*, quod reddatur auctori suo.

II, 10. In altero *γε* vix recte offendit H. Ut *ἐπεὶ — γε* et *ἐπειδὴ — γε* frequentissimo usu teruntur, sic in *ἐπέπερ — γε* nulla iusta esse videtur offensio.

II, 17. Recte dici ἀμελήσας ἐρωτᾶν sine articulo probant complures loci, velut Plat. Phaed. p. 98 D ἀμελήσας τὰς ὡς ἀληθῶς αἰτίας λέγειν, Legg. IX p. 944 C, Alcib. A p. 113 D, alii. Similiter ἀφροντιστέειν apud Hippocratem p. 27, 30 ascivit nudum infinitivum. Bene vero haesit H. in sequentibus verbis, quae sic mihi corrigenda videntur: ὅτι πρῶτον μὲν, ἔφη, ἀμελήσας ἐρωτᾶν τὸν θεόν, εἴ τι ἐθεόμην, ἀπεκρινάμην αὐτοῦ εἰ δύναίτο ἀληθεύειν. Τοῦτο δέ, ἔφη, <οἶσθ' ὡς vel ὅτι> μὴ ὅτι θεός, ἀλλὰ καὶ ἄνθρωποι καλοὶ κάγαθοί, ἐπειδὴν γυνῶσιν ἀπιστοῦμενοι, οὐ φιλοῦσι τοὺς ἀπιστοῦντας. Ita certe omnis evanescit loci difficultas.

II, 20 καὶ ἐγένοντο μὲν (sc. μοι παῖδες) —, γενόμενοι δὲ οὐδὲν ὤνησαν. ὁ μὲν γὰρ κωφὸς ὦν διετέλει, ὁ δὲ ἄριστος γενόμενος ἐν ἀκμῇ τοῦ βίου ἀπόλετο. „Non credo”, ait H. „Xenophontem „historiam traditam temere immutasse. Filius autem ille surdus, cum urbs capiebatur, vivebat etiam. Non ergo διετέλει „legendum est sed διατελεῖ”. At κωφὸς ὦν διετέλει significat noto usu διὰ τέλους κωφὸς ἦν, loquitur autem Croesus de rebus antiquis, quae dudum ante captas Sardes acciderant. Sardibus vero captis, cum miles quidam in eo esset ut patrem interficeret, filius ille mutus timore percussus subito vocem recuperasse traditur, itaque quo tempore Croesus haec loquebatur, mutus non amplius erat. Non ergo διατελεῖ legendum est, sed quod libri habent διετέλει.

II, 22 εἰς πάντα κίνδυνον ἦλθον. An εἰς πᾶν κινδύνου?

II, 26 βουλὴν μοι δὸς περὶ τούτου. Recte vertit interpres Latinus *da mihi de hoc deliberandi tempus*, neque ulla erit in § 27 difficultas in verbis μὰ Δία μηδὲν τοίνυν — σὺ ἔμοι ἐτι βουλεύου ἀποκρίνασθαι περὶ τῆς ἐμῆς εὐδαιμονίας, si mecum, (quod ni fallor iam olim monui) deleveris absurdum glossema ἀποκρίνασθαι, quod sententiam misere turbat.

III, 1 ἵνα ὅπου καιρὸς εἴη διαλαμβάνοιεν ἕκαστοι τὰ ἀξία. Recte haesisse Schneiderum bene monet H. Num latet κατ' ἀξίαν?

IV, 3 αὐτὸς δὲ ὁμοῦσαι θέλειν ἀδόλως εἰσῆναι εἰς τὰ τεῖχη.
 H. ἤθελεν coniecit, ego potius verba ὁμοῦσαι θέλειν deleverim, ut universa sententia pendeat ab ἡξίου in praegressis, quo facto nascitur admodum familiaris illa Graecis veteribus structura, de qua haud semel eruditissime egit communis noster quem omnes nunc philologi lugemus magister, qua Accusativum et Nominativum cum Infinitivo inter se opponere amant, τοὺς μὲν Κᾶρας — αὐτὸς δὲ. Hic scriptis, video ne hunc quidem locum praeteriisse Cobetum, qui praeterea εἰς τὰ τεῖχη interpreti reddidit Mnem. l. l. p. 402.

IV, 5 δίδοναι τε τέκνα καὶ λαμβάνειν παρ' ἀλλήλων. Notam de connubio formulam hic depravavit lectoris sedulitas, cui reddatur suum τέκνα.

V, 10. Ut διαμετρεῖσθαι bene dicuntur singulae exercitus partes, ita optime de Cyro, qui toti operi praerat, usurpatur verbum activum: οὕτω δὲ κύκλῳ διαμετρήσας περὶ τὸ τεῖχος i. e. spatium circa murum Babylonis; sed tria ultima verba pugnant cum sequentibus ἄρτυεν ἔνθεν καὶ ἔνθεν τοῦ τεύχους, quare haud diffiteor me abesse malle vocabula τοῦ τεύχους, ut e proxime praegressis ἀπολιπὼν ὅσον τύρσσει μεγάλας ἀπὸ τοῦ ποταμοῦ intellegamus potius ἔνθεν καὶ ἔνθεν τοῦ ποταμοῦ, i. e. ab utraque parte Euphratis. Aliud enim est ἔνθεν καὶ ἔνθεν aliud περὶ, ut arbitrator. Cf. H. ad h. l. Praeterea vide an scribi oporteat διαμετρήσας <τὸ> περὶ τὸ τεῖχος.

V, 12 τούτους δ' (sc. Φοίνικας) ὑπέτιθει τούτου ἕνεκα, ὅπως ὅτι μάλιστα ἰοικίη πολιορκήσειν παρασκευαζομένῳ, ὡς εἰ καὶ διαφύγοι δὲ ποταμὸς εἰς τὴν τάφρον, μὴ ἀνέλοι τοὺς πύργους. At id ipsum agebat Cyrus, ut aqua fluminis fossam impleret itaque fluvius in urbe fieret permeabilis suis (cf. § 15), quare sana non sunt verba ὡς εἰ καί. Legerim ὅπως — ἰοικίη — παρασκευαζομένῳ καί, εἰ διαφύγοι δὲ ποταμὸς εἰς τὴν τάφρον, μὴ ἀνέλοι τοὺς πύργους. Licet hic et supra sermo est de una fossa, § 15 X. scribit λαβὼν πολλοὺς ἀνθρώπους ἀνεστύμωσε τὰς τάφρους πρὸς τὸν ποταμὸν. ὡς δὲ τοῦτο ἐγένετο, τὸ ὕδωρ κατὰ τὰς τάφρους ἰχώρει ἐν τῇ νυκτί, ἣ δὲ διὰ τῆς πόλεως τοῦ ποταμοῦ ὁδὸς πο-

ρεύσιμος ἀνθρώποις (haec vox melius expungetur) ἐγίγνωτο. Nempe plurali numero significat utramque fossae partem, quam ut vidimus ἐνθα καὶ ἐνθα τοῦ ποταμοῦ fodi iusserat Cyrus.

V, 21 ἐν ᾧ πολλοὶ μὲν αὐτῶν καθεύδουσι, πολλοὶ δ' αὐτῶν μεθύουσι, πάντες δ' ἀσύντακτοὶ εἰσιν. Quis ferat pronomēn αὐτῶν tam ineleganter repetitum? Similiter suspectum mihi est repetitum πλείστα VIII 2, 23.

V, 34 τοὺς δὲ κήρυκας κηρύττειν ἐκέλευσεν ἀποφέρειν πάντας τὰ ὄπλα βαβυλωνίους. Nomen proprium deleri iussit Hartman: equidem aegre illo carerem, quia pertinet ad κήρυγμα. Eadem de causa supra IV 2, 32 τοῖς δ' ὑπομένουσιν ἐκήρυξεν, ὅσοις τῶν πολεμίων στρατιωτῶν ἦσαν ἰκπεῖς ἢ πελτασταὶ ἢ τοξόται, ἀποφέρειν τὰ ὄπλα συνδεδεμένα addita sunt vocabula alioqui otiosa τῶν πολεμίων στρατιωτῶν.

V, 35. Post ἐδέδοκτο virgulam iam posuit Sauppe.

V, 45 τοὺς τοιούτους (tales homines, qui nunc adeo rustice se gerunt), licet H. absurdum esse *et sentiat et contendat*, non mutabo cum eo in τούτους.

V, 48 ἐγὼ γὰρ ἔτι νέου μὲν ὄντος σοῦ πάνυ ἀρξάμενος ἐπεθύμουν φίλος γενέσθαι. Numquam ineptius emblema ineptiore loco positum vidit H. quam istud ἀρξάμενος p. 210. Equidem aliter iudico, nam non mihi videtur emblema, sed aptissime addita vox propter sequentem narrationem. Idem est quasi dixisset ἐγὼ γὰρ ἔτι νέου μὲν ὄντος σοῦ πάνυ ἠρξάμεν ἐπιθυμῶν φίλος γενέσθαι. Noto usu sic additur ἀρξάμενος, ut Cyrop. I 5, 11 et alibi saepissime.

V, 52 ἐγίγνωσκον ὅτι ταῦτα εἶη μέγιστα, sentiebam has res esse maximi momenti. Cur hoc *insulse* dictum sit, prorsus me latet. Qui enim sic loquitur, satis indicat res minoris momenti his posthabendas esse, cum praesertim sic loqui pergat: εἰ δὲ ταῦτα καλῶς γένοιτο εὖ ἤδη ἐδόκουν εἰδέναι, ὅτι πολλὴ ἔσοιτο τῆς ἐμῆς καὶ τῆς σῆς συνουσίας, unde obiter eximas absurdum ar-

ticulum ante σῆς, additum quasi non de una eademque familiaritate ageretur.

V, 58 παρασκευάζοιτο δὲ οἰκεῖν ἐν πόλει τῇ μεγίστῃ τῶν Φανερωῶν. Duo ultima vocabula esse Xenophontis dubito, propterea quod apud antiquiores nullum novi locum, ubi Φανερός significat *illustris*.

V, 60. Voculam ἀν ante ἠναγκάσθαι iam omiserunt Didot et Sauppe.

V, 62. Minime *inusitata brevitale* dictum est οὐδὲ τοῦτο ἐφαίνετο αὐτῷ, non addito οὕτως ἔχειν. Quid, ut hoc utar, usitatius quam in responsione τοῦτό μοι φαίνεται, vel etiam simplicius φαίνεται, sine ullo additamento? — Ἐτεκμαίρετο δὲ καὶ ἐκ τῶν ἄλλων ζῶων ἔτι οἷ τε ὑβρισταὶ ἵπποι ἐκτεμνόμενοι τοῦ — δάκνειν — ἀναπαύονται. Etiam Hartmani interpretationem admittens, nego propterea delendam esse praepositionem, quae additur genetivo, ut infra VIII 1, 11 εἰ δὲ δέοι καὶ στρατηγῶν που ἄνευ αὐτοῦ, ἕδει, ὅτι ἐκ τούτων πεμπτίον εἶη et alibi saepe. Sed cf. VIII 1, 28 ἐτεκμαίρετο δὲ — ἐκ τοῦδε.

V, 70 τοὺς δὲ ἀγαθοὺς ἀνδρας ἐγγίνωσκε συνεκτέον εἶναι. Non est, ut H. putat, *in officio retinendum*, ita enim otiosa forent sqq. καὶ ἐπιμελητέον ὅπως μὴ ἀνήσουσι τὴν τῆς ἀρετῆς ἀσκησιν, sed simpliciter *continere*, i. e. curare ut omnes secum manerent. *Secum retinendos* non male vertit Didotii interpres.

V, 77 οὐ γὰρ ἐπιβουλεύσαντες ἀδίκως ἔχομεν, ἀλλ' ἐπιβουλεύθέντες ἐτιμωρησάμεθα. Inconsiderate H. expungit ἀδίκως, quod manifeste iungendum cum ἔχομεν, non, ut ipse fecit, cum praegresso participio. Ἀδίκως ἔχομεν *iniuste possidemus* egregie opponitur verbo ἐτιμωρησάμεθα.

V, 78 θάλπους μὲν οὖν καὶ ψύχους καὶ σίτων καὶ ποτῶν καὶ πόνων καὶ ὕπνου ἀνάγκη καὶ τοῖς δούλοις μεταδίδδαι. Minus cum H. offendo in additis verbis καὶ σίτων καὶ ποτῶν καὶ ὕπνου

(nam ut aestus et frigoris et laborum servi participes fiant, ita quoque ea quibus vires recreantur his impertienda esse Xenophon dicit), sed haereo in verborum ordine sic ni fallor restituendo: *θάλλους μὲν οὖν καὶ ψύχους καὶ πόνων καὶ σίτων καὶ ποτῶν καὶ ὕπνου καὶ τοῖς δούλοις μεταδιδόναι*. In addito *πρῶτον* mox revera est aliqua difficultas. Si sanum, intellego: *praecipue conari debemus sive nulli rei magis studendum est quam ut servis nos praestantiores illis in rebus esse appareat*.

VII, 80 *ὅτι τοσοῦτω τάγαθὰ μᾶλλον εὐφραίνει, ὅσῳ ἂν μᾶλλον προπονήσας τις ἐπ' αὐτὰ ἀπίη*. Intellegam *ἐπ' αὐτὰ ἴη*. Nihili est in tali re *ἀπίεναι*. Praepositio ΑΠ e praegresso ΤΑ orta videtur. Sed monuit iam, ut nunc video, Cobet Mn. III, 405.

VII, 81 *ὁ τοιοῦτος ἀνὴρ τοσοῦτω πλεονεκτήσει τῶν ἐνδεεστέρων βίου, ὡς πεινήσας τῶν ἡδίστων σίτων τεύξεται καὶ διψήσας τῶν ἡδίστων ποτῶν ἀπολαύσεται καὶ δεηθεὶς ἀναπαύσεται ἡδιστον ἀναπαύσεται*. Quod recte voluit H. *ἔσῳ*, iam legitur in Didotiana et Sauppiana, sed praeterea haud iniuria haeret in verbis *τῶν ἐνδεεστέρων βίου*, quare sic supplendum putat: *καὶ τῶν ἀκρατεστέρων* καὶ *τῶν ἐνδεεστέρων βίου*. Attamen *οἱ ἐνδεεστεροὶ βίου* vix sunt eiusmodi homines, qui, ut H. ait, ubi coenae tempus venit, nihil habeant quod palato blandiatur, nam his quoque, iudice Xenophonte, etiam vilissimi cibi bene sapiunt esurientibus, *οἱ γὰρ πόνοι ἔψεν τοῖς ἀγαθοῖς*. Quare nescio an satius sit e textu exturbare vocabula *τῶν — βίου*, addita a sciolo, qui locum non intellexeret, ut e praegressis suppleamus cogitando *τῶν μὴ προπονησάντων*.

VII, 85 *ἀλλ' ὥσπερ ἐν Πέρσαις ἐπὶ τοῖς ἀρχείοις οἱ ὁμότιμοι διάγουσιν, οὕτως καὶ ἡμᾶς Φημί χρῆναι ἐνθάδε ὄντας τοὺς ὁμοτίμους πάντας ἄπερ καὶ ἐκεῖ ἐπιτηδεύειν*. Dubito num H. *τοὺς ὁμοτίμους* expungi iussisset, si cognovisset optimam emendationem receptam a Didotio et Sauppio *τοὺς ἐντίμους*. Cf. VIII 1, 8 et al. Secuntur haec: *καὶ ὑμᾶς τε ἐμὲ ὄρωντας κατανοεῖν παρόντας εἰ ἐπιμελουμένους ὧν δεῖ διάξω, ἐγὼ τε ὑμᾶς κατανοῶν θεᾶσομαι, καὶ οὓς ἂν δρῶ τὰ καλὰ καὶ τάγαθὰ ἐπιτηδεύοντας, τούτους τιμήσω*. Mihi haec verba mendo carere videntur, nisi

quod pro *διάξω* malim *διάγω* cum H. Sine causa enim H. haesit in usu verbi *κατανοεῖν*, sequente sententia interrogativa, nam etiam in ipsa Cyropaedia, ne aliunde exempla petam, legitur I 6, 8: *πρὸς ἄλλους ἀνθρώπους ἰδὼν κατανοήσω, οἳ ὄντες διαγιγνονται*. Est autem *κατανοεῖν* hic, ut saepe, *animadvertere*, et recte Didotianus interpres vertit „ac vos quidem me praesentes „intueri debetis et *animadvertere*, num in iis curandis assiduus „sim, quae curari a me necesse est, atque ego vicissim *ἀπι- „num advertens vos contemplantor* cett.” Fortasse lecta hac versione viro doctissimo, qui verbo *θεάσομαι* participium *κατανοῶν* addi potuerit liquebit.

 AD LIBRUM VIII.

I, 4 *νῦν δὲ κατεσκεύασθε οὕτω πάντες οἱ παρόντες, ὥστε ἄρχετε οἱ μὲν πλειόνων, οἱ δὲ μειόνων· ὥσπερ τοίνυν αὐτοὶ ἀξιώσατε ἄρχειν τῶν ὑφ' ἡμῖν, οὕτω καὶ αὐτοὶ πειθώμεθα εἰς ἂν ἡμᾶς καθήκει*. Requiro aut *ἀξιοῦτε* aut *ἡξιώσατε*, potius tamen illud, sed futurum non intellego.

I, 5 *καὶ τοῦτο γὰρ εὖ εἰδέναι χρὴ ὅτι οὐ μὴ δυνήσεται Κῦρος εὐρεῖν ὅ,τι αὐτῷ μὲν ἐπ' ἀγαθῷ χρήσεται, ἡμῖν δ' οὐ, ἐπεὶ περ τὰ γε αὐτὰ ἡμῖν συμφέροι καὶ οἱ αὐτοὶ εἰσιν ἡμῖν πολέμιοι*. Dubitat H. sitne inserendum post *ὅ,τι* pronomen *ἡμῖν* an cogitatione supplendum. Mihi hoc potius videtur quam illud, quia tot dativorum concursus *ὅ,τι ἡμῖν αὐτῷ — ἀγαθῷ κτέ.* bono scriptori vitandus erat.

I, 7 *ὥς δ' ἐν τῷ λόγῳ δεδήλωται Κῦρος καταστησάμενος εἰς τὸ διαφυλάττειν αὐτῷ τε καὶ Πέρσαις τὴν ἀρχήν, ταῦτά καὶ οἱ μετ' ἐκείνον βασιλεῖς νόμιμα ἔτι καὶ νῦν διατελοῦσι ποιοῦντες*. Non intellego cur H. ad gravem mutationem *ὡς — χρησάμενος* confugiat, cum salvo verbo aptissimo *καταστησάμενος* simpliciter *ὡς* in *ᾧ* mutare posset, quod quin verum sit vix dubito.

I, 20 *ὁ δὲ δὴ μέγιστος τρόπος τῆς ἀνάγκης ἦν, εἴ τις τούτων μηλενὸς ὑπῆκούοι, ἀφελόμενος ἂν τοῦτον ᾧ ἔχοι ἄλλω εἰδίδου,*

κτέ. Optime me iudice correctum est μηδέν, quod ipse suasi *Révue de Ph.* p. 203, comparatis Thuc. I 26 extr. et 29 init. Verbum ὑπακούειν hic aptum esse iniuria negat H., e mea saltem sententia nihil aptius scribi potuit.

I, 30 ὅταν γὰρ ὀρώσιν, ᾧ μάλιστα ἔξεστιν ὑβρίζειν, τοῦτον σωφρονεῦντα, οὕτω μᾶλλον οἷ γε ἀθνεότεροι ἐθέλουσιν οὐδὲν ὑβριστικὸν ποιοῦντες φανεροὶ εἶναι. Redarguit hic locus Hartmani opinionem ad § 3 „simulatque in apodosis initio οὕτως positum sit, in protasi -ώς requiri”. Οὕτω est *in dat geval*, et illic quoque omnino retinendum.

I, 40—42. Sitne hic locus cum H. pro spurio habendus etiam atque etiam considerandum puto, nam mihi quidem minime de ea re constat. Primum enim non video cur haereamus in formula καταμαθεῖν — δοκοῦμεν (i. e. νομίζομεν), cum infra VI, 16 X. dicat κατενοήσαμεν δὲ καὶ τοῦτο ὅτι Κύρου κτάρξαντος cett., et 17 κατεμάθομεν δὲ αὐτοῦ καὶ ἄλλο μηχανήμα, et saepissime de Cyri rebus utatur formula δοκεῖ ἡμῖν sq Infm., velut cap. I, 48 et cap. II, 2. Cf. etiam I 1, 6 ἡσθησθαι δοκοῦμεν. Deinde vix recte vir doctissimus iis quae hoc loco traduntur opponit ea quae Xenophon colloquentem facit Ischomachum cum uxore in Oeconomico. Longe enim aliud est huiuscemodi artes abominari in uxore, quam nobis non aliis formosas videri volumus, aliud, sicubi imperii rationes id suadere videantur, easdem non admittere regem in iis, quos vulgus ut longe supra se positos deorum instar admirari cupiat et venerari. Neque vero a fraude, ubi utilis esse possit, prorsus alienum esse animum Xenophontis probat v. c. locus Cyrop. I 6, 19. Imprimis vero conferenda sunt quae leguntur I 3, 2: καὶ ὀρῶν δὴ αὐτὸν (Astyagem Cyrus) κεκκοσμημένον καὶ δφθαλμῶν ὑπογραφεῖ καὶ χρώματος ἐντρίψει καὶ κόμαις προσθέτοις, ἃ δὴ νόμιμα ἦν ἐν Μήδοις, — ὀρῶν δὴ τὸν κόσμον τοῦ πάππου, ἐμβλέπων αὐτῷ ἔλεγεν· ὦ μῆτερ, ὡς καλὸς μοι ὁ πάππος. ἐρωτώσης δὲ αὐτὸν τῆς μητρός, πότερος καλλίων αὐτῷ δοκεῖ εἶναι, ὁ πατήρ· ἢ οὗτος, ἀπεκρίνατο ἄρα ὁ Κύρος· ὦ μῆτερ, Περσῶν μὲν πολὺ κάλλιστος ὁ ἐμὸς πατήρ, Μήθων μέντοι — πολὺ οὗτος ὁ ἐμὸς πάππος κάλλιστος. Nihil igitur mirum est, eum qui puer in aula avi du-

dum vixit ipsum rerum potitum Medicum illum morem cum aliis quibusdam introduxisse. Nec fortasse neglegenda quae infra legimus VIII 3, 14 *παρωχεῖτο* (Cyro) *ήνιοχος μέγας μὲν, μείων δ' ἐκείνου, εἶτε καὶ τῷ ὄντι εἶτε καὶ ὀπωσοῦν· μείζων δὲ (an δ' οὖν?) ἐφάνη πολὺ Κῦρος*, ubi suspicio movetur Cyrum gestasse ὑποδήματα τοιαῦτα, ἐν οἷς μάλιστα λαθεῖν ἔστι καὶ ὑποτιθεμένους τι, ὥστε δοκεῖν μείζους εἶναι ἢ εἶσιν (VIII 1, 41). Accedit quod totius loci oratio est sincere Attica et prorsus Xenophontea.

II, 3 τοῦτο δ' οὕτως νομίσας πρῶτον μὲν ἐπὶ τὴν αὐτοῦ τράπεζαν συνέταξεν ὅπως οἷς αὐτὸς σιτοῖτο σίτοις τούτοις ὁμοια αἰεὶ παρατίθειτο αὐτῷ ἱκανὰ παμπύλλοις ἀνθρώποις. Non tantum non praestat quod H. proposuit ἤδοιτο pro σιτοῖτο, sed si illud traditum esset, certa coniectura hoc foret restituendum. Xenophontem enim scripsisse σιτοῖτο testantur ipsa sequentia: ὅσα δὲ παρατεθείη, τὰ πάντα, πλὴν οἷς αὐτὸς καὶ οἱ σύνδειπνοι χρῆσαιντο, διεδίδου οἷς βούλοιο τῶν φίλων μνήμην ἐνδείκνυσθαι ἢ φιλοφροσύνην, quae, si ἤδοιτο scriptum esset, intellegi non possent. Per se autem apparet magnum regem illo tempore non vilibus cibis vesci solitum esse, sed regalem mensam fuisse quam splendidissimam (vid. § 5 τὰ παρὰ βασιλεῖ σίτα πολὺ διαφερύντως ἐκπεπνῆσθαι), magnumque amicis honorem, si a rege talibus donarentur. Hartman duas Cyri consuetudines inter se confudit, quam enim hic coniectura restituere conatus est, ea commemoratur infra cap. IV § 6 sq.; quod firmissimum argumentum est, si forte cui nondum persuasi, hic non plane idem narratum esse a Xenophonte. Temere autem H. offendit in familiarissima Graecis omnibus structura οἷς αὐτὸς σιτοῖτο σίτοις τούτοις ὁμοια. — In fine § H. recte corrigere videtur ὅτι οὐκ ἂν λαμβάνοιεν χαρίζεσθαι βουλόμενον pro βουλόμενοι.

II, 12. Hic quoque locus ex mea quidem sententia mendo caret. Significat οὐχ ὅπως quod significare solet, οὐ μόνον οὐκ et vertendum: „Itaque non modo non quisquam ausus esset ad „quemquam sinistram de Cyro mentionem facere, sed ita quilibet „affectus erat, quasi omnes — et oculi regis et aures essent”. Post οὐχ ὅπως prorsus ut post οὐ μόνον (οὐκ) saepe sequitur simplex ἀλλὰ sine καὶ, quemadmodum Latine post non solum, idque fit, ubi rei caput est in altera sententiae parte.

II, 11 εἰ δὲ τις οἶται ἕνα αἰρετὸν εἶναι ὀφθαλμῶν βασιλεῖ.
Contextus postulat εἰ δὲ τις οἶται ἕνα αἰρετὸν εἶναι ὀφθαλμῶν
<καὶ ἓν οὐς> βασιλεῖ, οὐκ ὀρθῶς οἶται, et mox πρὸς δὲ καὶ
ὄντινα γινώσκουσιν ὀφθαλμῶν <ἢ οὐς> ὄντα, quod utrobique de-
monstrant ipsa verba sequentia.

II, 20 ἐγὼ γάρ, ὡς Κροῖσε, ὃ μὲν οἱ θεοὶ δόντες εἰς τὰς ψυχὰς
τοῖς ἀνθρώποις ἐποίησαν ὁμοίως πάντας πένητας, τούτου μὲν
οὐδ' αὐτὸς δύναμαι περιγενέσθαι, ἀλλ' εἰμὶ ἄπληστος ἀγῶ
ὡσπερ οἱ ἄλλοι χρημάτων. Recte sic dictum esset, si omnes
pauperes essent *insatiabili cupiditate*, quod quia longe abest ut
verum sit, πένητας inepte scriptum esse constat. Dederat, ni
fallor, Xenophon ὃ μὲν οἱ θεοὶ δόντες εἰς τὰς ψυχὰς τοῖς ἀνθρώ-
ποις ἐποίησαν ὁμοίους πάντας, τούτου μὲν κτέ. omnes similes,
id est unum non meliorem quam alterum. Omnibus hominibus,
divitibus non minus quam pauperibus, insitam dicit avaritiam.
Postquam semel, ὁμοίους in adverbium corrupto, deerat prae-
dicatum, inepte nescio quis de suo supplevit πένητας.

II, 21 καὶ ὁμοῦ ἐνδον ἔχοντες τοσαῦτα οὔτε ἐσθίουσι πλείω ἢ
δύνανται φέρειν, διαρραγεῖεν γὰρ ἂν, οὐτ' ἀμφιέννυνται πλείω
ἢ δύνανται φέρειν, ἀποπιγεῖεν γὰρ ἂν, ἀλλὰ τὰ περιττὰ χρή-
ματα πράγματα ἔχουσιν. Recte in priore φέρειν offendit H., sed
miror eum non repperisse correctionem, nam verba διαρραγεῖεν
γὰρ ἂν demonstrant Xenophontem scripsisse οὔτε ἐσθίουσι πλείω
ἢ δύνανται χωρεῖν (*capere*), ut emendabam *Kéune de Ph.* p. 203.
Verbum labem concepit e sequenti φέρειν.

III, 2 πολὺ γὰρ οἶονται Πέρσαι χρῆναι τοῖς περὶ τοὺς θεοὺς
μᾶλλον τεχνίταις χρῆσθαι ἢ περὶ τᾶλλα. Haec non satis in-
tellego. Expectabam πολὺ γὰρ οἶονται Πέρσαι χρῆναι ἐν τοῖς
περὶ θεοῦ μᾶλλον τέχναίς χρῆσθαι ἢ περὶ τᾶλλα, quae apta
sententia est et facilis ad intellegendum.

III, 19 ἐκέλευσεν εἰπεῖν αὐτοῖς, εἴ τις τι αὐτοῦ δέοιτο, διδάσκειν
τῶν ἱππάρχων τινὰ ὅτι τις βούλοιο. Alterum τις male abundat.

III, 25. Σακῶν δὲ ιδιώτης ἀνὴρ ἀπέλιπεν ἄρα τῷ ἴππῳ τοὺς ἄλλους ἴππους κτέ. Temere H. sollicitat voculam ἄρα, quae non tantum ponitur „si quis se re ipsa expertum declarat id quod „antea — ignorarit”, sed omnino de iis quae eventus docet, ut est apud Herodotum VI 62 τὸν δὲ Ἀρίστωνα ἐκνίξε ἄρα τῆς γυναικὸς ταύτης ἔρωσ et ita passim. Ex Cyropaedia cf. v. c. I 3, 2. 6, 31. II 1, 2.

III, 33 τὸν μὲν οὖν βοῦν ἔλαβε καὶ αὐτὸς τὸ νικητήριον. Suspectum habeo additamentum, in quo si quid est genuini, articulus saltem male abundat.

III, 39 πολὺ γὰρ οἶμαι σε καὶ διὰ τοῦτο ἥδιον πλουτεῖν ὅτι πεινήσας χρημάτων πεπλούτηκας. Sive χρημάτων iungimus cum πεινήσας sive cum πεπλούτηκας, offensioni est. Illud si fit, tribuitur homini avaritia, de qua nihil apparet e praegressis, sin hoc, male χρημάτων abundat. Si expungimus, apta nascitur sententia, Pheraulam nunc magis gaudere divitiis, quod antehac esurivisset (hyperbolice dictum pro *rauperrimus fuisse*).

III, 42 τῶν δὲ ἀποβαλλόντων τι ὄψει οὐδένα δυνάμενον κθεύδειν ὑπὸ λύπης. Verius videtur ἀποβαλλόντων.

III, 44 καὶ ἀνάγκη δέ τοι ἐστίν — τὸν πολλὰ ἔχοντα πολλὰ καὶ δαπανᾶν. Non postulat sententia „sed qui multa habet”, nec Graeca est compositio ἀλλὰ — δέ τοι, quam requirit H. Nihil est his verbis sanius.

IV, 6 τὸν Κῦρον — εἴ τι ἡδὺ δόξειε λαβεῖν μηδὲν τούτων μόνον καταδαπανᾶν ἀλλ' ἔργον ἔχειν δεόμενον τούτου κοινωνεῖν τοὺς παρόντας. Recte fortasse H. non acquiescit correctioni Cobeti cum tribus codd. legentis τὸν δεόμενον et delentis τοὺς παρόντας. Nam re vera expectes ἀλλ' ἔργον ἔχειν τούτου μεταδιδόναι τοῖς παροῦσιν, quod tamen nemo rescribere audebit. Aliud igitur latet, sed num evidentiter restitui possit dubito.

IV, 23. Non ausim voculam γέ cum H. delere in verbis ἔπειτα οὐκ ἂν πρίαίῳ γε πικροπολλοῦ ὥστε σοὶ τρυτ' εἰρῆσθαι; ubi

γε, ut saepe, emphatice additum est verbis in quibus est praecipua sententiae vis, quod aequae valet de sentiētiis interrogativis atque de ceteris. Vid. Dindorf. in Steph. thes. vol. II, p. 538 A. Non magis necessarium arbitror cum eodem (sive potius cum Cobeto Mn. III, 408) in verbis καὶ ταῦτα μὲν δὴ οὕτως διεσκώπτετο pro ultimo verbo reponere διεσκώπτετο, si quidem in huiusmodi sentiētiis retrospectivis saepissime ponitur imperfectum, velut Cyrop. III 2, 27 καὶ ταῦτα μὲν δὴ οὕτως συνωμολογεῖτο V 5, 3 οἱ μὲν δὴ ταῦτ' ἔπραττον. IV 3 extr. οἱ μὲν δὴ ἐν τούτοις τοῖς λόγοις ἦσαν. VIII 1, 16 τὴν μὲν δὴ σχολὴν οὕτως κατεσκευάσατο αὐτῶ (Aoristus). VIII 3 extr. καὶ οὗτοι μὲν δὴ οὕτω διήγον. Necessarium sane foret plusquamperfectum, si constaret requiri sententiam *hic fuit ridendi finis*. At tu verte: *Haec igitur INTER SE* (haec enim est vis praepositionis, quam Cobet et H. neglexerunt) *iocabantur*.

V, 4. Locum, quem H. ut vulgo recte intellegatur veretur, neque obscurum nec difficilem, optime interpretatus est interpres Latinus apud Didotium.

V, 13 οἱ δὲ ὑπηρέται, ὡς περ καὶ ἐν τοῖς πόλεσιν [οἱ σώφρονες del. Hug.] ἴσασι μὲν καὶ τῶν πλείστων τὰς οἰκῆσεις, μάλιστα δὲ τῶν ἐπικαιρίων, οὕτω καὶ τῶν ἐν τοῖς στρατοπέδοις τὰς τε χώρας τὰς τῶν ἡγεμόνων ἠπίσταντο οἱ Κύρου ὑπηρέται καὶ τὰ σημεῖα ἐγίνωσκον, ἃ ἐκάστοις ἦν. Quia subiectum verborum ἠπίσταντο et ἐγίνωσκον est οἱ ὑπηρέται in sententiae initio, locus non est novo subiecto οἱ Κύρου ὑπηρέται, quod magistelli additamentum esse potest. Fortasse tamen legendum οἱ δὲ Κύρου ὑπηρέται, ὡς περ ἠπίσταντο καὶ τὰ σημεῖα ἐγίνωσκον κτέ. An praefendum: ὡς περ δὲ καὶ ἐν ταῖς πόλεσιν οἱ ὑπηρέται ἴσασι —, οὕτω καὶ — ἠπίσταντο οἱ Κύρου ὑπηρέται κτέ. Voculam καὶ ante πλείστων cum H. abesse malim, sed multum dubito num recte hic et alibi post ὡς περ deleri iubeat eandem voculam, quae in utroque comparationis membro saepe ponitur apud optimum quemque scriptorem Atticum, prorsus ut saepe Graece dicitur εἰ καὶ ἄλλος τις, κἀγώ aliaque id genus. Eodem pertinent εἴτε καὶ — εἴτε καὶ, εἴάν τε καὶ — εἴάν τε καί, et rariora illa εἴτ' οὖν — εἴτ' οὖν, μήτ' οὖν — μήτ' οὖν, alia. Nonne

longe probabilius statuemus, esse hunc linguae Graecae idiotismum, quam adeo frequenter librariorum sine ulla causa in eadem re peccasse? Quod ita tantum speciem haberet, si ista dicendi ratio Byzantinis magis propria esset quam altera, quod ostendi non posse crediderim. Summopere cavendum est, ne omnes dicendi abusus, quibus nulla lingua humana libera est, a solo Graecorum sermone alienos esse existimemus; longe enim abesse ut ita res se habeat, perfacile est ad demonstrandum. Quod cum ita sit, nescio fere an IV 5, 2 corrigendum sit potius *παρεσκευάσθαι δὲ καὶ ἑμῶν* ἐνθάδε ὡς περ καὶ τοῦτοις, quam καὶ mutandum in ἑμῶν (vide H. p. 119), quia hae voces inter se confundi vix potuerunt. Vide v. c. II 2, 6. V 1, 6. VI 1, 37. 4, 5.

V, 15 καὶ τὸ τακτικὸν δὲ εἶναι τοῦτο μόνον ἤγειτο εἰ τις κτέ. H. postulat κ. τ. τ. δ' εἶναι τοῦτο μόνον ἤγειτο εἶναι, quod mihi valde κικρόφωρον videtur. Melius, ni fallor, coniecisset: καὶ τακτικὸν δὲ κτέ., sine articulo, ut mox legitur ἀλλὰ καὶ τὸ δικασπᾶν — τακτικὸν ἤγειτο.

V, 16—18. Dudum spuria esse monuit LINCCKE: *de Xenophon-tis Cyropaediae interpolationibus*, Ienae 1874, qui vir doctus (recte an secus nunc non disputo) locos ad praesentem Persarum conditionem pertinentes ab interpolatore profectos esse contendit.

V, 19. Deleto cum H. γυνῆκα, Cyaxaris dictum non tantum multo fiet *venustius et lepidius*, quae non certa foret expungendi causa, sed si servatur, omni vi carent vocabula καὶ αὐτήν, siquidem in superioribus sermo est de donis, in quibus sit *et ipsa* Cyaxaris filia, itaque ipse Xenophon se non addidisse γυνῆκα luculenter testatur.

V, 21. Mihi quidem dubium non esse videtur quin ὡς, ut saepe, hic a librariis confusum sit cum καί, optimeque habeat καὶ πᾶσι Πέρταις. Non monerem, nisi dubitaret ipse H.

VII, 9 δεῖ δὲ καὶ τὴν βασιλείαν σφηνίσαντα καταλιπεῖν, ὡς ἂν μὴ ἀμφίλογος γενομένη πράγματα ὑμῶν παράσχη. Recte in hoc quoque loco haeret Hartman. Conieci δεῖ δὲ καὶ

τὴν βασιλείαν σαφηνίσαι τίνι (sive τῷ) καταλείπω, ὡς ἂν κτέ.

VII, 17 οὐδὲ γὰρ νῦν τοι τὴν γ' ἔμην ψυχὴν ἐωρᾶτε κτέ. „Non minus ineptus fuit” scribit H. „qui hic quam qui VIII 4, 23 particulam γε inseruit.” De illo loco supra vidimus. Hic, ubi post τοι sequitur, ut saepe post μέντοι et καίτοι, uno interposito vocabulo, quaero num igitur Sophocles quoque ineptus esset et sermonis sui nescius, cum scriberet in Electra 298 Ἄλλ' ἴσθι τοι τείσουσά γ' ἄξιαν δίκην, ubi tamen suspicor H. particulam non expulsurum esse, minus irritabile vatium genus timentem quam numerorum collapsum.

VII, 20 οὐδέ γε ὅπως ἄφρων ἔσται ἡ ψυχὴ, ἐπειδὴν τοῦ ἄφρονος σώματος δίχα γένηται, οὐδὲ τοῦτο πέπεισμαι. Recte haberet ὅπως, si sequeretur οἶδα, γινώσκω, συνίημι, μανθάνω aliudve sciendī vel intellegendī verbum, sed quid sibi velit πέπεισμαι (id est *credo*) ὅπως, non exputo. Requiritur ὅτι vel ὡς.

VII, 23 μετὰ μέντοι θεοὺς καὶ ἀνθρώπων τὸ πᾶν γένος τὸ ἀεὶ ἐπιγιγνόμενον αἰδεῖσθε· οὐ γὰρ ἐν σκότῳ ὑμᾶς οἱ θεοὶ ἀποκρύπτονται, ἀλλ' ἐμφανῆ πᾶσιν ἀνάγκη αἰεὶ ζῆν τὰ ὑμέτερα ἔργα Nequaquam ita absurde dicta sunt verba ἀνθρώπων — αἰδεῖσθε quam Hartmano videntur. Quid enim? Nonne iudicant regum facinora atque mores non aequales tantum sed etiam seri posterī? Propterea ipse scriptor dicit in sequentibus esse illorum opera immortalia, ἐμφανῆ πᾶσιν ἀνάγκη αἰεὶ ζῆν τὰ ὑμέτερα ἔργα. Nescio tamen an una addita littera dederit καὶ ἀνθρώπων τὸ πᾶν γένος τὸ <τ> αἰεὶ ἐπιγιγνόμενον αἰδεῖσθε, quibus verbis omnes aequales et posteros omnes complecteretur.

VII, 26 ὅταν δ' ἐγὼ ἐγκαλύψωμαι, αἰτοῦμαι ὑμᾶς, ὦ παῖδες, μηδεὶς ἔτ' ἀνθρώπων τοῦμὸν σῶμα ἰδέτω, μηδ' αὐτοὶ ὑμεῖς. Quamquam soloecum esset scribere μὴ ἰδέ pro μὴ ἰδῆς, tertia persona imperativi pro coniunctivo Aoristi (quod tironum gratia dico) non caret exemplis. In ipsis sequentibus scriptum miror

ὅτι ἐν τῷ ἀσφαλῆϊ ἤδη ἴσομαι, quia ab hac formula articulus abesse solet.

Tametsi nondum vilipendenda mihi videtur Cobeti sententia, nullum opus Xenophonteum minus depravatum ad nos pervenisse quam Cyropaediam, et Hartmanum saepius locos sanissimos sollicitasse demonstravisse mihi videor, haud iniuria tamen eundem de multorum sanitate primum dubitasse nec raro opem tulisse idoneam laborantibus lubens gratusque agnosco. Spero autem fore ut librum puerorum animis informandis aptissimum meliore quam hucusque factum est donet editione vir in rebus Xenophonteis versatissimus optimeque de hoc scriptore meritis, qui quid hac in re de ipso sperare liceat nitidis suis Memorabilium et Oeconomici recensioibus (Lugd. Bat. ap. E. J. Brill) satis ostendit.

Scribham Traiecti a. RA. m. Decembri 1889.

CRITIAE VERSUS EMENDATUR.

In fine fragmenti, quod ex Critiae elegia apud Athenaeum I pag. 28 b superest, poeta de Attica sic loquitur:

τὸν δὲ τροχῷ γαίης τε κκμίνου τ' ἔκγονον ἡῦρε
κλεινότατον κέρκιμον, χρήσιμον οἰκονόμον,
ἢ τὸ καλὸν Μακρῶνι κταστήσασα τρόπαιον.

At ita si scripsit, imagine usus est parum accurate delineata; TRRS enim parentes tribuit operi figlino, cum res id ferat ut unus pater materque una indicentur. Pater τοῦ ἀττικοῦ κεράμου ei est ὁ τροχός: admitto. Argillam dicit eius matrem: audio. Sed quis iam est caminus? amicusne mariti? Quis ad talia non subrideat!

Sed non poetae ut frigidi sic tersi haec est socordia. Intempestive Critias recordatur versus Homerici σ 27, ubi Irus mendicus Ulixem γρηὶ κκμινί assimulat, vetulae loquaci, quae, dum hordei grana in furno torquet, longi operis taedia fallit garriendo et cantillando (conf. Aristoph. Nub. vs. 1358). Hanc glossam Homericam Critias eleganter, ut sibi quidem videbatur, suos in usus traducens cretam figlinam vocat γλίαν κκμινώ, *terram quae in fornace coquitur*, et τὸν ἀττικὸν ἰgitur κέρκιμον dicit τροχῷ γαίης τε κκμινούσ ἔκγονον.

J. v. L. J. P.

OBSERVATIUNCULAE DE IURE ROMANO.

SCRIPSIT

J. C. NABER S. A. FIL.

(Continuantur ex huius vol. pag. 81.)



VI.

AD REGULAM XII TABULARUM RERUM VENDITARUM ALIENATIONEM
INHIBENTEM DONEC PRO PRETIO SATISFACTUM SIT.

Quum persuasum mihi sit, haud eos tantum aliquid adferre ad ius Romanum melius cognoscendum, quibus sive coniectura felici sive docta interpretatione quaestiones ambiguitatesque, quarum pleni sunt libri de illo iure scripti, dirimere contigerit, sed eos quoque, qui novas quaestiones proponant solvendas vel ostendant intellecta nondum esse quae se intelligere plerique perperam crediderant, non abs re putavi hisce observatiunculis quaestionem novam, ut existimo, inserere, quam solvere me non posse ingenue fateor, sed a peritioribus quandoque solutum iri non dubito. Notissima regula est XII tabularum, quam servarunt Iustiniani Institutiones, rerum venditarum dominia non transire, antequam pretium solutum sit vel pro pretio satisfactum aut fides emptori habita sit sine ulla satisfactione. Ecce ipsa principis verba (§ 41 Inst. II. 1):

sed si quidem ex causa donationis aut dotis aut qualibet alia ex causa tradantur, sine dubio transferuntur: venditae vero et traditae non aliter emptori adquiruntur, quam si is venditori pretium solverit vel alio modo satisfecerit, veluti expromissore vel pignore dato. Quod cavetur quidem etiam

lege duodecim tabularum: tamen recte dicitur et iure gentium, id est iure naturali id effici. Sed si is qui vendidit fidem emptoris secutus fuerit dicendum est statim rem emptoris fieri.

De huius regulae interpretatione brevis ero, quia non in ea quaestio mihi vertitur ¹⁾. Id mihi tantum datum iri spero regulam aut nullam esse, aut aliquid praeter traditionem ad dominii translationem venditarum rerum exigere. Quidquid illud est quod a venditoris parte desideratur, ut *emptoris fidem sequi* videatur, certe aliquid esse debet, quod ab ipsa traditione diversum sit. Si omnis venditor tradendo *fidem emptoris sequi* videretur, omnis emptor *statim* dominus fieret, neque umquam quaerendo locus esset, an pretium solutum prove pretio satisfactum esset, nisi nominatim venditor id recepisset; tunc autem non ex lege publica sed ex lege privata adquisitio differretur. Ut igitur regulam interpretaris, neque faciendum est cum Augusto Bechmann (*der Kauf* I p. 580) neque cum Leone Goldschmidt (*Handbuch des Handelsrechts* 1868 I § 81³²) statuentibus semper venditorem *fidem emptoris sequi* videri, quando simpliciter rem tradat, nam eo ipso plerumque eum testari dominium se, etsi necdum sibi satisfactum sit, tamen statim dimittere velle. Longius progrediendum non est, quam fecit Windscheid (*Lehrbuch des Pandektenrechts* § 172^{19c}) scribens tunc *fidem sequi emptoris* venditorem quum rem tradat non statim pretium accepturus, id est cum inter partes id constet non statim pretium solutum iri ²⁾. Longius enim progredientibus tacitae conditioni numquam locus erit, sed opus erit ut venditor sibi caveat expressa posita conditione, ne dominium transeat pretio necdum soluto, quod si necesse esset, non video, quo regula nostra pertineret.

His de regulae interpretatione praemissis videamus, quousque

1) Eandem ob causam taceo de quaestione, quae multorum ingenia exercuit, ntrum totum praeceptum quo de agitur XII Tabulis acceptum ferendum sit, an pars eius, qua de pretii solutione excipitur, sola.

2) Ita quoque Goldschmidt (*Handbuch des Handelsrechts* 1868 I § 81³²⁻³³) ad ultimos huius rei fines accedit nec tamen eos egreditur, scribens etiam *fidem emptoris* venditorem *sequi* videri, quam evidenter demonstrat, rem se dimittere velle, pretium licet nondum sit solutum. Quod ex eodem libro in contextu retuli, si verum esset, actum foret de ipsa regula.

praeceptum eius porrigendum sit, id est ad quosnam alienandi modos an ad omnes pertinuerit. Scripsit olim Ihering, quem superiore capite refellere conatus sum (*Mnem.* XVII p. 399 sq.), ad traditionem quidem pertinere, non pertinere vero ad mancipationem. Sed res paulo altius repetenda. Contendo quomodo-cumque dominia transferantur, semper nostrae regulae iure Romano locum esse. Traditionis tantum meminerit Institutionum quem exscripsi locus, veritatem tamen aliunde eruere conabor. Primum Pomponium testor (l. 19 D. 18. 1):

quod vendidi non aliter fit accipientis, quam si aut pretium nobis solutum sit, aut satis eo nomine factum, vel etiam fidem habuerimus emptori sine ulla satisfactione.

item Gaium (l. 53 D. 18. 1):

ut res emptoris fiat nihil interest, utrum solutum sit pretium, an eo nomine fideiussor datus sit. Quod autem de fideiussore dictum est, plenius acceptum (leg. accipiendum) est, qualibet ratione si venditori de pretio satisfactum est: veluti expromissore aut pignore dato, perinde sit, ac si pretium solutum esset.

tertium Ulpianum (l. 5 § 1 D. 49. 14):

si ab eo, cui ius distrahendi res fisci datum est, fuerit distractum quid fisci: statim fit emptoris pretio tamen soluto.

Adducere quoque eiusdem fragmentum, quod est l. 11 § 2 D. 19. 1, de cuius interpolatione dixi supra (*Mnem.* XVII p. 399):

et in primis ipsam rem praestare venditorem oportet id est tradere (leg. mancipio dare aut in iure cedere possessionemque tradere; si nec mancipi sit sufficit si tradiderit); quae res siquidem dominus fuit venditor, facit et emptorem dominum; si non fuit, tantum evictionis nomine venditorem obligat, si modo pretium est numeratum aut eo nomine satisfactum,

nisi dubium videretur, utrum haec verba, si modo pretium est numeratum etc., cum superioribus quoque, an cum inferioribus tantum iungenda essent (cf. Paul. II. 17. 1).

Quum praeterea venditioni similis sit litis aestimatio (l. 3 D. 41. 4; l. 7 § 1 D. 6. 2; l. 22 pr. D. 25. 2), merito in hac quoque specie regula observatur (l. 5 § 1 D. 13. 6):

si quis (commodati) actione egerit, et oblatam litis aestimationem susceperit, rem offerentis facit (Ulpian.).

Vides igitur prudentes id tantum curare, an res sit vendita vel aestimata, illud non, quo transferendi modo ad emptorem pervenerit. Si res fuerit vendita aestimatave, regulae locum esse indicant, quomodocumque dominum mutaverit. Regula est, ut ita dicam, generalis. Idque confirmatur aliis fragmentis, ubi de singulis translationum generibus quaeritur.

I. Regulam non cessasse, ubi per mancipationem dominia rerum transferrentur, Iulianus docet¹⁾ duobus illis locis, de quibus olim egi (*Mnem.* XVII p. 400 sq.), dico l. 12 § 5, l. 25 § 1 D. 7. 1, ubi legitur in pendenti esse, cui adquirat servus fructuarius, si quid (*mancipio*) accepit, *nondum quidem pretio soluto, sed tamen ab eo satisfacto*. Ante satisfactionem igitur omnino non acquirit; satisfacto at nondum soluto adquisivit quidem, sed utri dominorum incertum. Pertinere ad mancipationem haec fragmenta dubium esse non potest, nam, quod demonstravit Gradenwitz²⁾, *per traditionem accipere* in Digestis numquam non successit pro *mancipio accipere*.

Est praeterea intelligenda mancipatio in Ulpiani fragmento, l. 5 § 18 D. 14. 4:

sed si dedi mercem³⁾ meam vendendam et exstat, videamus ne iniquum sit, in tributum me vocari? Et si quidem in creditum ei abiit tributio locum habebit: enimvero si non abiit, quia res venditae non alias desinunt esse meae quamvis vendidero nisi aere soluto vel fideiussore dato, vel alias satisfacto, dicendum est vindicare me posse.

Vendidero quia ferri non potest, id tantum quaerendum videtur, utrum *tradidero* an *mancipio dedero* Ulpiano magis restituas. Mihi quidem constat de mancipatione Ulpianum sensitisse. Dicam, quam ob rem. Cui res vendenda datur, is dominus non

1) Bechmann (*der Kauf* I § 21) hanc eandem sententiam tuctur, sed argumenta non profert.

2) Scripseram illum *primum* demonstravisse. At litteris quas nuper mihi misit, negat Gradenwitz id sibi deberi et Sigismundo Schlowmann, summo viro, me delegat.

3) Mercium quoque nomine mancipi res intellegi, etiamsi mirum videri possit, tamen confirmatur l. 1 § 4 D. 21. 3.

fit, sed similis est ei, apud quem res deponitur; nam si dominus fieret, locus non esset quaerendo, utrum ad ipsum periculum pertineat, an ad eum qui rem vendendam dederit, quod tamen quaeri videmus l. 4 pr., l. 11 pr. D. 12. 1; l. 1 § 1 D. 19. 3. Est igitur, quod ad nudam traditionem accedere debet, ut dominus existat is, cui res vendenda datur, quod esse non potest nisi mancipatio. Quum igitur nostro fragmento fingatur, dominium translatum fuisse, necessario sequitur, mancipationem tacite subesse. Quod fortasse ex contextu colligeretur, si integrum locum Ulpiani teneremus ¹⁾.

II. Pertinere regulam nostram ad nec mancipi rerum traditionem, Varro testatur de ovium grege vendita scribens: *cum id factum est, tamen grex dominum non mutavit, nisi si est adnumeratum* (de Re Rust. II 2. 6).

III. Usucapionem pro emptore non procedere, nisi pretium solutum fuerit, Gaius nos docere potest ²⁾ in l. 1 D. 41. 4: *possessor qui litis aestimationem obtulit pro emptore incipit possidere*. Idem Paulus statuere videtur in l. 4 § 13 D. 41. 3 his verbis: *sed etsi vindicavero rem mihi subreptam et litis aestimationem accepero, licet corporaliter eius non sim nactus possessionem usucapietur*. Res enim furtiva ut usucapi possit in potestatem domini revertisse debet, quod tunc quoque factum videtur, quando dominus eam possessori vendiderit (l. 85 (84) D. 47. 2). Quis enim negare potest tunc eum copiam rei habuisse, cum possessori venderet et quasi possessionem ei tradere videretur? Sed usu non capiatur, antequam dominus pretium quoque acceperit. Sane ita est, ubi lis aestimatur. Litis vero aestimatio, quum sit emptioni similis (vid. loc. supr. laud.), quare solutio in illa exigeretur, nisi in hac quoque necessaria foret? Sin quis dicat, quod in speciem cadat, non continuo ad genus applicari

1) Quaedam deesse inde colligi potest, quod Ulpianus (l. 5 § 6 D. 14. 4) certiores nos facit, in tributum vocari *creditor(es) mercis*, non addita qui mercis creditores recte dicantur. Ex § 17 apparet eos comprehendere *quorum pecunia (merces) sint comparatae*, ex § 18 eos quoque a quibus ipsa merx profecta sit. Finge igitur Tribonianum talia resecurisse: (*hi quoque in tributum vocantur, a quibus servus mercis vendendas mancipio acceperit*).

2) Eandem sententiam Bechmannus (*der Kauf* I § 85) tuetur, sed nisi fallor argumentorum meorum copia uberior quam illius.

debere, genus autem esse venditionem, speciem litis aestimationem, non desunt de ipso genere quoque directa testimonia. Conferatur modo Iulianus (l. 10 D. 41. 4):

servus domino ancillam, quam subripuerat, pro capite suo dedit; ea concepit. Quaesitum est, an dominus eum partum usucapere possit? Respondit: hic dominus quasi emptor partum usucapere potest: namque res ei abest pro hac muliere, et genere quodammodo venditio inter servum et dominum contracta est (cf. l. 9 eod., l. 33 pr. D. 41. 3).

Ut igitur pro emptore usucapere possis, res tibi abesse debet, id est pretium solutum fuisse oportet, notum est enim Sabinianos inter rem et pretium non distinguere (Gai. III § 141).

Eiusdem est Iuliani (l. 8 D. 41. 4):

si quis cum sciret venditorem (repon. dominum, ut sequentia intelligantur) pecuniam statim consumpturum, servos ab eo emisset: plerique responderunt eum nihilominus bona fide emptorem esse: idque verius est: quomodo enim mala fide emisse videtur, qui a domino emit? nisi forte et is, qui a luxurioso et protinus scorto daturus servos emit, non usucapiet.

Quaestio eo redit an solutio quoque bona fide fieri debeat. Cui quaestioni ut locus sit, prius constare debet, neminem pro emptore usucapere nisi qui pretium solverit. Nam si rem statim venditam usucaperemus, nemo quaereret, quomodo solutio fieri debeat. Notandum vero, ut pretium solutum sit, utramque usucapionem requirere, nempe èt eius qui bona fide emit (l. 10 cit.) èt eius qui a domino emit (l. 8 cit.; l. 4 § 13 cit.).

IV. Civilium igitur acquisitionum una restat iniurecessio. Quam, ut ceteras, nostra regula quoque regi efficere conabor, adducto quodam Ulpiani fragmento (l. 4 § 28 D. 44. 4), quod ad iniurecessionem pertinere, nemini dubium erit, qui prius relegerit Gai. II § 34—37, III § 85—87 et Ulp. XIX § 12—14. Quorum summa haec est: hereditatem ad alium transferri non posse, nisi iniurecessione, quum cedatur ab herede legitimo, antequam ab ipso adita fuerit. Hac igitur de hereditatis in iure cessione Ulpianus — praemisso (§ 27) quod *de auctoris dolo exceptio emptori non obiicitur* — ita scribit:

si cum legitima hereditas Gaii Seii ad te perveniret, et

ego essem heres institutus, persuaseris mihi per dolum malum, ne ad eam hereditatem: et posteaquam ego repudiavi hereditatem, tu eam Sempronio (in iure) cesseris pretio accepto: isque a me petat hereditatem: exceptionem doli mali eius qui ei cessit, non potest pati.

Ut igitur in rem ei actio competat, pretium solum a Sempronio exigitur, nam, quod doli mali exceptionem ex persona auctoris non patitur, ideo fit quia emptor est (§ 27).

V. Vidimus ad omnes civiles acquisitiones regulam nostram pertinere. Restat igitur, ut de iure honorario dispiciamus. Et Praetori quoque cognitam fuisse, multis argumentis comprobari potest, praesertim vero eo quod Paulus scribit (l. 38 § 2. 40. 12):

servum, quem venditor emptori tradidit, si ei pro pretio satisfactum est, et nondum pretio soluto in bonis emptoris esse coepisse.

Alterum utrum igitur intercessisse oportet, ut res cuiusque in bonis sit, id est, aut pretium solum aut pro pretio satisfactum esse debet. Sed non desunt alia lucidissima argumenta. Nam quum iure honorario a non domino facta traditio confirmetur, si is postea dominium quaesiverit, tamen emptorem rem in bonis non habiturum, nisi pretium solutum fuerit, è Iulianus è Pomponius è Ulpianus confitentur. Qua de re quum tria simillima fragmenta exstant (l. 4 § 32 D. 44. 4; l. 72 D. 6. 1; l. 2 D. 21. 3), unum, quod Ulpiani est, describam (l. 4 § 32 D. 44. 4):

si a Titio fundum emeris, qui Sempronii erat isque tibi traditus fuerit, pretio soluto; deinde Titius Sempronio heres extiterit, et eundem fundum Maevio vendiderit et tradiderit, Iulianus ait, aequius esse Praetorem te tueri: quia et si ipse Titius fundum a te peteret, exceptione in factum comparata (id est rei venditae et traditae) vel doli mali summovertetur, et si ipse eum possideret, et Publiciana peteres, adversus excipientem si non suus esset, replicatione uteris: ac per hoc intelligeret(ur) eum fundum rursus vendidisse, quem in bonis non haberet.

Negat quidem Windscheid (*Lehrbuch des Pandektenrechts* § 172. 1) traditionem umquam eo confirmari, quod venditor postea dominus existat. Sed apparet Ulpianum contrariam opinionem sequi,

nam si postea dominus venditor existat, ex integro emptio intercessisse fingitur, et intelligitur venditor *eum fundum sursum vendidisse, quem, tunc quum venderet, in bonis non haberet*¹⁾. In bonis igitur habet èt is, qui statim a domino emit, èt is cuius auctor postea dominus extitit, dummodo hoc quoque casu pretium solutum fuerit.

Is quoque rem in bonis habet, qui quum dominus ab eo rem mancipi peteret, litis aestimationem passus est, si quidem is in bonis habet, qui non tantum ceteris, sed et ipso domino superior futurus sit, sive is rem petat, sive possideat. Sed hoc ita, si aestimationem obtulerit. Testis esto Iulianus (l. 22 pr. D. 25. 2):

si propter res amotas egero cum muliere, et lis aestimata sit, an actio ei danda sit, si amiserit possessionem? Movet me quia dolo adquisiit possessionem. (Id vero non eum tantum movisse, a quo Iulianus consulebatur, sed alios quoque apparet ex l. 70 D. 6. 1). *Respondi: qui litis aestimationem suffert, emptoris loco habendus est: ideo si mulier, cum qua rerum amotarum actum est, aestimationem litis praestiterit, adversus vindicantem maritum vel heredem mariti exceptionem habet: et si amiserit possessionem in rem actio ei danda est.*

Eandem quaestionem Papinianus tetigit in l. 63 D. 6. 1. Scribit enim actorem qui in litem iuravit, actiones suas reo debere cedere. Sin hoc omissum fuerit, reum captione nulla affectum iri, quum Publicana uti possit èt adversus ceteros, èt adversus ipsum dominum: sed ita si obtulerit aestimationem:

cum tamen, ait, Praetor auxilium quandoque laturus sit quolibet alio possidente, nulla captione adficietur. Ipso quoque qui litis aestimationem perceperit possidente, adinvari debet...

Ius honorarium Ulpianus quoque spectare videtur l. 3 § 2 D. 27. 9:

quaeri potest, si fundus a tutore petitus sit pupillaris nec restituatur, an litis aestimatio oblata alienationem (leg.

1) Rectum Dernburg (*Pandekten 2te auf I § 216**) vidit quidem, sed dignatus non est argumentis confirmare.

exceptionem) pariat? Et magis est, ut pariat. Haec enim alienatio non sponte tutorum fuit.

Pro alienationem rescribendum videtur *exceptionem*, quia alienatio alienationem parere non post; sed alienatio, quae iure honorario constat, *exceptionem* parit adversus dominum (l. 22 pr. cit).

Tribus his fragmentis is, qui litis aestimationem perceperit, dominus fuisse fingitur, nam in l. 22 pr. D. 25. 2 *vindical* maritus, in l. 63 D. 6. 1 ab actione Publiciana nemo excipitur, in l. 3 § 2 D. 27. 9 *pupillaris* fuisse fundus dicitur. Pertinent igitur non ad eum qui bona fide, sed ad eum qui a domino emit. Ad utrumque pertinere potest l. 7 § 1 D. 6. 2 (Ulpian.):

si lis fuerit aestimata, similis est venditioni et ait Iulianus lib. XXII dig., si obtulit reus aestimationem litis, Publicianam competere.

Publiciana enim utrique competit, dummodo coepta fuerit usucapio. Nam bonae fidei emptori Publicianam non dari, nisi usucapiat, Iulianus docet (l. 7 § 17 D. 6. 2), quod in eo qui a domino emit aequae locum habere, ex Gaio colligere possumus, quum scribat *interdum* fieri ut qui usucapere non possit, tamen rem in bonis habeat (III § 80). Pro emptore vero usucapi non posse, antequam pretium solvatur, supra demonstravi, unde sequitur nondum pretio soluto nemini Publicianam actionem dandam esse.

Ad ius honorarium denique potest referri constitutio Diocletiani et Maximiani (c. 12 C. 4. 19) de fundo vendito et tradito: *cum res non instrumentis gerantur, sed in haec gestae rei testimonium conferatur, factam emptionem et in vacuum possessionem inductum patrem tuum pretiumque numeratum quibus potes iure proditis probationibus docere debes.*

Sed id aequae referri potest ad petitionem fundi tributarii, quo certum est pertinere alteram eorundem principum constitutionem (c. 15 pr., § 1 C. 3. 32):

quotiens duobus in solidum praedium iure (legerem vere ut in c. 8 C. 4. 38) distrahitur, manifesti iuris est, eum cui priori traditum est, in detinendo dominio esse potiorum. Si igitur antecedenti tempore possessionem emisse ac pretium exsoluisse apud praesidem provinciae probaveris

obtentu non datorum instrumentorum expelli te possessione non patietur.

Quum apud *praesidem provinciae* de fundis Italicis non agatur, apparet, in tributariis quoque vindicandis regulam nostram observari, quamvis neque domini eorum simus, neque in bonis ea habeamus, sed *possessionem tantum vel usumfructum* eorum habere videamus (Gai. II § 7), ut quasi extra ius utrumque — civile dico et honorarium — posita videantur.

His igitur perspectis diceres de nulla iuris regula magis quam nostra constare umquam vel debuisse vel potuisse, quum èt in iuris consultorum libris èt in constitutionibus imperatorum identidem ad eam provocetur, ac praeterea quotidie rebus ipsis agendis applicanda fuerit, siquidem rerum venditionibus et alienationibus in foro nihil sit frequentius. Neque abscondita fuit regula neque obscura, sed simplex et trita, et quam non semper observatam fuisse ut probetur, vix ullum fragmentum adduci posse crederes. Haec quum ita sint, tamen plurima sunt responsa et rescripta, quibus aut prorsus ratio eius non habetur, aut id statuitur, quod ei quam maxime adversatur. Mitto quod hic illic regula ita negligitur, ut tacite intellegi possit pretii solutio, uti fit apud Neratium (l. 30 D. 16. 3):

si fideiussor pro te, apud quem depositum est, litis aestimatione damnatus sit, rem tuam feri.

aut apud Ulpianum (l. 7 § 16 D. 6. 2):

ut igitur Publiciana competat, haec debent concurrere, ut èt bona fide quis emerit, èt ei res empti eo nomine sit tradita.

Saepe enim ut breves esse possint, quaedam lectorum iudicio relinquunt auctores. Non adducam igitur nisi illa fragmenta quae aut non facile, aut omnino non possunt cum regula nostra conciliari, quale est illud Gaii (l. 43 § 2 D. 41. 1):

cum servus in quo alterius ususfructus est, hominem emit et (is) ei traditus sit, antequam pretium solvat, in pendenti est cui proprietatem adquisierit (quibus simillima extant apud Paulum, l. 43 § 10 D. 21. 1).

Adquirat igitur proprietatem, *antequam pretium solvat*. Talia qui scribit, iam non omittere debet, satisfactionem tamen exigi ut dominium adquiratur (cf. l. 12 § 5, l. 25 § 1 D. 7. 1). Habet sane in Institutionibus idem iurisconsultus:

itaque si tibi vestem vel aurum vel argentum tradidero sive ex venditionis causa, sive ex donationis, sive quavis alia ex causa, statim tua fit ea res, si modo ego dominus sim (II § 20).

Dices fortasse iuventutis praeceptorem ita parum accurate scripsisse, ne teneros discipulorum animos multitudine rerum oneraret. Hanc explicationem veram non esse ideo contendo, quod nec in Rebus Quotidianis regulam nostram attigisse videtur (cf. l. 9 § 3 D. 41. 1), quodque eadem regulae negligentia occurrit in notissimo ipsius fragmento (l. 8 D. 6. 2):

de pretio vero soluto (in formula Publiciana) *nihil exprimitur, unde potest coniectura capi, quasi nec sententia Praetoris ea sit, ut requiratur an solutum sit pretium.*

Quasi vero Praetori id monendum fuisset, quod neminem latere poterat. Nam qui coeptam requirit usucapionem, is utique requirit, ut solutum sit pretium, quum pretio non soluto, pro emptore usucapi non possit. Idem cadit in exceptionem quam domino eidem et auctori possessor opponere potest, si ille rem venditam petat suam esse, nam, quum haec exceptio adversus eum auctorem competat, a quo si possideret Publiciana possessionem avocare possemus (l. 4 § 32 D. 44. 4; l. 2 D. 21. 3; l. 72 D. 6. 1; l. 14 D. 6. 2; item l. 22 pr. D. 25. 2, si iunxeris l. 63 D. 6. 1), certum est in illa pretium solutum aequè requiri atque in ipsa Publiciana actione (l. 4 § 32 D. 44. 4; l. 2 D. 21. 3; l. 72 D. 6. 1; l. 22 pr. D. 25. 2). Sed constat Ulpianum ei quoque exceptionem tribuere, qui pretium nequam solverit (l. 1 § 2 D. 21. 3):

si quis rem meam mandatu meo vendiderit, vindicanti mihi rem venditam nocet haec exceptio, nisi probetur me mandasse, ne traderetur antequam pretium solvatur.

Emptor igitur venditori exceptionem opponere potest, etsi pretium non soluerit, nisi venditor contrarium nominatim receperit, aut, ut reciperetur, procuratori mandaverit. Neque ex mente Ulpiani est, quod scribit Bechmann (*der Kauf* I p. 626),

venditorem exceptionem elidere posse replicando, id enim iureconsultus ita permittit, si nominatim de ea re receptum fuerit, aut a procuratore recipi debuerit.

Neque vero Gaius primus fuit, qui regulae nostrae non semper honorem habuisse videatur. Nam constat ipsum Iulianum quoque regulam non semper observasse. Etenim (l. 2 § 4 D. 41. 4), *si in diem addictio facta sit, id est nisi si quis meliorem conditionem attulerit, perfectam esse emptionem, et fructus emptoris fieri, et usucapionem procedere (ei) Iulianus putabat*, quam sententiam (l. 2 § 1 D. 18. 2) Ulpianus probat, qui consequenter Marcellum (l. 4 § 3 D. 18. 2, l. 3 D. 20. 6) secutus, si a domino fundum emerit, emptorem medio tempore dominum esse (l. 4 § 3 D. 18. 2) et in rem actione uti posse (l. 41 pr. D. 6. 1) putat, quum tamen is, cui fundus in diem addictus sit, plerumque pendente conditione aut nihil solvat (l. 4 § 6 D. 18. 2), aut partem dumtaxat (l. 20 D. eod.). Paulus vero non tantum Iuliani sententiam amplectitur, (l. 2 § 4 D. 41. 4), sed longius progressus Sabino quoque vitio vertit, quod is emptorem, *si sic empta sit, ut nisi pecunia intra certum diem soluta esset, inempta res fieret, non usucapturum, nisi persoluta pecunia scripsisset* (l. 2 § 3 D. 41. 4), quum tamen regula nostra Sabini sententiam tueatur, sive rem quae commissoria lege venierit sub conditione venire an potius negotium conditione resolvit existinemus. Nam utroque casu verum erit pretium nondum solutum esse, ideoque alienationem Decemvirali praecepto inhiberi ¹⁾. Quanti autem praeceptum illud Paulus fecerit, ex l. 46 D. 6. 1 colligere poteris, si superiora tibi non sufficiunt. Legitur ibi:

eius rei quae per in rem actionem petita tanti aestimata est, quanti in litem actor intraverit, dominium statim ad possessorem pertinet.

Lex quidem solutionem expectari iubet, sed immemor legis Paulus festinat.

Ultimo vero loco sex rescripta et unum responsum seposui,

1) Hanc ob causam nostra cum regula conciliari posse non videntur c. 1, c. 4 C. 4 54. Dominium et vindictio quo pacto recurrunt ad venditorem, si numquam ad emptorem pervenerint? Ceterum ne recurrunt quidem, si standum erit Alexandri rescripto (c. 3 eod.).

quae cum regula nostra apertissime pugnant. Lex venditorem dominum manere iubet, donec pretium accipiat, aut satis ei fiat, aut fidem emptoris eligat. Crederes igitur donec eorum quid factum sit, rem venditam vindicare venditorem posse, neque contentum esse debere pretii petitione, si ipsam rem persequi malit. Contra septies legimus pretium venditorem consequi posse, rem semel traditam consequi non posse, certe consequi non posse vindicando¹⁾ (c. 1 C. 4. 49; c. 3 C. 4. 54). Quin immo rem consequi velle *incivile atque inusitatum* imperatores clamant (c. 12 C. 3. 32), etsi nec solutum pretium fuerit nec fuerit pro pretio satisfactum (c. 12 C. 4. 38). Legimus tunc venditorem rem ipsam consequi posse, quum precariam possessionem tradiderit (l. 20 D. 43. 26), tunc non posse quum vere tradiderit (c. 3 C. 4. 54 cf. l. 13 § 21 D. 19. 1; l. 38 pr. D. 39. 2). Quibus praemonitis sufficet ipsa fragmenta describere. Primo autem loco ponendum videtur responsum Ulpiani (l. 20 D. 43. 26):

ea quae distracta sunt, ut precario penes emptorem essent, quoad pretium universum persolveretur, si per emptorem stetit, quominus persolveretur, venditorem posse consequi;

secundo Caracallae rescriptum (c. 1 C. 4. 49):

adversus eum, cui agrum vendidisti, venditi iudicio consistit: nec enim tibi in rem actio cum emptore qui personaliter tibi sit obligatus, competit;

tertio Alexandri (c. 3 C. 4. 54)

qui ea lege vendidit ut, nisi reliquum pretium intra certum tempus restitutum (id est: solutum) esset, ad se revertetur, si non precariam possessionem tradidit, rei vindicationem non habet, sed actionem ex vendito²⁾.

1) An possit ex vendito agendo, quam sententiam placere video Leoni Goldschmidt (*Handbuch des Handelsrechts* 1869 I § 81²⁾) item Bernhardo Windscheid (*Lehrbuch des Pandektenrechts* § 172^{10c)})? Obstat silentium Diocletiani et Maximiani in c. 6 C. 4. 49. Legimus ibi actione venditi pretium venditorem consequi posse, rem ipsam venditione rescissa, quod pretium annumeratum non sit, non posse. Rem si ex vendito actione consequi possemus, venditione stabili manente, non praetermississent. Neque tertium datur. Ad c. 3 C. 4. 54 cf. infra.

2) Ne ex vendito quidem actionem competere vides, nisi propter legem commissariam inempto fundo facto. Quod convenit cum l. 6 § 1 D. 18. 1; l. 4 pr. D. 18. 3.

Quarto, quatuor rescripta Diocletiani et Maximiani :

- (c. 12 C. 3. 32) *incicile atque inusitatum est, quod postulas, ut mancipium quod tradidisti et hoc modo dominium eius transtulisti, invito eo ex nostro rescripto tibi adsignetur. unde intellegis semel ancilla emptoris facta filios etiam postea natos eius dominium sequi, cuius mater eorum eo tempore fuit. sane de pretio, si non te hoc probatum fuerit receepisse, conveni adversarium tuum.*
- (c. 8 C. 4. 38) *si non donationis causa sed vere vineas distrazisti, nec pretium numeratum est, actio tibi pretii, non eorum quae dedisti repetitio competit.*
- (c. 9 eod.) *empti fides ac venditi sine quantitate nulla est. placito autem pretio non numerato, sed solum tradita possessione, istiusmodi contractus (intelligitur traditio ut in c. 10 pr. C. 26) non habetur irritus, nec idcirco is qui comparavit minus recte possidet, quod soluta summa quam dari convenerat negatur. sed et donationis gratia praedii facta venditione si traditio sequatur, actione pretii nulla competente, perficitur donatio.*
- (c. 12 eod.) *non idcirco minus emptio perfecta est, quod emptor fideiussorem non accepit vel instrumentum testationis vacuae possessionis omissum est: nam secundum consensum auctoris in possessionem ingressus recte possidet. pretium sane si eo nomine satisfactum non probetur peti potest: nec enim licet in continenti facta paenitentiae contestatio consensu finita rescindit.*

Adde quod iam Alfenus (l. 16 D. 15. 3) venditori, cui pretium solutum non sit, rei vindicationem tribuisse non videatur; nam quod Goldschmidt ad hunc locum adnotat (*Handbuch des Handelsrechts* 1868 I § 81²⁰), intelligendum esse venditorem qui emptoris fidem secutus sit, probabile esset, si hic unicus locus esset, qui tali auxilio indigeat; nunc non est probabile, cum tot sint loci, quot exscripsi, quibus eadem negatio aut expresse aut tacite magis contineatur.

Quaestio igitur, quam peritioribus submitto, ea est, quomodo factum esse possit, ut Romae omni eo tempore, quod a Iuliano fluxit usque ad Diocletianum et Maximianum, regula nostra èt valuerit èt non valuerit, quum neque dicere possis in aliis alienationum generibus aliud iuris fuisse, neque aliis prudentibus vel imperatoribus aliud atque aliud placuisse. Nam èt regula generalis est, èt eosdem habet defensores, quos habet oppugnatores¹⁾. Sin dicas regulam iure quidem ipso valuisse, sed in foro saepe neglectam esse, sicuti hodie fit in Germania teste Henrico Dernburg (*Pandekten* I, 2^{te} aufl. § 215⁴), hoc aenigmatis solutio non est, sed ipsum aenigma, quod Oedipum suum desiderat. Mihi sufficiat, id demonstrasse, quod hucusque demonstratum non fuerat, iure Romano parum constituisse de regula, quam etsi non omnes eodem modo interpretarentur, tamen veram et perpetuam viri docti semper existimaverunt.

Scribebam Traiecti ad Rhenum mense Octobri 1889.

1) Itaque Bechmann etsi regulam Decemviralem male interpretatus sit, (vide supra), tamen id sibi vindicare potest, veram se speciem referre veteris cuiusvis praedentia. Nemo enim veterum magis sibi regulam èt observando èt negligendo contradixit, quam Bechmanno ita regulam interpretando ut ipsa regula concidat.

AD PLATONIS APOLOGIAM.

In Platonis Apologia locum emendasse mihi videor, quem vitio non laborare vulgo credunt. In omnibus enim, quas novi, editionibus p. 29 B repperi τὸ δὲ ἀδικεῖν καὶ ἀπειθεῖν τῷ βελτίονι καὶ θεῷ καὶ ἀνθρώπῳ ὅτι κακὸν καὶ αἰσχρὸν ἔστιν οἶδα.

Quid sibi vult τὸ ἀδικεῖν?

Sive simpliciter atque sua vi *iniuste agendi* acceperis, sive relatum ad τὸν βελτίονα *iniuria afficiendo* explicaveris, verborum contextus displicebit. Requiritur enim verbum quod, haud secus atque ἀπειθεῖν, iungatur τῷ βελτίονι. Iam ante aliquot annos hoc vidit Otto Erdmann, neque tamen res bene ei cessit cum ἀπιστεῖν legi iuberet.

Tu vide ne legendum sit ἀντιδικεῖν. Rationes huc afferendo operam et oleum perdere nolo.

J. B. KAN.

DE OVIDII METAMORPHOSESIN EDENDIS.

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN.



Qui hac aetate etiam poësi Latinae operam dant — et gratulor patriae nostrae quod in ea vivit illa ars floretque: carmine enim Latino a nostratium aliquo eleganter et venuste composito egregie et efficaciter vindicatur avita illa Batavorum in literis Latinis gloria — ii plerumque Ovidium auctorem sequuntur. Neque mirum id est: primum enim Ovidius eam habet virtutem, quae in poëta recte maximi aestimatur, quod lectorum animos commovere, tenere, delenire potest: tum autem praecipue quanta illa in eo fuerit agnoscimus quum „affectus proprios ad fabellam transtulit.” Dabo duo exempla. Uxore sua, quam tertiam duxit, egregiam fidamque matronam, nihil carius Ovidius habebat: significavit hoc et elegiis quibus eam laudavit et illis narrationibus, quibus maritorum pietatem celebravit: quid autem lectu iucundius quam quae cecinit de Cadmo et Harmonia, de Philemone et Baucide? Sed nihil in hoc genere praestantius quam fabula de Ceyce et Aleyone. Secundum uxorem poësin maxime amabat; eam poësin dico quae dulcedine sua aures animosque permulcet; cuius quae vis sit praeclare descripsit paucis illis de Orpheo apud inferos canente versibus. Illorum autem praestantiam tum demum plane perspicias si cum iis compararis quae de eodem argumento apud alios leguntur. Quanto enim Virgiliano (Georg. IV, 484)

atque Ixionii vento rota constitit orbis

praestat Ovidianum

nec Tantalus undas
captavit refugas *stupuitque Izionis orbis.*

Quam praeclarus totus hic apud Ovidium de inferis locus est si comparatur cum illis quae apud Horatium leguntur (Od. II, 3, 21 sq.). Sed aptiores etiam huic proposito clarissimi cuiusdam poëtae recentioris videntur versus, qui, ut eorum unum afferam, pro Ovidiano

Eumenidum maduere genae
aliquid nimis fucati immo ridiculi dat et absurdi, quod Latine sic fere verti possit:

angues Eumenidum circum capita oscula libant.

Haud raro magnificentiam quandam ars Ovidiana habet et gravitatem: quam diversus autem tum Sulmonensis est ab illis poëtis qui magniloquis horriferaeque verbis lectorem obstupescere conantur: ipsa enim simplicitate vel maxime mentem ferit. Non potest melius quid velim demonstrari quam versibus de Hercule in Oeta monte sibi mortem consciscente, quem sic alloquitur poëta

imposita clavae cervice recumbis
haud alio vultu quam si conviva iaceres
inter plena meri redimitus pocula sertis.

Quam apta ea est imago, quam veritati conveniens; neque potest quin nobis in mentem vocet locum quendam notissimum Horatianum, sed ita ut simul penitus sentiamus quanto magis quam Horatius gravibus seriisque rebus describendis par fuerit Ovidius. De Regulo enim constanti animo ad certam perniciem proficiscente sic ille declamat:

atqui sciebat quae sibi barbarus
tortor pararet; non aliter tamen
dimovit obstantes propinquos
et populum reditus morantem,
quam si clientum longa negotia
diiudicata lite relinqueret
tendens Venafrenos in agros
aut Lacedaemonium Tarentum.

Risum ista movent, non admirationem.

Virtutes autem illae quas raptim indicavi (et sunt praeterea in Ovidio multae aliae illis haud impares) eiusmodi quidem sunt ut lubentissime eum legamus et relegamus, ad imitandum non adducunt. Sed insuper tantus est versuum pangendorum artifex Ovidius ut e nullo alio melius leges metricae disci possint. Melle dulciores eius sunt hexametri, nullo impedimento eorum flumen unquam turbatur; tum autem maxime eos admiraberis et laudabis si reputaveris nullos aut fere nullos eorum solito maiorem habere spondeorum numerum quin pro certo constet eos de industria ita a poeta esse compositos, quod illud metrum sententiae maxime convenire videretur; de ceteris poetis Latinis idem affirmare ridiculum sit. Sed nihil est facilius quam hexametros Ovidianos ita ut dicebam factos ad certa quaedam referre genera. Quae res quum magnam habere videatur utilitatem, neque umquam, ut opinor, data opera tractata sit, eius hic specimen dabo (*οὐδὲ ἅπαντας ἐκφίρω*):

I. Lenta quaedam corporis mutatio, et quidquid praeterea tarde fit et cum molestia quadam multisque impedimentis, egregie spondeorum serie depingitur. Exempli causa haec affero:

I, 549. Daphnes, quae in arbore mutatur,

in frondem crines in ramos bracchia crescent.

III, 60. Bacchus anguem Martium aggrediens grave saxum sustulit et magnum magno conamine misit.

III, 662. Bacchus nautas Tyrrhenos in delphinas convertit sed prius totam eorum navem et armamenta hederis ligat impeditque. Irritum autem hominum laborem tibi ante oculos ponit hic versus:

illi admirantes remorum in verbera perstant.

III, 628. Navis rectorem, qui Bacchum defenderat, unus ex impia nautarum turba arripit et de nave delicere conatur. Agnoscis autem rectorem et obstupefactum et pendentem ex iis quae ipse addit:

misisset in aequora si non

haesisset quamvis amens in fune retentus.

Lentam cernis corporis mutationem in hoc versu de Inus comitibus (IV, 559):

quo quaeque in gestu deprensa est haesit in illo.

Quam gravis fuerit Ethemonis, unius e Persei hostibus, gladius, quam robustis ipse fuerit lacertis docet hic versus V, 171:
non circumspectis exactum viribus ense
fregit.

Misericordiae movendae aptissimus est egregius versus de Aeginetis lento atque inertis morbo tabescentibus VII, 581:
membraque perdentis tendunt ad sidera caeli
hic illic ubi mors deprenderat exhalantes.

Meleagri mors simul cum fatali stipite sensim intereuntis praeclare VIII, 524 sq. sic describitur:
inque leves abiit paulatim spiritus auras
paulatim cana prunam velante favilla.

Virium suarum documentum dat Achelous tam ipsa re quam de se narrat quam versu quo utitur VIII, 585:
a silvis silvas et ab arvis arca revulsi.

Sed ceteris omnibus disertius est exemplum quod ex hoc genere ultimum affero (IX, 168): letifera vestis Herculi a Deianira data
aut haeret membris frustra temptata revelli
aut laceros artus et grandia detegit ossa.

2. Saepe quoque hoc genere hexametrorum utitur Ovidius quum aliquem inducit lente, sive admirandum sive anxium, circumspectantem. Ita de Cadmo haec narrantur III, 15:

incustoditam lente videt ire invencam

et paulo post:

bos stetit et tollens speciosam cornibus altis
ad coelum frontem mugitibus impulit auram.

Vides quam magnam partem fati sui esse sentiat Cadmus in bove illa et in loco ubi procumbat.

IV, 637. Perseus ad Atlantem venit: videt Hesperidum arbores quarum

frondes auro radiante nitentes
ex auro ramos ex auro poma tegebant.

Agnoscisne advenae admirationem?

Eadem est Minervae admiratio Musarum sedem visentis V, 265:
silvarum lucos circumspicit antiquarum.

Neque minus spectantium animos movent Arachnes telae VI, 17:
nec factas solum vestes spectare iuvat.

3. Praeterea gravi irae et indignationi vel superbae arrogantiae aptissimi sunt numeri illi ponderosi.

II, 518. De pellice inter astra posita acerbe conqueritur Iuno:
est vero cur quis Iunonem laedere nolit
offensamque tremat?

Cum qua querimonia egregie conferri potest Altheae illa de fratribus a Meleagro occisis VIII, 486:

an felix Oeneus nato victore fruatur
Thestius orbis erit?

Denique quanta Niobae superbia fuerit ex hoc versu, sed magis ex eius rhythmo apparet VI, 195:

maior sum quam cui possit Fortuna nocere.

Sufficiunt, ut opinor, haec exempla ad demonstrandum probe sensisse Ovidium quantum varietatis quantumque ornamenti poemati afferri possit eiusmodi versibus suo loco ponendis qui ceteris omnibus poetis imprudentibus excidunt.

Sed quamvis venustos fecerit versus Ovidius, magis tamen eius ars spectatur in tota Metamorphoseon dispositione. Herculeum profecto laborem suscepisse videtur qui inde a creato mundo usque ad Augusteam aetatem omnes de mutatis corporibus narrationes, quas ex diversissimis auctoribus colligere posset, uno corpore comprehendere sibi proposuerit. Sed egregie eum labore illo perfunctum esse quis neget? Librum enim fecit qui non solum sine taedio perlegi possit sed etiam narrationis dulcedine lectorem vinctum teneat. Et nescio an singularis poetae in fabulis inter se iungendis felicitas vel maxime spectetur in narratione de Atlante a Mercurio sopito. Non solum enim lepidesime Ovidius oblata occasione utitur inserendae fabulae de Syringe, sed eum sermonem praebet Mercurio ut soporiferam eius vim Atlantem expertum esse facile lector credat, quippe qui et ipse eiusmodi aliquid sentiat.

Egregiae autem illi operis dispositioni aptissima sunt lepida quaedam artificia quae permulta ipse poeta invenit. Eorum hic unum indicabo, de aliis quibusdam paulo fusiùs disputaturus.

Longas saepiusque interruptas narrationes eiusmodi versu concludit poeta ut totus earum nexus lectori continuo stet ante oculos. Duo citabo exempla.

Uxorem amittit Orpheus, receptam negligenda conditione a rege inferorum imposita iterum perdit; moestus redit in Thraciam, tristitiam consolatur canendo; ipsa eius carmina, quorum sat magna copia est, narrationi inseruntur; tandem a Thressis, quarum odium in se verterat, vates crudeliter occiditur, membra eius manibus direpta nefandis sparguntur (XI, 61):

umbra subit terras et quae loca viderat ante
cuncta recognoscit, quaerensque per arva piorum
invenit Eurydicen cupidisque amplectitur ulnis.

Hic modo coniunctis spatiantur passibus ambo,
nunc praecedentem sequitur, nunc praevius anteit;

Eurydicenque suam iam tuto respicit Orpheus.

Vides quam egregie uno vocabulo *iam* longae fabulae exordium cum fine iungatur.

Neque minus est insigne alterum exemplum quod e libro III afferam. Misero sui amore tabescit Narcissus; quid semet spectando senserit dixeritque accurate explicatur, sed ad exitum iam properante narratione non negligit poeta lectorem admonere haud immeritam fuisse Narcissi mortem: iterum enim in scenam Echo producit, qua despicienda ferae et inhumanae indolis documentum adolescens dedit. Haec poetae verba sunt (vs. 499):

ultima vox solitam fuit haec spectantis in undam:

„heu frustra dilecte puer!” totidemque remisit

verba locus dictoque „vale” „vale” inquit et Echo.

Quae autem artificia poeta invenit iis saepissime utitur. Citabo verus quosdam inter se simillimos unde alterum genus cognosci possit.

VI. 267 sqq.

fama mali populique dolor lacrimaeque suorum
tam subitae matrem certam fecere ruinae
mirantem potuisse, irascentemque quod ausi
hoc essent superi, quod tantum iuris haberent.
nam pater Amphion ferro per pectus adacto
finierat moriens pariter cum luce dolorem.

VIII, 529 sqq.

pulvere canitiem genitor vultusque seniles
foedat humi fusus spatiosumque increpat aevum.
nam de matre manus diri sibi conscia facti
exegit poenas, acto per viscera ferro.

XI, 215 sqq.

bis periura capit (Hercules) superatae moenia Troiae.
 nec pars militiae, Telamon, sine honore recessit,
 Hesioneque data potitur. nam coniuge Peleus
 clarus erat diva e. q. s.

His locis permultisque aliis particula *nam* aptissime adhibetur ad narrationem de homine illis, de quibus antea narratum est, aliqua necessitudine iuncto, suo loco inserendam.

Tertium nunc poetae artificium ita indicabo ut initium faciam a versu qui vulgo male, ut mihi quidem videtur, explicatur. In gravi illo proelio quod propter Andromedam inter Perseum eiusque rivales ortum est Lampetides cantor a Pettalo vulneratur; V, 117:

concidit et digitis morientibus ille retemptat
 fila lyrae: casuque fuit miserabile carmen.

Pro *fuit* Heinsius coniecit *canit*, quam coniecturam refutarunt omnes admonendo *κακὸφώνων* esse istud *casu canit carmen*, sed multo graviore argumento, quod contra eam afferri poterat, nemo, quantum scio, umquam usus est. Coniectura enim Heinsiana tollitur et perit vera versus sententia, quae nunc latet tantummodo, nulloque negotio protrahi potest. Non hoc dicit Ovidius cadente Lampetide factum esse ut miserabile existeret carmen: absurdum enim hoc esset et rei naturae contrarium. Musicus, quum improvisa plaga percussus concidit fieri potest ut lyra eius canat aliquid quod viri perturbationi subitoque terrori respondeat; *lamentabile* vel *miserabile* carmen nemo umquam cecinit nisi otiosus desidens vel adstans. Neglexerunt autem tam interpretes quam ipse Heinsius versum qui praecedit:

Pettalus irridens „Stygiis caue cetera” dixit.

Ergo antequam vulneraretur Lampetides canebat, accepto vulnere *retemptat fila lyrae* i. e. conatur carmen suum persequi, *casuque fuit miserabile carmen* i. e. forte autem res ita ferebat ut carmen quod exorsus erat Lampetides miserabile esset: illud ergo ei pro singultu et lamentatione esse poterat. Igitur eo artificio, quod in Metamorphosesin tam saepe observatur, Ovidius utitur ut non omnia quae gesta sunt sicut gesta sunt ordine veluti enumeret, sed interdum narrationis cursum interrumpat ad aliquam rem, quam tum cum maxime scire lectorem oportet, ita

addendam quasi eam in praecedentibus narrare neglexerit. Possis ergo verba citata sic in vulgarem sermonem transferre: „carmen autem quod exorsum esse Lampetidem modo dicebam forte miserabile erat”. Sed meam loci interpretationem exemplis confirmare conabor.

I, 587 sqq.

viderat a patrio redeuntem Iuppiter illam
flumine et „o virgo Iove digna, tuoque beatum
nescio quem factura toro, pete” dixerat „umbras
altorum nemorum”, et nemorum monstraverat umbras.

596 „ne fuge me”, fugiebat enim.

Verborum enim *et nemorum m. u.* et *fugiebat enim* hic sensus est: „paene oblitus eram narrare eo loco silvam fuisse” et „p. o. e. n. Io fugisse”.

III, 232. Longa serie poeta Actaeonis canes, qui dominum persequuntur, nominavit; addit haec:

prima Melanchaetes in tergo vulnera fecit,
proxima Theridamas, Oresitrophus haesit in armo;
tardius exierant, sed per compendia montis
anticipata via est.

i. e. tres illos canes antea non nominavi quia nondum aderant: causa cur tamen primi dominum aggrederentur haec erat quod e.q.s.

V, 278 sqq. De insidiis sibi a Pyreneo structis ita narrant Pierides:

templa petebamus Parnasia: vidit euntes,
nostraque fallaci veneratus numina vultu
„Mnemonides” (*cognorat enim*) „consistite” dixit
„nec dubitate, precor, tecto grave sidus et imbrem”
(*imber erat*) „vitare meo”.

VI, 358 sq. Agrestes Lycios et aliis verbis obsecrat Latona ut sui misereantur et hisce:

„hi quoque vos moveant, qui nostro bracchia tendunt
parva sinu” (*et casu tendebant bracchia nati*).

VII, 217 sqq. A diis deabusque suis Medea venena magica petit: preces autem suas his versibus concludit:
et dabit is! neque enim micuerunt sidera frustra,
nec frustra volnerum tractus cervice draconum
currus adest.

Addit poëta: *aderat demissus ab aethere currus.*

Denique proponam locum qui primo illi tam similis est quam ovum est ovo:

VII, 83. (Medea) ut vidit iuvenem, specie praesentis inarsit.
et casu solito formosior Aesone natus
illa luce fuit.

Alia eaque elegantissima artificia tam ipsi Metamorphoseon naturae conveniunt ut saepius a poëta ea adhiberi minime mirum sit. Eorum ergo breviter commemorabo quaedam.

Ii quorum corpora mutantur vel mutata sunt conantur quidem facere quod antea faciebant sed non possunt. Hinc illud „quodque potest” et quae illi sunt similia¹⁾.

I, 656. Reperta filia et alia lamentatur Inachus et haec:
tu non inventa reperta

luctus eras levior; retices nec mutua nostris
dicta refers; alto tantum suspiria ducis
pectore, *quodque unum potes*, ad mea verba remugis.

III, 375 sqq.

o quotiens voluit (Echo) blandis accedere dictis
et molles adhibere preces! natura repugnat
nec sinit incipiat; sed, *quod sinit*, illa parata est
expectare sonos, ad quos sua verba remittat.

IV, 580

Bracchia iam restant (Cadmo). *quae restant*, bracchia tendit.
Sed saepe et in alio genere narrationis eam formulam, semel feliciter inventam, ponit noster.

IV, 682 sqq.

celasset vultus (Andromeda) si non religata fuisset.
lumina, *quod potuit*, lacrimis implevit obortis.

III, 187 sqq. Diana ab Actaeone nuda conspecta

in latus obliquum tamen astitit oraque retro
flexit. et ut vellet promptas habuisse sagittas,
quas habuit sic hausit aquas.

1) Cf. Virg. Aen. II, 406:

ad coelum teudeus ardentia lumina frustra
lumina, nam teneras arcebant vincula palmas.

IV, 60 sqq. Pyrami et Thisbes
tempore crevit amor. taedae quoque iure coissent,
sed vetuere patres. *quod non potuere velare*,
ex aequo captis ardebant mentibus ambo.

VI, 202 sq. Iussu Niobae Ismenides Latonae
sacra infecta relinquunt
quodque licet, tacito venerantur murmure numen.

VII, 144 sqq.
tu quoque victorem (Iasonem) complecti, barbara, velles,
sed te, ne faceres, tenuit reverentia famae.
quod licet, affectu tacito laetaris e. q. s.

Saepius novam fabulam ita exorditur poëta ut dicat illius hominis, de quo modo narraverit, tristem quidem sortem fuisse, illam autem solatio quodam levatam esse, nunc vero se casum dicturum multo praecedenti tristiozem. Solemnis est in his particula *tamen*.

IX, 98 sqq. De Acheloo, qui in certamine cum Hercule de Deianira suscepto alterum cornu amisit, finita est narratio. Sic poëta pergit:

hunc *tamen* ablati domuit iactura decoris,
cetera sospes habet; capitis quoque fronde saligna
aut super imposita celatur arundine damnum.
at te, Nesse ferox, eiusdem virginis ardor
perdiderat.

IX, 326. Socrum Alcmenen ministrae tristem mortem lugentem sic consolatur Iole:

te *tamen*, o genetrix, alienae a sanguine nostro
rapta movet facies. quid si tibi mira sororis
fata meae referam?

XIII, 55. Obiecit Ulyssi triste Philoctetae exsilium Aiax; deinde addit:

ille *tamen* vivit quia non comitavit Ulysssem.
mallet et infelix Palamedes esse relictus.

Et multa alia eiusdemmodi.

Neque solum artificia dispositioni iungendisque inter se fabulis apta, sicubi illis opus est, recurrunt, sed omnino poeta τὰ αὐτὰ λέγει περὶ τῶν αὐτῶν. Vere innumeri versus sunt, locutiones, formulae, quae in Metamorphosesin plus semel ponantur, quorum nonnullos hic, ita ut mihi in mentem veniunt, cum locis ubi leguntur citabo, ut lector videre possit quam sit sui imitator Ovidius quamque ea re alios ad imitandum alliciat.

VII, 141. Orti e viperinis dentibus homines Iasonem invadunt, sed ille in medios hostes silicem iacit, quo facto inter ipsos oritur proelium in quo

terrigenae pereunt per mutua vulnera fratres.

Eodem modo de Cadmi hostibus III, 122 sq.:

exemploque pari furit omnis turba suoque

Marte cadunt subiti per mutua vulnera fratres.

De Medusa IV, 792 sq.:

clarissima forma

multorumque fuit spes invidiosa procorum.

De Deianira IX, 10:

quondam pulcherrima virgo

multorumque fuit spes invidiosa procorum.

Ocyrrhoes dum in equam convertitur II, 666:

intellecta parum confusaque verba fuerunt

mox nec verba quidem nec equae sonus ille videtur.

Simillima his ea sunt quae de Actaeone narrantur III, 237 sqq.:

gemit ille, sonumque

etsi non hominis, quem non tamen edere possit

cervus habet.

I, 634 sq.:

illa etiam supplex Argo cum bracchia vellet

tendere, non habuit quae bracchia tenderet Argo.

Cf. III, 723:

non habet infelix quae matri bracchia tendat.

Audito Semelen e Iove gravidam esse Iuno exclamat III, 266:

at puto furto est

contenta, et thalami brevis est iniuria nostri?

concipit, id deerat! manifesta quae crimina pleno

fert utero.

De filio e pellice Callisto nato eadem queritur II, 471:

„scilicet hoc etiam restabat, adultera” dixit
 „ut fecunda fores, fieretque iniuria partu
 „nota Iovisque mei testatum dedecus esset”.

VII, 784 sq. De Cephali cane in campo Thebano feram persequente legimus:

imminet hic sequiturque parem, similisque tenenti
 non tenet et vanos exercet in aëra morsus.

Simillima est imago I, 535:

ut canis in vacuo leporem cum Gallicus arvo
 vidit, et hic praedam pedibus petit, ille salutem
 alter inhaesuro similis iam iamque tenere
 sperat et extento stringit vestigia rostro,
 alter in ambiguo est, an sit comprehensus, et ipsis
 morsibus eripitur tangentiaque ora relinquit.

III, 228 sq.:

ille fugit per quae fuerat loca saepe secutus.
 heu! famulos fugit ipse suos.

Pariter de Callisto nympha in ursam conversa II, 491 sq.:

a quotiens per saxa canum latratibus acta est
 venatrixque metu venantium territa fugit!

VI, 492. Tereus Philomela visa in illa

aestuat, et repetens faciem motusque manusque
 qualia vult fingit quae nondum vidit.

I, 502 Apollo Daphnes laudat

bracchiaque et nudos media plus parte lacertos;
 quaeque latent, meliora putat.

III, 448. Narcissus et alia conqueritur et:

quoque magis doleam, nec nos mare separat ingens
 nec via nec montes nec clausis moenia portis:
 exigua prohibemur aqua.

Verba autem *quoque magis doleam* vel *q. q. m. doleas* et multis aliis praeterea locis leguntur et I, 756 ubi Phaëthon

„quo” que „magis doleas, genetrix”: ait „ille ego liber
 ille ferox tacui”.

At enim, dixeris, quid mirum de eadem re iisdem verbis uti Ovidium, quidve ista observatio ad explicandum cuiusmodi fuerit poëtae ingenium confert? Istud quod de Ovidio narrasti

omnes poëtae habent, immo commune omnibus hominibus est. Respondeo me pauca tantummodo exempla attulisse, nam locorum *παρρηλίλων* numerum apud Ovidium multo maiorem esse quam apud omnes omnium aetatum poëtas, Homero excepto. Illos autem locos accurate enumerare longus est taediique plenus labor, et prorsus inutilis: quod enim modo dicebam verum esse unusquisque viginti deinceps *Metamorphoseon* paginis perlectis confirmare potest. Quin etiam hoc addo, quod observasse multo est utilius, saepe Ovidio evenisse ut versum vel partem versus vel verba quaedam vel aliquam loquendi formulam semel egregie poneret et ita eoque loco ut singularis quaedam aptissimaque vis inesset, sed et alio loco eadem aut poneret aut relinqueret cui minus convenirent, interdum etiam ita ea adhiberet ut languida essent et subabsurda. Quod, ut ab hoc exemplo initium faciam, *Ajax Ulysses* sic alloquitur XIII, 11 sqq.:

sed nec mihi dicere promptum

nec facere est isti; quantumque ego Marte feroci

inque acie valeo tantum valet iste loquendo.

egregium est, quia inde ab Homeri tempore *Ulysses* callidi et disertis oratoris exemplum habetur, et *Ajax* ei opponitur tamquam manu quam lingua fortior. Sed quis in certamine *Herculis* et *Acheloi* locus est huiuscemodi verbis IX, 29:

melior mihi dextera lingua.

dummodo pugnando superem, tu vince loquendo?

An forte et *Acheloi* laudata fuerat per totam antiquitatem facundia? Adde quod libro XIII tamen ab utroque adversario oratio habetur, ab *Aiace* brevis quaedam, plena rerum a se gestarum, ab *Ulysse* longa atque diserta, argumentis forensibus referta; *Herculem Achelous* neque refutat verbis neque refutaturus est.

XI, 629. Convento Somno

postquam mandata peregit,

Iris abit: neque enim ulterius tolerare vaporis

vim poterat, labique ut somnum sensit in artus

effugit.

Optime et *ἐναργίστατα* dictum est istud *neque enim ulterius tolerare vaporis vim poterat*; sed ieiunum videtur quod II, 301 *Telluris de Phaëthonte querimoniae* haec adduntur:

dixerat haec Tellus: neque enim tolerare vaporem
ulterius potuit.

VIII, 602. Lelex de Philemone et Baucide narraturus sic incipit:
tiliae contermina quercus

collibus est Phrygiis.

Quibus verbis addit:

ipse locum vidi, nam me Pelopeia Pittheus
misit in arva suo quondam regnata parenti.

Et opus est illo additamento. Lelex enim Troezenius est; necesse est ergo auditores scire cupere quomodo ille Phrygiam cognoscere potuerit; planeque iis satisfacit admonendo patriae suae regem Pittheum a Pelope et Tantalo Phrygibus originem ducere; ab illo ergo si se dicit in Phrygiam missum, nemo iam est quin oculatum testem esse Lelegem lubenter credat. Sed similia Lelegis praefationi ea sunt quae VI, 320 sqq. leguntur:

vidi praesens stagnumque locumque
prodigio notum. nam me iam grandior aevo
impatiensque viae genitor deducere lectos
iusserat inde boves.

Verba haec sunt eius qui de agrestibus Lyciis narrat: sed ignotus ille homo est, neque nomen eius neque patria a poeta traditur; quid ergo refert narrare cur quondam in Lyciam iter fecerit? Et nonne exspectare poterat unum e circumstantibus rogaturum: „sed quid patri tuo cum Lycia“?

VI, 13. Arachne

quaesierat studis nomen memorabile, quamvis
orta domo parva parvis habitabat Hypaepis.

Vocabula *parvis Hypaepis* πρὸς τὸ κελυχνός τοῦ ἰσθμοῦ addita sunt. Sed opus iis est XI, 152, ubi quo loco Tmolus situs sit accurate explicatur versu

Sardibus hinc, illinc parvis finitur Hypaepis.

VI, 10 sq. Obscurus homo erat obscuroque loco natus Arachnes pater:

occiderat mater, sed et haec de plebe suoque
aëqua viro fuerat.

Non admodum lepide inter se opponuntur *occiderat et de plebe fuerat*. Cui autem vocabula *sed et haec* legenti non in mentem

venit venustissimorum versuum e fabula de Philemone et Baucide VIII, 645:

in medio torus est de mollibus ulvis
impositus lecto, sponda pedibusque salignis.
vestibus hunc velant, quas non nisi tempore festo
sternere consuerant. *sed et haec vilisque vetusque*
vestis erat, sponda non indignanda saligna.

XI, 626 sq.

„pax animi, quem cura fugit, qui corda diurnis
fessa ministeriis mulces reparasque labori”.

Rectissime ita Somnum alloquitur Iris. Confer nunc quae IV, 215 de Solis equis dicuntur:

ambrosiam pro gramine habent: ea fessa diurnis
membra ministeriis nutrit reparatque labori.

Agnosces non tam apta huic loco quam illi esse verba *diurnis ministeriis et reparatque labori* et totam illam ambrosiae mentionem optime omitti potuisse.

Balearicae fundae imago multo rectius adhibetur II, 727 de Mercurio, qui Herse conspecta

non secus exarsit, quam cum Balearica plumbum
funda iacit: volat illud et incandescit eundo,
et quos non habuit, sub nubibus invenit ignes.

quam XIV, 824 de Romuli inter deos recepti corpore:

corpus mortale per auras
dilapsum tenues, ut lata plumbea funda
missa solet medio glans intabescere coelo.

XI, 451. Aleyone iamiam futura avis in aggerem quandam insilit

mirumque fuit potuisse, volabat.

Pulcherrimus totus hic locus est et verba quae citavi egregie ei conveniunt. Subridiculum autem videtur quod VI, 582 legitur, ubi Procne, accepto de Terei mariti adversus sororem suam iniuria et crudelitate nuntio

mirum potuisse, silet.

X, 515. De puero Adonide e Myrrha nato:

laudaret faciem livor quoque.

At nihil matri vel filio cum livore; aptissime eius mentio fit VI, 129:

non illud Pallas, non illud carpere livor
possit opus.

Ibi enim de Arachne narratur, cuius peritia gravem Minervae
moverat invidiam.

Poëtae autem, qui inventionem excellat, cuius versus semper sint puri, limpidi, venustuli, ad certam normam facti, a qua non nisi certam ob causam certo modo recedatur; qui disponendi et inter se iungendi fabulas arte admirationem moveat, qui praeterea in usu sermonis tam sibi constet ut non solum easdem res eadem ratione enuntiet, sed saepe de similibus, interdum de dissimilibus idem dicat, eiusmodi poëtae quomodo sit comparanda editio de ea re vix ulla inter homines et prudentes et sanos esse potest dissensio. Quod non ita dico quasi facillima res sit novis remediis laboranti Ovidii textui subvenire: anceps enim semper est et periculosum poëtas emendandi negotium: certam vero emendationem vel uni versui afferre posse paucis tantummodo contingit. Ad eam enim rem praeter plenam et perfectam poëtae de quo agitur notitiam insigni acumine et singulari quadam felicitate opus est. Accedit quod Metamorphosesin, ut ipse Ovidius testatur, ultima lima defuit. Quae res cuiusmodi difficultatem pariat critico breviter indicabo. Quid in suo poëmate emendaturum, si licuisset, fuisse Ovidium censeamus? Unam alteramque, ut opinor, fabulam in brevius contraxisset, e rebus mythologicis, quas hic illic permultas sine ullo ornamento poëtico enumeravit (exemplo sit locus VII, 354—400) paucas elegisset quas fusius elaboraret, fortasse etiam nonnumquam e duobus locis parallelis alterum paulo aliter enuntiasset, postremo, id quod ad quaestionem a me propositam maximi refert, interdum unum versum delevisset vel e duobus fecisset unum, vel pro versu versusve parte paulo languidiore verba diserta magis magisque acuta posuisset. Eiusmodi enim medicina interdum egere Metamorphoses aliquot exemplis demonstrabo.

I, 233 sqq. De Lyeaonis metamorphosi sic narratur:

colligit os rabiem, solitaeque cupidine caedis
vertitur in pecudes et nunc quoque sanguine gaudet.
in villos abeunt vestes, in crura lacerti.

Post hos versus abesset melius:

fit lupus et veteris servat vestigia formae,
 qui et propter praecedentes et propter sequentem
 canities eadem est, eadem violentia vultus
 satis languidus videtur et in narratione tam perspicua minime
 est necessarius. Non enim semper Ovidius addidit nomen ani-
 malis in quod aliquis convertitur. Cf. fabula de Meleagri sororibus VIII, 547.

I, 517. In Apollinis ad Daphnen allocutione hi versus leguntur:

Iuppiter est genitor: per me quod eritque fuitque
 estque patet: per me concordant carmina nervis.
 certa quidem nostra est, nostra tamen una sagitta
 certior, in vacuo quae vulnera pectore fecit.
 inventum medicina meum est, opiferque per orbem
 dicor, et herbarum subiecta potentia nobis.
 ei mihi, quod nullis amor est sanabilis herbis,
 nec prosunt domino, quae prosunt omnibus, artes!

Versus autem *certa — fecit* si quis contendat delendos esse, hoc argumento uti possit quod in cetera narratione haudquaquam appareat ipsum Apollinem sibi conscium esse vulneris sibi Cupidinis sagitta illati; si post *nec prosunt — artes* ponendos, haud inepte dicat neque Apollinis querimonias neque quae ille ad se ipsum laudandum afferat esse divellenda.

Daphne I, 545 sic patrem obsecrat:

fer pater, inquit, opem, si flumina numen habetis!
 qua nimium placui, tellus aut hisce vel istam
 quae facit ut laedar mutando perde figuram.

Versuum *qua — istam* et *quae — figuram* alius hunc delet, alius illum; utrumque alius damnat. Omnibus elegantius Riese e duobus unum fecit

qua nimium placui mutando perde figuram.

Melius tamen, ni fallor, pro *qua nimium* scripsisset *quaque nimis*.

II, 611 sq. Nyctimene adulterii suspecta ab Apolline telo transfigitur:

et dixit: „potui poenas tibi, Phoebe, dedisse,
 sed peperisse prius: duo nunc moriemur in una.”
 hactenus, et pariter vitam cum sanguine fudit.

Quis post haec non libenter careat insulso
 corpus inane animae frigus letale secutum est.

IV, 202 sq. Sol amore Leucothoës captus haud raro officio suo
 deest. Hac ad eum utitur apostrophe poëta:

deficis interdum, vitiumque in lumina mentis
 transit et obscurus mortalia pectora terres.
 diligis hanc unam.

Haud iniuria contendere possit lector satis inepte versibus
 nec, tibi quod lunae terris propioris imago
 obstiterit, palles: facit hunc amor iste colorem
 poëticam solis deficientis explicationem interrumpi explicatione
 ex observationibus astronomicis petita.

V, 113. In proelio de Andromeda occidis

tu quoque, Lampetide, non hos adhibendus in usus,
 sed qui, pacis opus, citharam cum voce moveres.

Et elegantia loci pessem datur et turbatur structura adiecto versu
 iussus eras celebrare dapes festumque canendo.

VII, 144. Medeam sic alloquitur poëta:

tu quoque victorem complecti, barbara, velles:
 obstitit incepto pudor. at complexa fuisses,
 sed te, ne faceres, tenuit reverentia famae.

Non, hercle, sine causa multi editores versum *obstitit* — *fuisses*
 delent; venustius, me iudice, sit duos versus sic in brevius
 contrahere

obstitit incepto pudor et reverentia famae.

VII, 152 sqq. Draconem velleris aurei custodem postquam Medea
 sparsit Lethaei gramine suci

verbaque ter dixit placidos facientia somnos,
 quae mare turbatum, quae concita flumina sistunt,
 somnus in ignotos oculos sibi venit.

Tam languide interponuntur verba *placidos facientia somnos* ut
 suspicari possis ea ad lacunam explendam addita esse.

His et aliis eiusdemmodi remediis sanari poterat Metamor-
 phoseon textus. Sed quum ipse poëta de opere suo affirmarit
 quidquid in his igitur vitii rude carmen habebit,
 emendaturus, si licuisset, eram.

quis ea adhibere audeat? Plane enim ignoramus utrum id vitio-
 rum genus, de quo hucusque dixi, poëtae debeatur an scribae.

Sed numquam adducar ut credam — id quod nonnulli editores sibi persuadere videntur — poëtam fatendo ultimam libro defuisse manum significasse in eo remansisse aliquot versus inepte factos vitiososque: eiusmodi enim versus poëta, qui de se puero affirmat

quidquid tentabam dicere versus erat,
nunquam fecit neque ut faceret ullae eum temporis angustiae
vel ulla negotia adducere potuerunt. Si quid ergo in *Metamorphoses* legitur quod sit contortum, obscurum, absurdum, quodve a sermonis usu nimis recedat vel improbabilem requirat explicationem, id ego invito poëta quin natum sit minime dubito. Et esse quosdam ex hoc genere locos ita demonstrare conabor ut simul appareat ad novam veramque Ovidiani versus emendationem inveniendam Heinsiano opus esse ingenio.

Iam statim in initio totius libri haereo multosque haerere arbitror. An credibile est Ovidium scripsisse

in nova fert animos mutatos dicere formas
corpora. Di coeptis, nam vos mutastis *et illas*
aspirate meis.

Quidquid enim dicunt interpretes moleste abundat particula *et* neque defendi potest nisi arcessita quadam explicatione. Quae si aliquo modo removeri posset tamen pars vitii superesse videretur: parenthesis enim nihil continere debet nisi *nam vos mutastis* i. e. nam vos mutationis auctores estis. Hactenus ergo bene procedit emendatio, neque nimis audax coniectura est vocabulum *illas* corruptum esse et pro eo Ovidium scripsisse aliquem dativum, qui cum *meis* ab *aspirate* penderet, e gr. *et ausis aspirate meis*. Sed ne sic quidem persanatus versus esset: langueret enim istud *coeptis et ausis*. Satius ergo est vitium indicare, emendationem acutioribus relinquere.

I, 222. Lycaon

mox ait „experiar deus hic, discrimine aperto,
an sit mortalis”.

Quis vocabula *discrimine aperto* sic explicare potest ut probabile fiat ipsos Ovidii aequales ea intellexisse?

I, 425. Nilus postquam ad antiquum alveum rediit

plurima cultores versis animalia glaebis

inveniunt, et in his quaedam modo coepta sub ipsum

nascendi spatium, quaedam imperfecta suisque
trunca vident numeris.

Quae ista est oppositio? alia animalia imperfecta sunt et trunca, alia *sub ipsum nascendi spatium* i. e. paene iam perfecta ut in vitam lucemque prodire possint (alia enim ratione si istud *sub ipsum nascendi spatium* accipitur, nihil hic verbis *imperfecta et trunca* opponitur); eadem tamen simul *modo coepta* dicuntur¹⁾.

I, 586. Inachus filiam

luget ut amissam, nescit vitane fruatur
an sit apud Manes. sed quam non invenit usquam
esse putat nusquam *atque animo peiora veretur.*

Sensu cassus est iste comparativus *peiora* sine comparatione, et languet *animo* verbo *veretur* additum: corpore enim nemo unquam veritus est. Requiritur fere *vero meliora veretur*. Veretur enim mortem filiae Inachus; illa autem si mortua esset, melior esset eius sors quam nunc est.

I, 681. Ad Argum ubi venit

edit Atlantiades et euntem multa loquendo
detinuit sermone diem.

Qui sensus verborum quae revera Ovidius scripsit fuerit facile est statuere: abire enim voluit Argus, sed sermonibus eum per totum diem detinuit Mercurius: cadente nocte

vincere harundinibus servantia lumina temptat.

Ipsa verba, ut opinor, nemo unquam praestabit.

I, 709. Narrat Mercurius se audita cannarum palustrium voce

„hoc mihi concilium tecum“ dixisse „manebit“
atque ita disparibus calamis compagine cerae
inter se iunctis nomen tenuisse puellae.

Quo sensu dicatur *nomen tenere* si quis ignorat, ex hoc versu discere potest (XI, 795):

aequor amat nomenque tenet quia mergitur illo.

Sed „Apollo calamis nomen puellae tenuit“ pro *vindicans* non est Latinum.

II, 411. De nympa Callisto narratur:

non erat huius opus lanam mollire trahendo
nec positu variare comas.

1) Alia apud Ovidium legisse Pomponium Melam I, 3, 9 probabile est

Lanam facit matrona casta, pudica, domiseda, sed Nympharum nulla, ut opinor. Quis sensus hoc loco requiratur perspicuum est. Quemadmodum enim vocabula *vitta capillos* opposita sunt vocabulis *positu variare comas* (non curabat capillorum elegantiam sed simplici vitta eos religabat), ita et verba *fibula vestem* suum sibi oppositum flagitant.

I, 646. Aesculapium puerum vaticinans sic alloquitur Ocyrrhoe :
animas tibi reddere ademptas

fas erit idque semel dis indignantibus ausus
posse dare hoc iterum flamma prohibebere avita.

Inepte pronomen *hoc* post *id*, inepte verbum *dare* post *reddere* abundat. Neutrum tamen leni medela removeas.

Neque minus ingrata est pronominum abundantia in his II, 691 :

hunc timuit blandaque manu seduxit et illi
„quisquis es hospes” ait e. q. s.

(nam et pronomine *hoc* et pronomine *illi* idem homo significatur) neque facilius emendatio.

II, 737 sq.

pars secreta domus ebore et testudine cultos
tres habuit thalamos.

Thalamus ebore et testudine *ornatus* esse potest vel *comptus*, non *cultus*. Quid Ovidius scripserit incertum est.

IV, 630 sq.

hic hominum cunctos ingenti corpore praestans
Iapetionides Atlas fuit.

Nimis ab Ovidiano usu recedit et istud *hominum cunctos* et accusativus verbo *praestare* iunctus. Sed quis vitium tollat?

IV, 635. mille greges illi totidemque armenta per herbas
errabant et humum vicinia nulla premebant.

Sunt qui censeant vocabulis *humum v. n. p.* significari latum bobus illis, qui nulla armenta vicina haberent, patuisse campum. Sed hoc si voluisset Ovidius, pro *humum* posuisset *agrum*, *campum*; nam *humum premere* constanter apud omnes significat *humi procumbere*. Requiritur: tamen tam fertile illud solum erat ut esset pabuli abundantia licet tot ibi boves pascerent.

IV, 756 Monstro percusso Perseus

protinus Andromedan et tanti praemia facti
indotata rapit.

Nihili est *praemia indotata*. Sententiam Ovidio dignam suggerit VII, 753:

dat mihi praeterea, tamquam se parva dedisset
dona, canem munus.

Ita et hic aliquid in hanc sententiam exspectes: dotem Perseus non curat, vel indotatam Andromedan magni facti sat magnum putat praemium.

VI, 313 sqq.

tum vero cuncti manifestam numinis iram
femina virque timet, cultuque impensius omnes
magna gemelliparae venerantur numina divae.

Quid sit *cultu impensius venerari* dicat qui credit ea vocabula ab Ovidio scripta esse.

317 sq.

Lyciae — fertilis agris — coloni.

Adiectivum *fertilis* apud Ovidium semper, quantum scio, absolute ponitur; non tamen nego eum etiam ablativum aliquem ei addere potuisse; sed tum addendum erat *frugibus* vel aliud eiusmodi vocabulum; *agris fertilis* nulla regio dici potest.

VII, 687. Phocus cognita mirabili vi iaculi, quod manu tenet Cephalus, scire cupit

cur sit et unde datum, quis tanti muneris auctor.
quae rogat ille refert, sed enim narrare pudori est,
qua tulerit mercede: silet e. q. s.

Ergone primum narrat Cephalus, deinde narrare non audet? Immo vero primum pudor loqui eum vetat, deinde victo pudore omnia quae Phocus rogavit ordine exponit.

VIII, 513. Post longam deliberationem Althaea fatale lignum in ignem conicit; quo facto

aut dedit aut visus gemitus est ille dedisse | stipes.

Quis pronomen *ille* defendat, quis quid eius loco ponendum sit statuatur?

IX, 8. Quomodo natum sit certamen cum Hercule in quo alterum cornu amiserit narraturus sic incipit Achelous:

nomine si qua suo tandem pervenit ad aures
Deianira tuas e. q. s.

Moleste abundare *tandem* a multis dictum est, sed nulli succedit emendatio.

IX, 223.

utque ferunt imbres gelidis concreescere ventis,
 inde nives fieri, nivibus quoque mole rotatis
 adstringi et spissa glomerari grandine corpus.

Istud *mole* Ovidio non deberi perspicuum est; neque tamen probanda Heinsii coniectura *molle*. Nam egregie quidem ille demonstravit nives et dici posse et saepe dictas esse *molle corpus*; non tamen ea vocabula tam multis interpositis divelli possunt.

IX, 317. Lepido dolo a Galanthide decepta Iuno
 ridentem prensamque ipsis dea saeva capillis | traxit.

Nullus hic pronomini *ipsis* locus est; non ergo addidit Ovidius.

IX, 369.

lacrimae misero de corpore factis | irrorant foliis.

Si de aliquo homine in arborem converso narratur, semper folia e capillis nasci dicuntur; ineptum autem est ea *de corpore* nasci dicere; ineptius etiam lacrimae irrorare dicuntur *foliis*, quae arboris summum tenent locum.

392 sq.

desierant simul ora loqui, simul esse: diuque
 corpore mutato rami caluere recentes.

Ergo quum iamdudum corpus in arborem erat conversum calorem tamen retinebant rami. Eleganter hoc dictum est et ceterae narrationi convenienter. Sed arboris ante sat longum tempus natae rami *novi* quidem dici possunt (solemne enim id vocabulum est de rebus e metamorphosi ortis); *recentes* nullo modo dici possunt.

IX, 779. Dixerat Telethusae maritus se, si filiam pareret, illam interfecturum. Nata autem filia Isidis monitu filium se peperisse mentitur, Iphidemaque suam tamquam puerum educat. Quae quum adulta iam esset paterque simulato filio nuptias pararet, mater ad incitas redacta Isidem ut opem ferat precatur:

quod videt haec lucem, quod non ego punior, ecce
 consilium munusque tuum est.

Verba *quod non ego punior* viri docti quidam sic interpretantur: quod ego non excrucior conscientia necatae filiae. Sed quis eam interpretationem probet, quis ulla alia ratione vocabulum *punior* defendi posse credat?

Omnibus his locis quos ex utroque genere sat multos attuli emendatio aut incerta est aut difficillima. Sed si cuius versus ab aliquo homine docto acutoque lenis proposita est correctio, vel si duae eiusdem loci lectiones exstant, facillimum est statuere utra lectio sit praefenda: eligendum enim semper id est quod est planius, venustius, elegantius, quodque ad intelligendum facilius est magisque convenit certo et constanti Ovidii sermoni. Non tamen ita omnibus videtur editoribus, sunt qui non semper persuasum sibi habeant editoris esse facere ut scriptor vel poeta melius intelligi et cum maiore voluptate legi possit. Illorum ego neminem nominatim refellere conabor: nolo enim quidquam detrahare videri egregiorum virorum laudi, qui strenuo labore et ipsi literis prodesse student et saepe profuerunt. Proposito meo utilius simulque iucundius est ex aequalium editorum emendationibus paucas eligere quas demonstrarem egregias, optimis criticis ipsoque Ovidio dignissimas esse, ex intima cum poeta familiaritate natas.

II, 453.

orbe resurgebant lunaria cornua nono,
cum dea venatrix, fraternis languida flammis
nacta nemus gelidum e. q. s.

Languet istud *venatrix*; de qua enim dea narretur e praecedentibus tam liquido apparet ut ineptum sit hic quoque nomen eius vel cognomen ponere; et verba *fraternis languida flammis* narrationi non sufficiunt: non enim solus aestus solis effecerat ut dea fatigata esset. Certa ergo est Riesii coniectura *venatu et*. Cf. III, 163 sq.:

hic dea silvarum venatu fessa solebat
virgineos artus liquido perfundere rore.

Et V, 586:

aestus erat, magnumque labor geminaverat aestum.

VII, 507. Cephalo Atheniensi auxilium petenti respondet Aeacus:
ne petite auxilium sed sumite, dixit, Atheuse,
nec dubie vires quas haec habet insula vestras
ducite; et omnia quae rerum status iste mearum,
robora non desunt; superat mihi miles et hosti.

Sensu caret paenultimus versus neque quidquam ei praestat lectio codicum quos olim vulgo sequebantur viri docti: *et omnis*

eat rerum st. i. m. Multi multa tentarunt, sed plerique eorum non intellexerunt tum demum ferri posse pronomen *iste* si praedicati vim habeat. Non fugit hoc Bothium, qui coniecit: „nec dubie vires quas haec h. i. vestras | ducite; *ut omnis eat* (rerum status iste mearum) | roborum non desunt”. Certe sic evadit orationis forma ac structura vere Ovidiana, at sententia ridicula. Quid enim magis absurdum quam hoc: „licet *omnes* copiae meae ad bellum proficiscantur tamen satis copiarum mihi restat”? Quanto melior ergo Merkelii coniectura:

et omnia habet; rerum status iste mearum.

Hoc demum est Ovidii manum restituere; sententia enim est aptissima, structura elegans atque eiusmodi ut quivis a cuiusvis poematis Ovidiani lectione recens ipsum poemam sibi audire videatur. Afferam locum, qui se mihi haec scribenti ultro offert VII, 217. Sic deos precatur Medea:

nunc opus est sucis, per quos renovata senectus
in florem redeat primosque recolligat annos.
et dabitis!

Quod Merkelius non eodem tamquam impetu ingenii usus est ad sequentia *superat mihi miles et hosti*, quae haud dubie corrupta sunt, emendanda miror doleoque.

VII, 741. In Cephali narratione hi versus leguntur:

exclamo: male tectus ego male fictus adulter
verus eram conjunx! me, perfida, teste teneris.

Sic hunc locum, qui in omnibus codicibus corruptissimus circumfertur, legi iussit Burmannus. Neque dubium videtur quin ita sensus saltem sanus restituatur; sed structura Ovidiana non est. Illam sagaciter revocavit idem Merkelius legendo:

exclamo: *manifesta rea es*, male tectus adulter e. q. s.

Vel aures admonent unice veram i. e. Ovidio dignam (nam prorsus eadem verba prorsus eodem modo ab Ovidio hic posita fuisse numquam demonstrari poterit: quid tamen hoc refert dummodo aliquid legatur quod ipsi Ovidio placuisset si legisset?) hanc lectionem esse. Sed nescio an pro *tectus* retinenda sit vulgata lectio *pactus*. Male pactus adulter revera Cephalus erat: cum suo ipsius damno et dolore „pretium pro nocte” pactus erat (v. 739). Cf. XIII, 58

male convicti nimium memor iste furoris,

male enim convicerat fictam Ulyssis insaniam Palamedes et ita ut sibi ipse perniciem pararet.

IX, 556. Byblis insano fratris amore capta et alia secum loquitur et haec:

nec nos aut durus pater aut reverentia famae
aut timor impediēt; tantum absit causa timendi.

Ita vulgo edebatur; verba autem *tantum absit causa timendi* non tulit Heinsius pro iisque coniecit: *nam quae sit c. t.* Sed egregie recentiores editores omnes senserunt quantum esset venustatis in altera codicum lectione *tantum sit causa t.* eamque in textum receperunt.

Hunc autem laborum suorum finem si semper sibi proponerent editores ut textum Ovidii aliquanto redderent elegantiores, expeditiores, venustiores, spes esset fore ut Metamorphoses aliquando ad pristinum restituerentur nitorem. Nunc in alia omnia abeunt. Nocet enim sanae rationi hodiernus abusus codicum, quos viri docti non ideo cum pulvisculo excutiant ut semet ipsos exerceant in antiqua scriptura dignoscenda et in indagandis scribarum erroribus, sed ut editiones suas obruant immensa variarum lectionum copia. Multi quoque eorum nimium codicibus suis dediti obliviscuntur ingenii tantum acumine et accurata scriptoris cognitione reperiri certas emendationes, quibus semel repertis haud illepide ornamentis magis quam adiumentis instar varias afferri lectiones posse; et nescio qua diversorum errorum comparatione eruere conantur non scriptoris verba verum errorum fontem communem. Quod *πρῶτον ψεῦδος*; si tamen integrum in textu ponerent, operam quidem perderent sed haberent tamen quo se defenderent. Quid vero si Ovidii editores demonstrabo post multorum codicum explorationem interdum in textu ponere aliquid quod nulla tradita lectione nitatur, tamque sit absurdum ut quin ipsi probe sentiant illud ab Ovidio scribi non potuisse nulla sit dubitatio. Quae ista est ratio vel potius perversitas et desperatio? Ita, ut ab insigni exemplo initium faciam, vidi editorem qui in praefatione de his versibus (XV, 122 sqq. verba sunt Pythagorae):

immemor est demum, nec frugum munere dignus,
qui potuit dempto curvi modo pondere aratri
ruricolam mactare suum

haec fere narrat: „In codice X, quem ego primus accurate exploravi, tam quam in ceteris omnibus *demum* legitur; conieci ergo *aequi*“. Et postea in responso ad adversarium: „dicebam me *aequi* coniecisse; nunc dico certam mihi eam emendationem videri“. Ain vero? *Propter* codicum consensum tu aliquid mutandum censes? Nunquam vidi qui tam esset librorum manu scriptorum contemptor et derisor. Si *neglecto* codicum consensu novi aliquid in textum introduceres, praesertim si id a tradita lectione fere nihil, quod ad ductum literarum pertinet, recederet et propter sensum necessarium esset, laudarent te omnes. Sed parum, ut opinor, inter se similia sunt verba *aequi* et *demum*. Quid quod in tradita lectione nulla est offensio. An forte *immemor* dici posse negas pro *ingratus*? At *memor* et *gratus* solemnibus formulae instar est. An *demum* ferri nequit? Immo egregie huic loco illud vocabulum convenit. Praecedunt enim haec fere: „quod aprum immolarunt homines excusari potest: ille enim vite morsa poenam meruit. Sed quid ovis deliquit?“ Egregie nunc sequitur: „sed ille *demum* revera ingratus est nec frugum munere dignus qui bovem, ruricolam suum mactare sustinuit“. Sed istud *aequi* ineptum est et ridiculum. *Iniquumne* tu appellas qui eum occidit a quo summum beneficium, vitae subsidium, accepit? Immo *nefarius* ille homo est, *dirus*, *saevus*. *Iniquitas* apud Romanos vix crimini habetur: e nimia severitate, e nimis anxia legum morisque maiorum observatione illud vitium nascitur, non ex animi perversitate. Optimus quisque Romanorum interdum iniquus fuit. Sin tamen eo nomine traditam lectionem impugnas quod *demum* eo sensu, quo ego accipiebam, non possit sine pronomine *ille* poni, vel quod *immemor* suo carere nequeat genitivo, in promptu est lenissima emendatio: *diemum*. Hoc enim vocabulo *demum* simillimum est, hoc aptissimum praebet sensum: „hic demum deorum est immemor et indignus beneficiis quae ab omnibus sed a Cerere praesertim accepit“. Sed praestat nihil mutare.

V, 1 sq.

dumque ea Cephenum medio Danaeius heros
 agmine commemorat, fremitu regalia turbae
 atria complentur.

Ita omnes codices; in L. est „*fremitu et turbae*“. Recentiores

editores tantum non omnes *fremida turba*. Nihil, ut vides, huic lectioni in libris est subsidii; nihil, ut opinor, in vulgata lectione offensionis. Quidni enim turbæ *fremitu, clamore, convitiis* conclave aliquod impleatur? Et novum illud adiectivum *fremidus* Latini sermonis naturæ refragari videtur. Adiectiva enim in *idus* exeuntia pleraque a verbis secundæ coniugationis formantur, sed omnia statum quendam, conditionem, et, ut nunc dicimus, qualitatem significant.

III, 348. De Narcisso puero consultus an esset
tempora maturæ visurus longa senectæ
fatidicus vates: „si se non viderit” inquit.

Ita in omnibus codicibus esse videtur; antiquiores certe editiones *viderit* habent nulla indicata lectionis discrepantia. Tamen in recentioribus editionibus est *noverit*. Si in omnibus esset codicibus *noverit*, in nullo *viderit*, tamen *viderit* erat legendum. Si enim semet ipsum in aquarum speculo novisset i. e. agnovisset, non tristi sui amore tabuisset Narcissus: quum vero talis eius natura esset qualem eam ex cetera narratione cognoscimus, certam perniciem effugere non poterat nisi nunquam semet ipsum *videndo*.

XIV, 355. Circe Pici iuvenis amore capta eum persequitur sed consequi non potest:

non, ait, effugies, si non evanuit omnis
herbarum virtus, nec me mea carmina fallunt.

Elegantissime hæc Circes oratio est formata, ne levissimam quidem maculam quisquam cernit. Tamen vir doctus quidam, qui his diebus *Metamorphoses* edidit, prætulit *si non mea carmina fallunt*, quod multo minus Ovidianam orationem refert et nulla auctoritate defenditur. Nam codex, cuius ille solus accuratam sibi comparavit notitiam, *me nec mea carmina fallunt* habet, qui levissimus est vulgatam lectionem describentis lapsus.

Sed finem iam facio. Quod enim X, 536 pro *nuda genu, vestem ritu succincta Dianæ* in nonnullis recentioribus editionibus legitur *fine genus*, de istiusmodi studio lectores arcanae cuiusdam et abstrusæ sapientiae ostentatione obstupefaciendi (quo sæpe Ovidii quoque editores laborant) tacere satius est.

Alius virorum doctorum, qui *Metamorphoses* in lucem ediderunt, error multo minus est ridiculus sed aequè funestus.

Pro vulgata lectione, quamvis elegans ea sit, venusta, pura, aliquid ponunt inepti, obscuri, vitiosi, sive quod in uno codice, cuius excussi honorem sibi vindicant, pluribusve recens accuratius exploratis ita legatur, sive quod diplomatica ratio ita iubere videatur. Quam saepe ita agant hodierni editores longa locorum serie demonstrabo et ab insignioribus exemplis initium faciam.

V, 522. Conquerendi apud Iovem de rapta filia Ceres sic finem facit:

neque enim raptore marito

filia digna tua est si iam mea filia non est.

Ita in novis editionibus legitur, sed insanum est istud *non est*. Quid enim? An dubitat Ceres num e se nata sit Proserpina? An forte hoc vult: „Si mea filia raptore marito indigna est, quanto magis tua?” At certat ea interpretatio cum vocabulorum *si iam* certo usu; illa enim semper significant: „ut concedam”. Quam rectum ergo est quamque aptum quod olim viri docti e suis codicibus edebant: *si iam mea filia digna est*. Ita scripsisse Ovidium nemo est quin vel e sono versus agnoscat. Cf. quod in eadem narratione legitur 345:

carmina digna dea, certe dea carmine digna est.

VIII, 704 (714). Philemon et Baucis annis aevoque soluti

ante fores antri quum starent forte locique | navarent curas.

Ita in nova notissimaque editione est. Quid ergo Philemon et Baucis faciebant? Quid significare potest *loco navare curas* (nam *loci navare curas* prorsus nihil significat)? An: „sordes remove pulveremque?” At eos easve, qui in illo opere sunt occupati, non otiosos stare ante fores aedium novimus omnes, quorum cogitationes saepe insano ancillarum per domum currentium, clamantium, nil non suo loco moventium, strepitu impediuntur. Quam lepida contra est vulgata lectio, quam despiciere videntur viri quidam nimis docti: *locique narrarent casus*. Brevi ante excessum suum Philemon et Baucis in memoriam redibant rerum mirabilium quas vidissent expertique essent. Cf. in narratione de Cadmo et Harmonia V, 569:

iamque malis annisque graves, dum prima retractant
fata domus, releguntque suos sermone labores.

I, 465:

„quantoque animalia cedunt
cuncta deo, tanto minor est tua gloria nostra”,

Ita recentiores editiones ad Apollinem loquentem faciunt Cupidinem. Cuinam deo, obsecro. An omnibus? Immanis ea est et demens Cupidinis arrogantia, si semet ipsum tanto praestare Phoebō contendit quanto Iupiter praestet animalibus. Egregia vero est vulgata lectio *cuncta tibi*, i. e. tuam sagittam feræ metuunt, meas tibi esse metuendas monstrabo.

II, 201 sq. Mentis inops (Phaëthon) gelida formidine lora remisit, quæ postquam summo tetigere iacentia tergo, exspatiantur equi.

Lectio est recentiorum editionum, quam si quis puer vel mediocriter latine doctus aspiciat, haud dubie sic secum loquatur: „nullus est huius versus sensus: intelligerem *quæ p. summum t. i. tergum*; tñm enim, id quod minime est absurdum, *iacentia* esset *pendentia, remissa, a nullo auriga retenta*. Concinnius tamen foret: *q. p. summo sensere i. tergo*”. Id ipsum autem, quod nemo non hic legi optet, veteres editiones praebent e codicibus olim probatis et, ut opinor, semper probandis.

IV, 121 sqq. cruor emicat alte, non aliter quam cum vitiatō fistula plumbo scinditur et tenues stridente foramine longe eiaculatur aquas.

Ita olim legebatur ex omnibus, ut opinor, libris quorum tum habebatur ratio. Nunc vulgo editur *tenui s. f. longas*, in quibus *longas aquas* satis ridiculum videtur et parum eleganter cum uno substantivo *foramine* duo adiectiva *tenui* et *stridente* iunguntur. Atque illa lectio tam vulgatae inferior in nullo exstare codice videtur sed ex virorum doctorum de probabilitate diplomatica somniis nata esse.

V, 260. Minerva ad Musas veniente seque visendi causa venisse dicente

excipit Uranie: quaecunque est causa videndi
has tibi, diva, domos, animo gratissima nostro est.

Nova hæc lectio est. Sed quis unquam tam inhumanus fuit, tam omnis honestatis expers ut hospitem sic alloqueretur: „quaecunque te causa huc venire cōgit, quamvis tibi sit tristis, funesta, miseranda, mihi est gratissima”. Quantocius repone vulgatam *es* pro *est*, i. e.: quacunque causa venisti, ipso adventu laetamur.

X, 397. Myrrham sic admonet nutrix :

seu furor est, habeo quod carmine sanet et herbis e. q. s.

Sic hodierni editores; at vocabulo *quod* nullus hic locus est: non enim *medicamentum* carmine et herbis utitur, verum *medicus* vel si ita res fert *medica*. Restituendum ergo quod in antiquis est editionibus *quae*, i. e.: inter amicas meas una est quae artem magicam callet.

Ceteros locos nunc ordine recensebo.

V, 311 sq. Ad certamen sic Musas provocant Pierides:

vel cedite victae

fonte Medusaeo et Hyantea Aganippe,

vel nos Emathiis ad Paeonas usque nivosos

cedemus campis.

Rectissime habet futurum *cedemus*, quae est vulgata lectio. Eo enim se legi quam ipsae ferant parituras Pierides significant: Musis conditionem imponunt, non sibimet ipsis. Tamen nunc plerumque a viris doctis altera lectio *cedamus*, quae vitiosa est, probatur.

V, 617. Sic precatur Arethusa: „fer opem

armigerae Dictynna tuae”.

Vulgatam *Dictynna* natam esse ex imperitia grammatici, qui nesciret *Diana* i anceps habere, censet novus quidam editor, qui eo argumento ex aliis codicibus *Diana* reponit. At **semper et ubique** apud Ovidium *Diana* breve habet i praeter Met. VIII, 353. Sed quis credat sincerum esse versum

sed sine vulnere aper: ferrum Diana volanti,

quum post brevissimum intervallum (395) legatur:

invita tamen hunc perimet mea dextra Diana.

Utrum ergo probabilius est nostro loco *Dictynna* in *Diana* mutare, an l. VIII, 353 pro *Diana* legere *Dictynna*? Hoc probat sana mens et ratio, illud diplomatica sapientia.

VI, 329. Recte veteres editiones:

Naiadum Faunine foret tamen ara, rogabam

indigenaene dei.

Soloece recentiores: *indigenaevae*.

VI, 620. Procne a marito dirae crudelitatis poenas sumere vult filio necando:

sed simul ex nimia mentem pietate labare

sensit e. q. s.

Nil habet haec lectio in quo offendas; quamquam paulo lenius videtur quod Heinsius et Burmannus proposuerunt *simulac*. Ineptum vero est recentioris cuiusdam inventum *eximia pro ex nimia*.

VI, 657

sicut erat sparsis furiali caede capillis.

Quod ex *uno* codice olim edebatur *furiali more* multo melius est quam quod recentiores ex ceteris omnibus praebent *f. caede*. Nibili enim *furialis caedes* est, et utitur Procne ad consilium suum exsequendum Liberalium occasione, sive ut ipse ait poeta: „furiis agitata doloris, Bacche tuas simulat”, quae verba satis unum illum codicem contra adversarios tuerentur etiamsi innumerum essent.

VI, 715

barbaque dum rutilis aberat submissa capillis.

Vera est vulgata haec lectio: rectissime enim *aberat submissa* dici potest pro *nondum submissa erat*. Absurda est quam ex codicibus suis protraxerunt recentiores *subnixa*.

VII, 8

dumque adeunt regem Phrixaeque vellera poscunt
lexque datur Minyis magnorum horrenda laborum.

Rectissime sic codices qui olim in honore erant, nunc contemnantur. *Lex* enim *dari* potest, et *lex horrenda magnorum laborum datur* idem est quod *conditio m. l. iis imponitur*; sed quod nunc viri docti probant *visque datur* e. q. s. vel *usque datur* e. q. s. aut sensu cassum est aut absurde dictum.

VII, 449. Sana est vulgata lectio

si titulos annosque tuos numerare velimus
facta *premant* annos.

Soloece pro *premant* codices quibus nunc addicti videntur viri docti *prement* habent.

VII, 611 sq.

Indefletaeque vagantur
natarum matrumque animae iuvenumque senumque.

Egregie Ovidii ingenio respondet accurata haec, quam vulgata lectio habet, enumeratio. Minus Ovidianum est quod in aliis codicibus legitur:

natorumque virumque animae i. q. s. q.

Tamen hos nunc sequuntur viri docti, illam contemnunt.

VIII, 61

cur suus haec illi *reserabit* moenia Mavors,
et non noster amor?

Pro sana hac vulgata lectione nunc nonnulli viri docti probant:
reseret mea, in qua *haec mea moenia* inepta est tautologia.

VIII, 85 sqq.

vitali nata parentem
crine suo spoliat, praedaque potita nefanda.
fert secum spolium sceleris, progressaque porta
per medios hostes — meriti fiducia tanta est —
pervenit ad regem.

Rectissime Heinsius cum uno codice versum *fert — porta* abiecit;
ceterorum omnium auctoritas nunc pluris habetur.

VIII, 409 sq.

quo bene librato votique potente futuro
obstitit aesculea frondosus ab arbore ramus.

Quonam, obsecro, vitio hic versus laborat? Tamen nova sapientia
vocabulum *quo* inepto soloecismo *cui* cedere iussit.

VIII, 669

post haec celatus eodem | sistitur argento crater.

Supra quam credi potest infelix est Heinsii summi viri coniec-
tura, pro *eodem argento* legendum esse *eadem argilla*, qua lepi-
dissimus poëtae iocus pessumdat. Illam tamen nunc probant
viri docti, qui ingeniosissimis Heinsii inventis inepte obloquuntur.

VIII, 793

hirtus erat crinis, cava lumina, pallor in ore,
labra incaua situ, *scabri* rubigine *dentes*.

Praeclara haec est Fami's descriptio. Magis tamen nunc editori-
bus placet insana lectio *scabrae* rubigine *fauces*.

X, 174 sq.

iamque fere medius Titan venientis et actae
noctis erat, spatioque pari distabat *utrinque*.

Varia lectio *utrique* a plerisque editoribus nunc recepta quid sibi
velit nemo, ut opinor, intelligit.

X, 185

expalluit aequae | ac puer ipse Deus.

Rectissime sic antehac legebatur; nunc plerisque editoribus
soloecum *quam*, QUOD IN NULLO EST CODICE, magis placet.

X, 202. De Hyacinthi morte et alia queritur Apollo et haec :
 atque utinam merito vitam tecumque liceret | reddere.
 Sic nunc legitur, novis collatis codicibus. Sed claudicat sententia.
 An forte *merito* et *tecum* sic particula *que* iungi possunt? Egregia
 vero est vulgata lectio

atque utinam pro te vitam tecumve liceret | reddere.

X, 330. Myrrha leges divinas humanasque violatura dum
 secum deliberat hoc utitur argumento: gentes tamen esse feruntur
 in quibus et nato genitrix et nata parenti
 iungitur, *ut pietas geminato crescat amore.*

Haec est novarum editionum lectio, cui quanto praestet vulgata
et . . . crescit quid opus est dicere?

XI, 20 sq. De Maenadibus Orpheum agredientibus haec le-
 guntur:

ac primum attonitas etiamnunc voce canentis
 innumeras volucres anguesque agmenque ferarum
 Maenades Orphei titulum rapuere *triumphi.*

Nonnullorum hanc codicum lectionem aptissimam vereque Ro-
 manam prae ineptissimo *theatri* plerique nunc viri docti con-
 temnunt.

XIV, 718 sqq. Despectus ab Anaxarete, quam perditae amabat,
 Iphis mortem sibi consciscere decernit et ante ipsius fores „verba
 novissima dixit“, in quibus et haec sunt:

age, ferrea, gaude!
 certe aliquid laudare mei cogeris, eritque
 quo tibi sim gratus.

Quam pulchre dictum est: „certe aliquid laudare mei cogeris“
 hoc sensu: „me ipsum despexisti, mortem ergo meam laudabis“.
 Sed exstitit periculum ne hoc quoque nobis eripiatur praeclarum
 Ovidianae artis documentum. Editor enim quidam in Musis
 inimico codice quodam invenit: *c. a. l. m. cogeris amoris*, idque
 sibi egregie placere significavit.

Ohe! iam satis est.

Prudentis est editoris leves coniecturas spernere, probas codi-
 cum lectiones defendere: vitiosas codicum lectiones praeponere
 certis virorum doctorum emendationibus inepta est pertinacia.
 Illa autem hodiernos editores laborare mirum quidem est (vidi-

mus enim eos in suis coniecturis suorumque codicum lectionibus recipiendis minime anxios esse) sed verum. Inspiciamus modo notissimum versum quo Lelex suam de Philemone et Baucide claudit narrationem:

cura deum di sint, et qui coluere, colantur.

Num cuiquam haec omnium (ni fallor) codicum lectio sana videri possit? Immo si aliquo modo pro certo demonstrari posset ipsum Ovidium aberrante oculo vel mente sic scripsisse, tamen in textum erat recipienda Heinsii emendatio:

cura pii dis sunt, et qui coluere coluntur.

Hoc enim voluisse Ovidium constat: editoris autem est omnes nugas quisquillasque, quocunque tandem tempore natas, lectorum oculis subtrahere, quo melius poëta legi et intelligi possit.

Aliam nunc proferam emendationem non minore iniuria neglectam (VIII, 123). A Minoe spreta et aliis abeuntem illum compellat Scylla maledictis et hisce:

nec Iove tu natus, nec mater imagine tauri
ducta tua est (generis falsa est ea fabula), verus
et ferus et captus nullius amore iuvencae
qui te progenuit, taurus fuit.

Omnes lepores omnesque elegantiae vere Ovidianae in hos versus convenisse videntur. Egregie Europae a Iove sub imagine tauri raptae fit mentio, quacum mox aptissime iunguntur Pasiphaes et tauri amores: illos autem poëta non poterat non commemorare, quia paulo post ad fabulam de Daedalo et Labyrintho deque Minotauro a Theseo occiso transeundum est. Lepidissime ergo simul et novum Scyllae praebuit maledictum poëta et sibi fabularum vinculum. Sed loci sententiae, quamvis sit egregia, nescio an praestet elocutio: quam recte *imago tauri* et *verus taurus* inter se opponuntur, quam Ovidium decet soni similitudo quae est in vocabulis *verus* et *ferus*; quam bene concitato Scyllae animo τὸ ἀσύνδετον respondet. Permagnas ergo Gierigio gratias habemus qui illud *verus* restituerit, nam in codicibus omnibus est *verum*. Id autem propter codicum consensum retinere velle puerile est. Facile enim fieri potest ut ipse Ovidius *verum* scripserit: cui enim non scribenti saepe accidit ut aliud in mente aliud in manu haberet? Quis autem tam perversus est ut calami aliquem lapsum ubi in amici — ut hoc exemplo utar — epistola

agnovit, non libenter errorem dissimulet atque semet ipsum id legere cogat quod amicum voluisse semel viderit?

Sed ingens est copia locorum ubi eadem editorum deprehendatur perversitas. De paucis breviter disputabo.

VI. 215. Latonae de Niobes narranti superbia

desine, Phoebus ait, poenae mora longa querela est.

Itane vero? Poenae mora longa querela est! Proverbiumne hoc est an cogitatione supplendum *tua* vel *ista*? Sed *mora longa est; omnis est mora longa* aliaque eiusmodi apud Ovidium solemnium formularum instar sunt, quae mutari non possunt quin corrumpantur. Ovidii manum restituit Heinsius legendo

desine, P. a., poenae mora longa, querelas.

Sed nunc plerumque nihili habetur poetae illius, quem unus Ovidius superat, auctoritas.

VII, 555 sq. „Si Iasonem comitabor” Medea ait

„magna sequar: titulum servatae pubis Achivae

notitiamque loci melioris et oppida, quorum

hic quoque fama viget, cultusque artesque locorum”.

Pro *locorum* in paucis quibusdam codicibus est *virorum*: illud tuetur Heinsius, sed ita ut pro *loci* coniiciat *soli*; sensit enim istud *loci* *locorum* apud Ovidium ferri non posse. Nescio tamen an elegantior etiam sit Burmanni coniectura, qui *loci* retinet sed pro *cultusque artesque locorum* scribit *cultusque habitusque virorum*. Neutrius vero nunc a viris doctis ratio habetur. At quem in poetis latinis legendis magistrum habebis si Heinsium et Burmannum spreveris?

VII, 167. A Medea Iason ut patri suo iuventutem reddat sic petit:

deme meis annis et demptos adde parenti.

Duram hanc et inficetam lectionem in integrum restituerunt sprete elegantissima Heinsii coniectura

deme meis annos et demptos adde paternis.

-VIII, 162

non secus ac liquidus Phrygiis Maeandrus in arvis

ludit e. q. s.

Sic nunc est in editionibus. Nonne ergo sentiunt viri docti *liquidus Maeandrus* haud minus esse ridiculum quam *lignea arbor*? Quid autem magis Ovidium decet quam venustissima Heinsii

coniectura: „liquidus Phrygius Maeandrus in arcus (vel *orbes*) l.”? cf. III, 42:

ille (serpens) volubilibus squamosos nexibus orbes
torquet.

IX, 769. Iphidis mater, instantibus iam nuptiis quas pater decreverat, moras nectit semperque novas fingit causas differendi: sed iam consumserat omnem | materiam ficti.

Serione credunt editores sanum esse *materiam ficti*? Nonne satius est cum Heinsio audere aliquid (is enim *furti* coniecit) quam cum omnibus libris manuscriptis delirare?

XI, 781. Aesaco dilectam nympham persequente illa serpentis morsu interit. Lamentatur Aesacus:

vulnus ab angue
a me causa data est. ego sim sceleratior illo,
ni tibi morte mea mortis solatia mittam.

Sic hunc locum legendum statuit Heinsius, sed periculum est ne renascatur inepta lectio:

ego sum sceleratior illo,
qui tibi morte mea mortis solatia mittam.

quam nunc tuentur editores.

Sed brevitati est consulendum. Nam materiae tanta suppetit copia ut spissum ex ea facere librum possim. Disputationi ergo meae corollarii instar paucas quasdam suspiciones meas addam. Ne quis autem me derideat, qui, postquam dixerim ad nova et salubria poetae textui adhibenda remedia Heinsiano opus esse ingenio, nunc ipse coniecturas afferam, hoc moneo: qui poetae editionem parat illum tam in emendationibus suis quam in lectionibus, quas ipse primus e codicibus eruit, recipiendis anxium esse oportet et circumspectum; illum versui quamvis suspecto crucem apponere quam suam adhibere medicinam satius est. Sed nihil est periculi in coniecturis eius qui commentariolum scribit. Is enim quum emendationem proponit (nisi si Cobetus aliquis est) sic fere loquitur: „locum hunc non plane intelligo; intelligerem hanc lectionem: quam cur non potioem habuerit poeta velim doctiores me similesque mei doceant”. Sic saepe nascitur nova loci impeditioris veraque explicatio; fieri etiam

potest ut verecundus ille sibi que diffidens scriptor rem acu tangat.

III, 434

ista repercussae, quam cernis, imaginis umbra est:

nil habet ista sui: tecum venitque manetque e. q. s.

Nonne praestat: nil habet *ipsa* sui? Certe ingrata videtur repetitio *ista . . . ista*, et pronomem *ipsa* secundo versui paulo aptius est quam *ista*.

II, 779

nec fruitur somno, vigilacibus excita curis.

Haud facile a me impetro ut adiectivum *vigilax* probem. Praesto enim sunt *vigil* et eodem sensu *vivax*; possis etiam participio *vigilans* uti; tribus autem illis spreto Ovidium novum adiectivum contra linguae indolem finxisse non est credibile. Suspicio eum scripsisse *vivacibus*, idque cum eius interpretamento *vigilibus* coaluisse et sic *vigilacibus* natum esse.

IV, 179. Ad irretiendam uxorem cum adultero Vulcanus laqueos graciles facit:

non illud opus tenuissima vincant

stamina, non summo quae pendet aranea tigno.

Novi quidem *ignum* pro quavis trabe dici posse, sed, ni fallor, semper ita ut iam e praecedentibus constet quaenam trabs significetur. Sed hoc loco vocabuli *ignum* sensus non satis perspicuus est, cui quum iunctum sit adiectivum *summo*, conicio *lecto*.

VII, 559. In Aeaci de pestilentia narratione legitur:

non stratum non ulla pati velamina possunt:

dura sed in terra ponunt praecordia.

Nihili est *dura praecordia*; minus inepta certe est altera lectio *nuda sed in terra*. Sed nescio an praestet:

dura sed terra p. p.

Longa enim illa spondeorum series egregie loci sententiae respondet. Cf. praeterea IX, 650:

concidis et dura positis tellure capillis.

et X, 184:

dura repercusso subiecit pondere tellus.

Loci autem ubi apud Ovidium simplex ablativus verbo *ponere* additur innumeri sunt.

VIII, 277 sq. Neglecta ab Aetolis Diana

at non impune feremus

inquit. *Impune ferre* idem est quod *impune abire*, neque credo Ovidium a certo constantique huius formulae usu abiisse. Legitur enim in vicinia (v. 494): *ergo impune feret* ea qua dicebam sententia. Nonne ergo pro *feremus* legendum *feretis*?

X, 416. Myrrhae nutrix dominam corpore et animo aegrotare intelligit, sed causam morbi ignorat; illam ex ipsa cognoscere studet et modo blanditur, modo si non conscia fiat, terret, et indicium laquei coepetaeque minatur mortis, et officium commisso spondet amori.

Ad interpretandum *commisso amori* arcana quadam doctrina opus est; illud ergo scripsisse Ovidium nego; sed quoniam in nonnullis codicibus est *at pro et*, in aliis *confesso* pro *commisso*, verum esse suspicor

at officium confessae spondet amorem.

Scripti Lugd. Batav. mense Januario 1890.

DE MORTE AESCHYLI EPIRRHEMA.

Mira fabella quae de Aeschylo fertur ab aquila interfecto supra p. 72 a Joanne van Leeuwen recte explicata est conlato $\Psi\upsilon\chi\alpha\gamma\omega\gamma\omega\tilde{\nu}$ loco non minus miro. Sed fugit virum doctissimum idem fere $\mu\acute{\iota}\gamma\alpha\upsilon$ ante $\epsilon\upsilon\iota\alpha\upsilon\tau\acute{\omicron}\nu$ accuratius me exposuisse multisque probasse Musei Rhenani vol. XXXVII (1882) p. 308 sqq., nisi quod *ludicrum* illud esse *ipsius Aeschyli inventum* (supra p. 73) fortiter negavi. Alia ratione rem aggressus est E. Piccolomini (*sulla morte favolosa di Eschilo, Sofocle, Euripide, Cratino, Eupoli*, p. 6 sqq., Pisa, Nistri 1883, exc. ex annalibus univ. Tosc. XVIII), cuius commentationem non sine fructu legent qui operam dant his quaestiunculis. Sed ipsam fabellae originem ex $\Psi\upsilon\chi\alpha\gamma\omega\gamma\omega\tilde{\nu}$ illo fragmento repetendam videri iterum monui Indicis Philologi vol. XV (1885) p. 633. Nunc vero eo confidentius rectam me viam persecutum esse mihi persuadeo, quod alterum hominem video sua sponte eundem cursum tenentem.

Tubingae.

O. CRUSIUS.

I, 1, 5. transpone καὶ ὁμοῦς ἐδουλόσθη μὲν ἐφικέσθαι —, ἐδουλόσθη δὲ κτέ. || 2, 4. ἡ περὶ τὰ ἀρχεῖα ante me magistellis reddidit Halbertsma. || 2, 5. lege τὰ <προσ>τεταγμένα e verissimo praecepto Cobeti Mnem. III (n. s.) p. 384 sq., ubi correxit VIII 1, 22 et 6, 16. Eadem emendatio factitanda I 5, 5. IV 3, 3. V 3, 50. 5, 38. VII 3, 1. || 3, 15. malim ἱππεύειν κρείττων εἰμὶ τῶν ἡλικίων. || 3, 17. ἐπὶ δὲ τούτῳ ante Hartmanum Weiske. || 4, 1. τοῖς ἡλικιώταις συνεκέκρξτο [ὥστε οἰκείως διακείσθαι]. Dele emblemata, significat enim συγκεκρᾶσθαι τινὶ intima amicitia alicui coniunctum esse. || 4, 14. sequente Aoristo malim ἐπίθετο. || 6, 5. structuram impedit ὡς ante ἄπερ, itaque delendum. || 6, 17. dele manifestum emblemata ἀργὸν τρέφειν et e praegressis mente repete ἀργὸν τρέφεσθαι. || 6, 31. post διδασκάλους abesse malim τῶν παιδίων. || 6, 38. deleverim καὶ ante ἐν τοῖς μουσικοῖς et alterum εὐδοκίμει.

II, 1, 17. coll. § 3 et 8 requiro <οὐκ> δλίγους νομίσεις — ἄγειν; || 2, 9 σὺν ante αὐτῷ τῷ θώρακι mihi suspectum. || 2, 21 ἐμβαλεῖν περὶ τούτου ψῆφον. Re diligentius perpensa, non amplius concedo Hartmano ψῆφον sollicitanti. || 3, 18. pro παιγνίῳ e cod. D, de cuius praestantia videatur Cobet, repono παιδίῳ, quod recte legitur § 20. Ex eodem libro III 1, 30 γενομένης (pro ἀρχομένης) ἀρχῆς recipiendum. || 4, 3. κατὰ χώραν, i. e. loco suo, itaque πρώτην, optime habet, et locum sollicitans caecutiebam. Initio universus exercitus constans xxx milibus militum, incedebat ita dispositus ut frons esset ccc militum; iam vero, viae spatio tantum numerum non capiente, Cyrus singulas chiliades ordine procedere iussit, quo facto fiebat x militum. || 4, 17. nec Hartmani nec mea explicatio vocabulorum καὶ δὴ (ecce pro ἤδη) prorsus videtur satisfacere. Fortasse legendum καὶ θηρώης [καὶ] δὴ δύο ἡμέρας aut κ. θ. ἤδη δ. ἡ.

III, 1, 10. διὰ τί οὔτε τὸν δασμὸν ἀπήγεσ dictum ut Arist. Ach. 634 τὸν φῶρον ὑμῖν ἀπάγοντες, ubi temere Blaydes rescripsit προσάγοντες. || In vicinia legerim ὅπως — μέλλῃ pro μέλλοι. || 1, 16. τί δὲ δουλόσθη ἐν πόλει; Sensu cassum est ἐν

πόλει. Corrigatur ἢ πόλει; Vocula ἢ haplograbbia exciderat et stolidè suppletum est ἐν. Cf. § 18. || 1, 42. bis delendum est οὕτως, pro quo Xenophon saltem scripsisset ἄδε. || 2, 7. ἢ [τὰ] χρήματα ἔχοντα. Delendus articulus. || 2, 22. οὐδετέροις ὑμῶν τὰ ἄκρα παραδώσω, ἀλλ' ἡμεῖς Φυλάξομεν αὐτά. Pro otioso pronomine legendum αὐτοί. || 2, 28. verba otiosa δεῖσθαι τούτων νομιζῶν e margine illata esse credo. || 3, 6. ἂν ante αὐτῷ iam olim inseruit Iacobs. || 3, 45. Φεύγοντας vide num sit genuinum. || 3, 62 sq. alterum τίς ἔψεται; τίς ἀγχθός; mihi suspectum est.

IV, 1, 4. τότε τὴν γνώμην περὶ αὐτῶν ἀποφθενοῦμαι. Dici solet, si recte memini, γνώμην ἀποφαίνεσθαι et ἀποδείκνυσθαι ab Atticis sine articulo. || 1, 7. recte Pantazides κτιδῶν pro καὶ ἰδῶν, coll. III 2, 27. Sed ne sic quidem κοινῆ dubitatione liberum est. || 1, 21. pro ἂ ἂν ubique ἂν restituendum Xenophonti, quod plerumque servatum est. || 2, 21. ὡσπερ δούλων ἀποδιδρασκόντων εὐρημένων. Glossema esse suspicor genuinae lectionis δραπετῶν. || 2, 23. pro καινόντων, quod a pedestri oratione alienum est, corrige κτακαινόντων, quod absolute poni posse probat locus VII 1, 13. || 3, 1. verba inutilia ταύτας εἰληφότες προσῆγον in marginem relegaverim. || 3, 18 οὐκουν τοῦτό γε κρεῖττον [ἢ συμπεφυκίαι]; Deleto glossemate, intellege: *ponne haec quidem melior conditio est?* || 4, 6. suppleverim τοὺς δὲ <ῥπλα> παραδιδόντας αἰχμηλώτους ἠγάγετε, coll. § 1 et V 1, 28. || 5, 4. ταῦτα ante ἔλεγεν recte cum cod. G deletum est in ed. Didotiana. Cf. § 40. || 5, 10. legerim ὑμᾶς <γ>. || 5, 12. τῷ Κύρῳ ὠργίζετο τῷ μηδ' εἰπεῖν αὐτῷ ταῦτα. Dura structura cum duplici dativo. Num excidit ἐπί? || 5, 19. φοβούμενοι δὲ πῶς χρῆ — ὑπακοῦσαι. Minus solitam structuram provocasse videtur usitatissima ἀποροῦντες πῶς χρῆ. || 5, 47. αὐτοὺς δότε vix genuinum. || 5, 51. ἐκλέξασθε (pro quo Xenophon scripsisset saltem, praegresso ἐξαιρεῖτε, ἐκλέγεσθε) delendum est. Cf. V 3, 2. || 6, 3. deleto ἰππεύς ante ἠγούμενος, intellege potius θηρευτής. || 6, 14. Ad iuncta perfectum et aoristum, in quo haesit Hartman, cf. V, 4, 14. 5, 9. al.

V, 1, 2. Mirum ni Medus Medica veste indutus fuisset, quare dele τὴν Μηδικήν. Deinde lege [τοῦ] Ἀβραδάτα τοῦ Σουσίου, nam homo hic primus occurrit. || 2, 17. Fortasse recte Hartman οὔτε ἀρπάγη delevit inserto ὥστε ante μή. Nusquam enim alibi

ἀρπαγή significat voracitatem, quo sensu adhibuisse videtur qui addidit. || 2, 30 *διέσπαρται* pro *ἔσπαρται* vult Cobet, at saepius simplex pro composito occurrit in Hellenicis, ne citem notum Euripidis versum: *Λίγυπτος, ὡς δὲ πλείστος ἔσπαρται λόγος.*

|| 5, 23. τὸ στρατόπεδον ἤλωκε τῶν πολεμίων. Ita Schneider pro ἤλωκῶταν. Cum tamen in optimo D sit ἤλω τὸ τῶν, nec recte absit articulus, legerim *ἔάλωκε τὸ τῶν.* || 5, 39. pro *ἄρτοποιόν* Dindorf *ἄρτοκόπον*. Lenius est et melius *ἄρτοπόπον*. Ceterum *ἄρτον ποιεῖν* recte dicitur. || 5, 43 in addito *παρῶν* recte haesit Cobet. Coll. VI 1, 6, verum esse suspicor *πρῶτον*.

VI, 1, 9. *ὃ ποτε Φήσας εἶναι Κύρου συγγένης*. Verba V 1, 24 et IV 1, 23 non adiecto nomine necessaria hic et VII 5, 48 mihi suspecta sunt. Nec nomini addita reperies VI 1, 34. VII 5, 48. VIII 3, 25. 4, 1. 12. 24. Si genuina sunt, utrobique abundat nomen. || 3, 9. deleverim *ἄρματείου*.

VII, 1, 2. τὰ δ' αὐτὰ — ἀνδρὶ vix sana. || 1, 4. pro *παρορᾶν*, cui praepositio adhaesit e *παρηγγύησε*, conicio *δρᾶν*. || 1, 9. pro *ἐπείγασθε* Bornemann apte coniecit *ἐπηχεῖτε*, sed quos locos contulit § 25 et III 3, 58 suadent *συνεπηχεῖτε*. || 2, 10. ad *ἐπέπερ* — *γε* Hartmani gratia confero VIII 1, 5. || 2, 13. iniuria idem *ὄμως* pro *ὄμοιως*. || σοι ante *πλήρης* abesse malim cum AG. || 2, 14. dele *ᾧσπερ ἔλεξεν ὁ Κύρος*. || 2, 22. *εἰς πᾶν κινδύνου* iam Dindorfium video proposuisse. || 4, 1. imo *πεισομένων*. || 5, 58. *πρῶτον μὲν* sequente *ἔπειτα* sine *δέ*, aliis scriptoribus frequentissimum, in Cyropaedia ita rarum est, ut *δέ* ante *Δι* periisse credam. || 5, 30. πολλοὶ dele cum D. || 5, 52. alterum articulum certatim deleri video. || 5, 82. dele *γε* post *οὔτω* cum D et Stobaeo.

VIII, 1, 4. *ἀξιώσετε*, i. e. *ἀξιούν ὑμᾶς εἰκόσ*, non erat sollicitandum. || 2, 1. *τοῦ χρόνου* abesse malim. || 2, 3. Hartman *βουλόμενο*N. Dubito. || 2, 17. καὶ ante *γράφας* deleverim. || 2, 19. *λέγεται* male repetitum. || 3, 17. *ᾧσχύτως τετραγμένοι* gratiore ordine D. || 3, 25. ad *ἄρα* cf. Sauppil ann. crit. XLII. || 3, 30. an *ἀκούσας <δ'>*? || 4, 17. additum *δέ* in hac formula mihi suspectum. || 5, 5. *ᾧσχύτως [οὔτως]*? In Cyropaedia saltem, ubi *ᾧσχύτως* perfrequens est, vox addi non solet. || 6, 2. malim *δέ <ἤδη>*. || 6, 12. *παρτίθεσθε* pro *παραθήσθε*, posito inter duos imperativos, foret concinnius. || 7, 17. *ὡς οὐδὲν ἔτι ἐγὼ ἴσομαι* praefero cum cod. D.

Pag. 108, 10. l. „adscript” pro „adscripterit”.

DE ILIADIS ET ODYSSEAE CODICE VINDOBONENSI N° 5.

In docta et acuta disputatione „*de Iliadis codicibus*” criticus Britannus GUALTERUS LEAF nuper ostendit¹, parum recte codices Homericos, qui hodie supersunt, praesertim ex aetate qua scripti sunt diudicari solere; inter recentiores enim esse qui tot praebent lectiones egregias, ut praestantissimis potius manuscriptis quam „deterioribus” qui dicuntur accensendi videantur et digni quos maiore cura quam hactenus factum est perscrutentur philologi. Id quod de codice Vindobonensi saeculi XIV, quem La Roche littera L designavit et in libro de textus Homericus historia pag. 476 descripsit, in primis valere ostendit; certe in libris Iliadis H—Ω hunc codicem, cui inde a vs. P 90 usque ad Iliadis finem est comes Lipsiensis n° 1275, multas praebere lectiones minime contemnendas, quae in ceterorum codicum textu non reperiantur. Quid quod suspicatur vir doctus librum L non ex communi fonte cum reliquis nostris Iliadis exemplaribus quae hactenus innotuerunt fluxisse, sed derivatum esse ab uno aliquo ex „melioribus” illis libris quos Aristarchus in textu Homericis recensendo adhibuit. Non mirandum est igitur quod in commentationis fine scripsit, si quis summa cura hunc codicem denuo excutere velit, eum opus haud inutile peracturum.

Et de hac ultima certe re non possum quin assentiar viro sagaci et industrio. Sed addo, non quo ei adverser — de sola enim Iliade locutus est — sed ne quis ingratum laborem sine utilitate suscipiat, id quod ille observavit non valere de *Odysseae* textu, quem idem codex Vindobonensis exhibet. Nam haec libri pars, licet et ipsa satis multas habeat lectiones notabiles, vix tamen ullius est pretii, et oleum profecto operamque perderet qui in ea denuo desudaret: satis superque eam novimus ex collatione Laroehiana et tribus verbis de ea defungi licet:

1) *The manuscripts of the Iliad*, in *Journal of Philology* vol. XVIII p. 181 sqq.; exemplar recens a prelo mihi perhumane misit.

DESCRIPTA EST EX LIBRO PALATINO ANNI 1201¹⁾, quem nunc demum accurate novimus ex nova Odysseae recensione²⁾ a Ludwichio edita, qui, ut aliorum codicum, sic Palatini quoque textum primus excussit³⁾. Artissime vero, ut dudum demonstravit La Roche in Prolegomenis ad Odysseam (pag. XIV sq.), cum Vindobonensi 5 cohaeret alter codex Vindobonensis n^o 56 (a La Rochio littera D designatus, nunc a Ludwichio littera Y), quem Palatini sive fratrem minorem sive patrualem simul cum codice L iam licet abicere; nam qui habet Palatinum optimae notae codicem multisque lectionibus egregiis insignem, is Vindobonensibus 5 et 56 in Odysseae textu constituendo tute carebit. Quapropter omnino laudandum est Ludwichii consilium, codicem Vind. 5 prorsus negligentis et codicem Vind. 56 nonnisi raro commemorantis.

De Palatini vero archetypo id quidem certum esse mihi videtur, minusculis litteris fuisse conscriptum. Hinc enim nata est lectio absurda *ἀάπεδον δ' ἄπαν ἀμδιβέβηκεν* pro *ἀμφιμέμυκεν* κ 227, quae in solis Palatino et Vindob. 5 et 56 occurrit; nec non inde, ni fallor, originem habet error ε 308: *καὶ δὴ ἐγὼ γ' ἔφελον θινέειν* pro *ὡς δὴ*⁴⁾, qui libro Palatino (eiusque satellitibus Vindob. 5 et 56) communis est cum codicibus Florentinis saeculi X (litt. F et G), quos nunc primus Ludwichius in sua recensione adhibuit⁵⁾.

Breviter nunc haec indicavi, postea fusius quae huc pertinent tractaturus.

J. VAN LEEUWEN J. F.

1) Demonstrari id hodie facillime potest: alim suspicatus fuerat La Roche, cui plena collatio textus Palatini non erat ad manum: „cum codice L consentire videtur Palatinus, in quo post δ 62 idem versus legitur qui in DL, et cum L versus ζ 224 — 316 sunt amissi“. — Cum filia „consentire“ patrem vel potius cum patre filiam nunc palam est.

2) Haecenus nonnisi pars prior prodit.

3) Scholia inde Buttmanus pridem edidit et lectiones subinde enotavit.

4) Notam quae ὡς indicatur, ei quae καὶ significat simillimam, habes e.g. in hexametri introitu in La Rochii tabula IX (ε 11).

5) Minusculis litteris exaratum fuisse archetypum libri F etiam ex δ 249 apparet, ubi pro *ἀβάκκωσαν* praebet *ἀκάκωσαν*; in Parisino 2403 (D Ludwich) *ἀκάκωσαν* extat, quod eiusdem est farinae.

DE MODIS AUSPICANDI ROMANORUM.

SCRIPSIT

I. M. J. VALETON.

II. (*Continuatur ex Vol. XVII pag. 452*).

§ 4. DE AUSPICIS MAGISTRATUUM.

Permulta quae ad auspicia magistratuum pertinent, veluti ius auspiciandi tribunorum plebis, et divisionem auspiorum, et totum genus obnuntiationis, quae plus in iure publico quam in sacris valuerunt neque possunt exponi nisi quaestione de iure magistratuum instituta, ex hac quaestione relegare et ad aliud tempus aliumque locum differre cogor. Hoc loco satis habeo percensere et describere genera auspiorum impetritorum quibus magistratus Romanos usos esse accepimus.

I. Ad auspicia impetrata referre nolim auspiciam quod dicebatur „iuge” et auspicia „pedestria” varia; haec omnia oblativa fuisse mihi videntur; satis est indicavisse paucos locos auctorum, ex quibus de eis aliquid cognosci potest¹⁾.

II. Auspicia impetrata quae omnium fortasse frequentissima fuerunt Romanis, sunt signa ex extis quaesita; sed de his nihil habeo quod addam ad ea quae supra exposui²⁾.

1) Cic. div. 2. 36. 77; nat. deor. 2. 3. 9; Fest. p. 244; efr. Plin. 8. 83, App. b. c. 1. 24; praeterea auspicia „pedestria” saepe memorantur, sed apparet ea plerumque accepta esse tamquam prodigia, quae expianda essent. — 2) Vid. Mnemos. XVII p. 430 n. 2 et p. 447 n. 7. — Locis ibi laudatis adde Cic. div. 1. 43. 95: „nostri, qui nihil in bello sine extis agunt”, et Maerob. Sat. 3. 9. 9.

III. Auspicia ex acuminibus belli observabantur a magistratibus Romanis ante proelii initium; ex paucis auctorum locis tantum nobis cognita sunt ¹⁾; M. Marcellus cos. a. 222 primus hoc genus auspicandi omisit ²⁾.

IV. De auspiciis peremnis breviter agendum mihi est. Cicero ea tangit in libris de divinatione ³⁾. „(Magistratus) ait (*bellicam rem administrantes*), *amnes transeunt auspicato*”. De eisdem Festus tradit p. 245: „*peremne dicitur auspicari, qui amnem aut aquam, quae ex sacro (?) oritur, auspicato transit*”. Exemplum huius generis auspiciorum affert idem p. 250: „*Petronia amnis est in Tiberim perfluens, quem magistratus auspicato transeunt, cum in Campo quid agere volunt; quod genus auspicii peremne vocatur*”. Hic locus vero iamdudum a viris doctis relatus est ad locos illos, quibus Cicero narrat, Ti. Gracchum, consulem anni 163, vitium admisisse in auspicia, quod, cum extra pomerium absolvisset observationem auspiciorum, *cum pomerium postea intrasset habendi senatus causa, in redeundo, cum idem pomerium transiret, auspicari esset oblitus* ⁴⁾. Recte illi suspicari esse videntur, causam cur Graccho consuli pomerium transgredienti esset auspicandum, non fuisse in ipso pomerio, sed in parvo fluvio illo, amne Petronia, quem a Campo in urbem et ex urbe in Campum commeanse traicere deberet. Haec auspicia „peremuia” facile a Cicerone ad pomerium ipsum referri poterunt, recte quidem, sed non accuratissime; cum praesertim ab ea parte qua flueret ille amnis, sub colle Capitolino, pomerium saepissime transeundum esset magistratibus, cum eis qui in Campo aliquid auspicato acturi essent, tum plerisque etiam qui paludati exirent, ut videtur, et hi omnes ibi auspicia observare deberent propter amnem Petroniam. Quodsi in priore loco Festi pro verbis obscuris „qui ex sacro oritur” (pro quibus Mommsen coniecit „ex agro”) legere liceat „ex arce”, is locus Festi quoque ad haec auspicia sola referri possit. — Sed est tertius locus Festi (p. 157): „*manalis fons appellatur ab auguribus puteus*

1) Cic. div. 2. 36. 77; deor. nat. 2. 3. 9; Arnob. 2. 67, p. 91; cfr. Mommsen Staat. 1^a p. 87 n. 6. — 2) Cic. div. II. — 3) Cic. div. 2. 86. 77. — 4) Cic. deor. nat. 2. 4. 11 — Cfr. div. 1. 17. 33: „*quod iauspicato pomerium transgressus esset*”; div. 2. 35. 75: „*quid enim scire Etrusci haruspices — de pomerii iure poterunt*”. Cfr. etiam Cic. Qu. fr. 2. 2. 1; Plut. Marcell. 5; Val. Max. 1. 1. 3.

perennis, neque tamen spiciendus videtur, quia flumen id spiciatur, quod sua sponte in annem influat". Ex hoc loco suspicaris, quod per se probabile est, non solum ad magistratus, sed ad omnes cives pertinuisse auspicia perennia, cum privatim tum publice. — Praeterea quaestio in promptu est, utrum semper cum flumen perenne transiretur, haec auspicia observanda fuerint civibus Romanis, an tum solum, cum in certa quadam condicione versarentur. Ad eam quaestionem satis, ut credo, respondet Servius his verbis ¹⁾: *„apud augures, ait, fuerat consuetudo, ut, si post acceptum augurium ad aquam venissent, inclinati aquam haurirent; erinde et manibus et fuis precibus vota promitterent, ut visum perseveraret augurium, quod aquae intercessum dirumpitur”* ²⁾. In hac sententia imprimis attendenda sunt verba: *post acceptum augurium*, et: *ut visum perseveraret augurium*. Apparet, si augur aut magistratus aut civis — nam de omnibus qui auspicati erant hoc valuisse credibile est — *post* auspicia de actione futura captata, *ante* actionem ipsam peractam, aquam perennem transiret, effectum auspicioꝝ dissolvi et amitti credidisse Romanos, nisi in transeundo fluvio caerimoniam quamdam perageret, qua ommissa, si ad illam actionem nihilominus accederet, eam inauspicato esset peracturus; atqui ea caerimonia nihil aliud fuisse videtur quam ipsa illa auspicia quae perennia vocantur. Quodsi verum est, sequitur ut concludamus, auspicia perennia non omnibus qui flumen transirent fuisse observanda, sed eis solis civibus et magistratibus et sacerdotibus, quibus inter auspicia observata et actionem futuram fluvius esset transeundus. Hoc autem optime cadit in eos, a quibus auspicia perennia observata esse novimus. Primum in magistratus bellum gerentes, quos Cicero memorat in loco primo supra adscripto. His enim auspicia prospera quae in urbe

1) Ad Aen. 9. 24. — 2) Quae praeterea addit Servius: *unde etiam in libro XII visum augurium non procedit, nec sortitur exitum firmum, quia cygnus, dimissus ab aquila, in fluvium cecidit*", quae repugnant superioribus quia ibi non de ave trans fluvium volante, vel in fluvium cadente, sed de auspice flumen traiciente sermo fuit, nihili faciendū sunt, quia debentur studio Servii saepe exaggerato, omnes auspicioꝝ species quae in Vergilii carminibus describuntur, ad certas leges doctrinae anguralis referendi, aut ex eiusmodi legibus explicandi. In explicando eodem illo auspicio cygni de quo nostro loco harrilat, quod narratur Aen. 13. 254—256, etiam alio loco (vid. Mnemos XVII p. 424 sub 12°) frustra desudavit Servius.

exituri captaverant, quae secum tulerant in bellum ¹⁾, ut peregre perseverarent et valida manerent providendum erat, ne vitiatas auspiciis cogerentur aut Romam redire ad repetenda auspicia ²⁾, aut iam inauspicato bellum gerere; his igitur cum flumina transirent semper observanda erant peremnia. Deinde id cadit in Ti. Gracchum; Cicero enim luculenter narrat, eum, cum auspicia extra pomerium cepisset, *postea* in urbem reversum ad senatum habendum, in redeundo (ad comitia habenda) auspicari esse oblitum ad pomerium; huic quoque igitur curandum fuerat ut perseverarent auspicia visa; quod cum omisisset, inauspicato habuit comitia. Eodem modo augures, si ex. gr. de actione aliqua in Campo Martio peragenda, veluti de loco ibi inaugurando, in arce auspicia ceperant, ad pomerium amnem Petroniam transientes peremnia observare debebant, ut auspicia accepta perseverarent. — De ritu autem huius caerimoniae aliquid cognoscimus ex locis allatis Festi (p. 157) et Servii (Aen. 9. 24); hoc auspicium proprie fluminispicium erat, cum flumen spiceretur; e flumine guttas aliquot manu hauriebat qui auspicabatur, et certas precationum formulas pronuntiabat; sed quale proprie fuerit id quod observari ab eo deberet, ignoramus.

V. Etiam de auspicio pullario aliquid animadvertendum videtur. Hoc genus auspicii in primis hanc ob causam memorabile est, quia ex certis indicis etiam nunc persequi possumus quomodo ortum sit, et quia demonstrari potest quomodo ex communi auspiciorum *oblativorum* genere derivatum sit hoc auspicium singulare quod *impetratum* simul factum est. Huius auspicii origo, quod aliquando Romae nullum fuisse tradit Cicero ³⁾, quod vero iam multis saeculis ante Ciceronis aetatem publice acceptum esse constat, huiusmodi est. Antiquissima disciplina auguralis ferebat, bona omina quae sumerentur ab animalibus

1) Liv. 22. 1 7. — 2) Serv. Aen. 2. 178; Liv. 8. 30. 1; 22. 18. 8. — 3) Cic. div. 2. 35. 73: „quo (auspicio) antiquissimos augures non esse nos, argumento est quod decretum collegii vetus habemus, omnem avem tripudium facere posse". Ibid.: „hoc modo Romulum auspicari solitum putas". — Ibid. 1. 15. 28: „Quod autem scriptum habetis, avi tripudium fieri, si ex ea quid in solidum ceciderit, hoc (auspicio) quoque, quod dixi coactum, tripudium solistimum dicitis". — Ad haec refutanda non satis valet Silius, qui (Poesic. 5, 59) hoc auspicium dicit „priscum popalis de more Latinis auspicium cum bella parant"; is errore permutavisse videtur auspicia „ex avibus" cum auspiciis „ex pullis".

fortuito conspectis, multo efficaciora fieri, quin etiam signa ex animalibus per se dubia bona fieri, si *pascentia* conspicerentur. Hoc ad omnia animalia pertinuisse videtur; sic lupum ad dextram visum si avide terra vesceretur, bonum signum fuisse iam supra e Plinio attulimus ¹⁾; columbas apud Vergilium *pascentes* Aeneae viam monstrasse dici notum est ²⁾, et ad eum locum Servius adnotat „*hinc optimum significatur augurium, quod pascebant*”. — Erat praeterea aliud auspicium antiquissimum ab illo diversum, etiam oblativum, tripudium solistimum aut sonivium dictum; id praebere poterant variae res, si conspicerentur sponte sine ulla vi humana in terram decedentes, veluti saxum solidum, aut arbor virens, aut aliquid quod avis in ore gestabat ³⁾; hac ratione enim *avem* quoque tripudium facere posse, consulto statuerant augures, quod tamen minime excludit etiam tripudium sumi potuisse ex aliis animalibus aliquid in solum emittentibus ⁴⁾. Sonivium esse dicebatur tripudium, si quod decideret terram cum sonitu pulsaret ⁵⁾. Vocabulum tripudium ita interpretantur veteres, quasi hoc sit terraepudium et antea fuerit terraepavium, scil. quod terram pulset vel feriat ⁶⁾. — Manifestum est utrumque auspicium, cum illud quod sumeretur ex passione animalis, tum alterum quod praeberetur re aliqua in terram decedente, si *coniunctum* appareret, fuisse longe optimum; hanc coniunctionem autem tum cerni potuisse patet, si avis aut quadrupes tam avide pasceus conspiceretur, ut simul aliquid de pastu ex ore in solum demitteret; nam omnia animalia hoc auspicium praebere potuisse videntur ⁷⁾, sed patet in avibus hoc facillime potuisse observari propter rationem singularum pasceendi qua aves utuntur. Hoc auspicium duplex praecipue dicebatur „tripudium sinisterum solistimum” ⁸⁾. Tanti

1) Plin. 8. 83. — 2) Verg. Aen. 6. 193. — 3) Fest. p. 298; Serv. Aen. 3. 91; efr. Suet. Vespas. 5. — 4) Cic. div. 1. 15. 28: „scriptum habetis (augures), avi tripudium fieri, si ex ea quid in solidum ceciderit”. — 5) Fest. p. 290; p. 297; Plin. 15. 86 ait non verisimile esse, naves in auspitiis religiosas haberi haec ob causam „quod cadendo tripudium sonivium faciant”. — 6) Fest. p. 244: „— tripudium — id est terraepavium; pavire eum ferire est”. Cic. div. 2. 34. 72: „terraepavium primo, post terraepudium dictum est; hoc quidem iam tripudium dicitur”. — 7) Fest. p. 297: „(Sonivium) tripudium, ut ait Appianus) Pulcher, quod (sonet, cum pullo excedit pulsa, quadrupede) . . .”. — 8) In hac formula vocabulum „sinistram” usurpatum est sensu maxime proprio et antiquo, quo significat: „laetum, prosperum, sinens”.

aestimabatur hoc auspicium, quod natura sua et genere *oblativum* erat, ut de eo antiquitus aliquid constitutum haberent augures consulti; in decretis vetustis collegii hoc erat: „omnem avem tripudium facere posse”, scil. si pascens et cibum ex ore emittens fortuito conspiceretur. Insignem locum hoc signum tenuisse videtur inter auspicia quae ruri observari poterant; belli inprimis, si duci Romano copias in aciem deducturo aut ipsi hoc signum apparebat, aut in tabernaculo exta inspicienti milites aliqui „tripudium solistimum” se observavisse nuntiabant, magni id fiebat tamquam boni exitus pugnae instantis certissimum praesagium. Quod quo pluris fiebat, et quo molestius videbatur sine tali omine magnum proelium inire, eo magis in promptu erat aliquid excogitare quo *impetrari* posset hoc signum, et facile credas imperatorem aliquem, indicio victoriae futurae milites excitare cupientem, iussisse cibo sparso ad pastum allici aves. Mox ea res, quam imitabantur alii, accepit certas et sollemnes formas; pulli ad eam rem in cavea servari coepti sunt; homines eligebantur qui eam rem administrarent; eo die quo proelium ineundum erat, cum in tabernaculo sederet imperator auspiciis operam dans, cum milites vocati ad pugnam se pararent et qui testamenta in procinctu facere volebant ab imperatore admoniti ea mora uterentur, tum silentio facto administri illi iubebantur pullis e cavea emissis offas pultis proicere, et qui primus viderat tripudium solistimum, is ad sellam ducis accedens nuntiabat auspicium optatum¹⁾. — Hanc rationem auspicandi non esse perantiquam, sed a ducibus Romanis utilitatis causa inventam, satis probant loci Ciceronis quos supra attuli (pag. 211 n. 3); sed etiam in ipsa caerimonia vestigium inesse videtur, quod remansit ex eo tempore cum etiam oblativum esset hoc auspicium; dux enim, cum omnes qui adessent nuntiare iuberet si quid vidissent („*qui adestis,*

ratione novum habita regionis caeli Orientalis, ad quam postea relatum est. Vid. Maemos XVII p. 287 sq. — Eodem modo usurpatur Cie. fam. 6. 6 7: „non augur — e cantu sinistro uscinis”; et div. 1. 16. 29: „itaque, sinistra dum non exquirimus, in dira et vitiosa incurrimus”; et div. 2. 36. 76: „alia illis sinistra sunt, alia nostris”. — 1) Schul. Veron. Aen. 10. 241. Cfr. Mummien Staat. 1^a p. 84 n. 5. — Hoc auspicium *coram exercitu* haberi oportuisse, ostendit cum locus Schol., tum Cicero qui id dicit „auspicium enim viri vocatur” (deor. nat. 2. 3. 9: „auspicia cum viri vocatur nulla servantur, ex qua in procinctu testamenta perierunt”).

sicuti tripudium sinisterum solistimum quisquis vestrum viderit . . .)" — aderat autem *lotus exercitus* — speciem servabat quasi etiam oblativum esset auspicium. — Verum licet observare, hoc auspicium paullatim magis etiam adulteratum et usu deterius factum esse. Postea enim, cum tempore Ciceronis tum fortasse iam antea ¹⁾, non *omnes milites* interrogabantur, sed pullarius solus ita interrogabatur: „dicito si silentium esse videbitur — dicito si pascuntur". Revera hoc auspicium cogebatur, et deis quasi extorquebatur; tamen illud nomen, quod antea proprium fuerat auspicio illi oblativo optatissimo, „tripudium solistimum aut sonivium" ²⁾, in banc rem transferebatur, et eadem vis salutaris quae in illo antea, in hac quoque inesse aut putabatur aut simulabatur ³⁾. Quod recte factum esse Cicero negat. Is dicit, hoc esse simulacrum auspicii, neque esse auspicium, quod primum in antiqua disciplina augurali ignotum esset, deinde arte quadam deis extorqueretur ⁴⁾. Concedendum est, si eo modo semper adhibitum sit quem describant Cicero („nunc vero inclusa in cavea et fame enecta si in offam pultis invadit et si aliquid ex eius ore cecidit, hoc tu auspicium — putas") et Plutarchus (cavea enim concutiebatur, ut celerius exirent pulli ⁵⁾, nihil divini hoc signum habere. Denique etiam extenuabatur auspicium, et redibatur ad id quod semper quidem prosperum signum habitum erat, sed tamen ad „tripudium solistimum" efficiendum antea non suffecerat; religioni enim satisfactum esse ducebatur, si pulli comedissent, etiamsi nihil ex ore decidisset. Ubi cumque in narrationibus rerum gestarum hoc auspicium memoratur, apparet nihil aliud esse observatum praeter hoc, num *pascerentur pulli* ⁶⁾; hoc quoque *tripudium* dicebatur ⁷⁾;

1) Div. 2. 34. 72. — Sed Livius (10 40. 2 sq) id iam rettulit ad a. 293. — 2) Cic. fam. 6. 6. 7: „nec ex tripudiis sullistimis aut sonivis tibi augurur"; Plin. 10. 49. — 3) Cic. div. 1. 15. 28: „hoc quoque, quod dixi coactum, tripudium solistimum dicitis" (Vocabulum *quoque* indicat, illud nomen proprie pertinere ad auspicium oblativum illud antiquissimum). — Ibid. 2. 34. 72: „cum igitur offa cecidit ex ore pulli, tum auspicianti tripudium solistimum nuntiatur". — 4) Cic. div. 2. 35. 73: „tum igitur *enect* auspicium, si modo ei esset liberum se ostendisse (i. e. si oblativum mansisset); tum avis illa videri posset interpres et satelles Iovis". — 5) Plut. Tib. Gr. 17. — 6) Liv. 6. 41. 8 (a. 368); 10. 40. 4 (a. 293); Liv. epit. 19 et Suet. Tib. 2 (a. 249); Fest. p. 244; id. p. 1 „aves pastae"; Cic. ust. deor. 2. 3. 7; id. div. 1. 35. 77 et 2. 34. 72; Sil. Ital. Pun. 5. 62 et 90. — 7) Cic. div. 1. 35. 77.

auctores ei soli, qui de *doctrinae* ratione agunt, declarant postulandum fuisse ut etiam aliquid ex ore excideret avibus ¹⁾. — Sed tamen constat, quod ab imperatore aliquo temere aliquando inventum esset, id deinde iam antiquo tempore in urbe ab augurum collegio esse probatum et publice acceptum. Hoc non solum inde apparet, quod iam multis saeculis ante Ciceronem auspicia pullaria tamquam auspicia bellica sollemnia in usu fuisse memoriae traditum est — eo factum esse videtur, ut auspiciam militare ex acuminibus circa a. 222 totum omitteretur, supr. p. 209 n. 2 — et omnibus quibus auspiciam imperiumque esset publice adhibenda fuerunt; verum inprimis hoc apparet ex nomine et officio *pullariorum*, qui fuerunt mercennarii publice lecti, quorum opera uti nemini liceret, cui non imperium militare dedisset lex ²⁾. Atqui mercennarius qui auspiciis praesto erat iam a. 325 a. C. nomine pullarius apud Livium in castris Romanis comparat ³⁾.

VI. Denique supersunt auspicia impetrata ex avibus et de caelo a magistratibus Romanis in templo aërio capta. Primum agemus de origine huius modi auspiciandi.

A. Rationem templi aërii, cum non fuerit Graecis et Romanis communis, in Italia inventam esse et ne ibi quidem semper in usu fuisse, verisimile est. Nam ex duabus rationibus auspiciandi ex avibus, quas supra distinximus, alteram liberiolem, quae templo aërio non uteretur (quam *Graccam* nunc dicimus etsi Romanis etiam ignota non fuit), fuisse antiquiorem, multa indicia sunt. — Primum, qui Graeca ratione sola utitur, vide quanto proprius is etiam absit ab illa praeorum hominum simplicitate, in qua fuit ipsa origo auspiciorum, qua ultro ad sua negotia referebat religiosissimus quisque omnes vicissitudines rerum naturalium, quas non fortuitas sed divino numine excitatae esse credebatur et cum suis negotiis tamquam certa futuri indicia cohaerere, quia sentiebat se ipsum illius naturae partem

1) Fest. p. 244: Cic. div. 2 34. 72: „aves pascuntur necne, quid refert? Nihil ad auspicia; sed quia, cum pascuntur, necesse est aliquid ex ore cadere et terram pavire — tripudium dicitur“. Fest. p. 297. — 2) Cic. leg. agr. 2 13. 32. „dixerit enim fortasse quispiam „quid me ista laedunt, scriba, lictor, praeco, pullarius?“ Omnia sunt haec huiusmodi, Quirites, ut ea qui habeat sine vestris suffragiis, aut rex non ferendus aut privatus furiosus esse videatur“. — 3) Liv. 8. 30. 2.

esse et utraque ab eisdem deis regi. Qui vero utitur ratione Italica, longe ab ea simplicitate deflexit. Nihil in hac ratione naturale; vix ullum ibi remansit vestigium communionis illius rerum humanarum et naturalium. Pangitur cum deis; aves et fulmina in condiciones adhibentur; sed ratio non impediret, quominus aliae res fortuitae in pactionem reciperentur, veluti casus cuborum, quibus voluntatem suam haud minus declarare possent dei rogati; signa naturalia, quae adhibentur, non necessario huc pertinere, sed ex altera ratione auspicandi servata huc translata esse patet. — Deinde apparet, Graecam rationem adhiberi vix posse nisi ab eo in quo singulares quaedam ingenii facultates adsint. Non solum opus est aliqua doctrina et peritia rerum multarum, quarum in auspicando ratio habenda est, sed multo magis etiam ingenio mobili et variarum imaginationum capaci, sensu poetico, ardore quodam vaticino. Is qui ingenium his rebus aptum ad auspicia attulerit, solus eo perveniet ut certum responsum a deis tulisse sibi videatur, ipse ignorans quantopere pependit e suis imaginationibus et e praesagiis futurae calamitatis aut bonae fortunae quae ipse animo suo antea conceperat. Atqui eam imaginandi et imaginibus confidendi facultatem non a quolibet pro arbitrio assumi potuisse apertum est; non temere antiqui crediderunt, divinandi artem esse a deis aliis datam aliis abnutam¹⁾. — Hac facultate praeditus Tiresias apud Sophoclem, quamvis caecus, ex sonis diris avium et ex eis quae ab administro nuntiata acceperat, tanta cum fide vaticinatus est ac si ingentibus litteris in caelo scriptam legisset iram deorum; hac facultate praediti Melampus et Amphiarus apud Statium cognoscunt cladem futuram, cum in caelo totum bellum oculis persecuti esse sibi videantur specie aquilarum cygnos adorientium; ea usi sunt qui praeterea apud Graecos inclaruerunt peritia divinandi, quos „augures” (i. e. artis auguralis peritos) dicere solet Cicero²⁾; eadem vero facultate apud Vergilium

1) Cfr. Val. Flacc. Argon. 1. 231 sqq. — 2) Augures dicuntur a Cicerone primum qui apud Graecos μάντις, ut Calchas, Melampus, Pythagoras alii, Cic. div. 1. 40. 87 sq; 1. 3. 5; leg. 2. 13. 33; nat. deor. 2. 3. 7; cfr. div. 1. 34. 74 et 1. 43. 96; deinde omnes qui artis ex avibus divinandi periti sunt, div. 1. 6. 12; 1. 33. 72; 2. 5. 13; 2. 11. 26; 2. 39. 82; 2. 53. 109, cfr. inpr. 2. 34. 72 „hoc intellegere perfecti auguria est”; denique ei qui fuerunt collegii augurum, addito nonnunquam voc. „Romani”,

Aeneas futurum praesentit ex avibus. Cum his autem comparatum, quam inane est quod faciunt augur et magistratus Romani in tabernaculo sedentes! Quam exilis eorum caerimonia! „Peregit verbis auspicia quae mitti vellet, quibus missis declaratus rex Numa”. Hic Tiresiae divino ingenio nequaquam opus est. Atqui quod inter utramque rationem interest, maxime convenit ei quod interest inter ingenia Graecorum et Italicorum. Ingenium Italicorum est siccum, ad res gerendas pronum; ad pericula etiam quae sola superstitione ficta sint certis cautionibus et praesidiis arcenda erectum; alienum est in rebus gerendis ab omni exuberantia poetica quae novum quaerit quod novitas placeat, ab omni licentia experiendi et temptandi quidquid specie animum allicit; sequitur quod simplex, uniforme, bene definitum est. Permultum auspiciis utebantur homines cauti et providentes¹⁾, cum ea sola praesidii aliquid praebent contra illa numina divina, fortunam adversam excitantia, quae ceteroquin nulla sollertia humana coerceri possent. Sed eo magis opus eis erat certis deorum responsis, quae accurate indicarent quid faciendum esset, quid omittendum; cum molestum esset quidquid dubitationi vel interpretandi varietati locum relinquebat, parvi faciebant quidquid nitebatur imaginandi facultate singulorum; cumque revera vulgo facultatem imaginandi idoneam non haberent quae quod certum videretur sibi suppeditaret, ancipites haerebant in interpretandis signis oblativis. Inde derivanda est inventio templi aërii; nam cum constaret optima signa esse Orientalia, cum vero signa in reliquis regionibus ostenta neglegi non possent si observarentur, quid magis in promptu erat quam ut primum illuc se verterent, deinde ita imminerent scaenam quam observarent, immoti sedentes, tabernaculo posito et a tribus partibus clauso, ut in illis regionibus omnino nihil observare possent? Indidem repetenda est inventio legum dictionis, quae nihil dubii remanere patitur in interpretatione signorum, cui accedebant descriptio templi aërii

„publici”, „nostri”, div. 1. 41. 90; hi saepe dicuntur „boni, summi, optimi”, div. 1. 16. 29; 1. 18. 36; 2. 36. 77; leg. 2. 13. 32. — 1) Liv. 1. 36. 6; Cic. div. 1. 2. 3; 1. 16. 28; 1. 43. 95; Serv. Aen. 1. 346; 4. 341; Val. Max. 2. 1. 1. — Cic. div. 1. 41. 92: „in Umbria aviam significationibus plurimum obtemperat”. — Superstitiosi inprimis fuisse videntur augures Marsi, Cic. div. 1. 53. 13; 2. 33. 70.

et illa formularum multitudo, quibus cavebatur ne incerti vel controversi quidquam inter deos et homines remaneret. — Hanc rationem recentiorem esse quam rationem Graecam etiam indicant reliquiae quas ex illa servavit Italica ratio; numquam enim impetritis signis usi sunt Italici, nisi ratione etiam habita oblatorum, ut supra vidimus (Mnemos. XVII p. 430). — Ita ingenium Italicorum, sagacissimum ad inveniendam viam qua brevissime ad finem perveniretur, nova quaedam usurpavit quae quo magis simplicia videntur, eo magis admirationem movent; sed quae apud Graecos fuit *ars liberalis*, quam paucis colendam dederant dei, apud eos facta est *artificium* ieiunum, quod cum certo eventu exercere poterat quicumque formulas tenebat et eo iure utebatur. Quod ipsum in publicis rebus habebat magnam utilitatem. Ius publicum paratum erat multum tribuere responsis deorum; vim supremam eis concedere non dubitabat cum confirmandi tum impediendi et dirimendi omnia decreta et acta sua, modo certa et fida essent responsa deorum; verum quomodo satis his confidi poterat, si suspicio erat eos quibus munus publice auspiciato agendi mandaretur, fortasse arte vinci posse ab aliis hominibus qui privatim de eisdem rebus publicis responsa elicere possent quae responsis ab illis captis fortasse contraria essent, attamen veriora? Ita fides publica auspiciorum periret necesse erat. Sed cum ex auspiciandi ratione omnia removerentur, quae niterentur singularibus facultatibus auspiciantium, cum ad praecepta certa et constantia et formulas reconditas reduceretur tota res, huic officio aequae pares erant omnes augures; quin etiam ducibus quibusvis rite creatis, regibus primum deinde magistratibus annuis, tute permitti poterat ius publice auspiciandi; ab utrisque nihil exigere opus erat praeter scientiam aliquam formularum caerimoniarumque et bonam fidem. Apud Romanos certe illa scientia sola, cum fide et diligentia iuncta, facit „bonum augurem”, quae laus, quamquam more quodam scriptorum imprimis in Romulum et Attium Navium conferri solet, eodem iure omnibus attribui poterat qui illius collegii umquam fuerunt, et omnibus magistratibus. Omnino Romani arte divinandi fere usi non sunt publice, nisi extra ordinem, cum id exigeretur singularibus ostentis et prodigiis; at tum potissimum adhibuerunt coniectores peregrinos, Etruscos, quos antea ipsi

adibant ¹⁾, postea ex Etruria accibant, qui mos olim acceptus esse videtur cum reges Etrusci Romae regnarent; sed his nullum ius decernendi concessum erat, et de eorum decretis summum ius tenebat senatus. Postea demum, cum sub imperatoribus esset imperium Romanum, cum opiniones peregrinae aliquid valere coepissent Romae, cum etiam ad oblativa magis atenderetur, illud quoque mutatum est; tum plus tribui coeptum est facultatibus naturalibus singulorum virorum; sic Alexander Severus, „haruspinae peritissimus, orneoscopos magnus”, traditur etiam *vicisse* augures externos, veluti Hispanos et Pannonios ²⁾; apud priscos Romanos vero alius quidem diligentior esse potuit in regulis auguralibus observandis, alius negligentior, sed augur neque vincebat arte augurem neque vincebatur, quia vix ulla erat facultas auguralis qua quis posset excellere. — Denique rationem Italicam non esse perantiquam, sed aliquando esse inventam et maxime quidem utilitatis *publicae* causa, haec confirmatur, quod eam rationem, quantum novimus, privati de suis negotiis auspicantes adhibere non solebant; ut supra vidimus (Mnemos. XVII p. 444), privati, si signis impetritis opus erat, advocavisse videntur homines peritos, quod ipsi praecepta et formulas non tenebant.

Itaque quod de origine huius rationis statui, satis confirmatum esse videtur. Eam talem esse non potuisse, nemo contendet, qui probaverit quod supra exposui de origine auspicii pulchri, quae ipsa declarat quomodo apud Italicos paulatim mutari potuerit natura auspiciorum.

B. Quae fuerint actiones, de quibus a magistratibus semper captarentur haec auspicia, quae, ut videtur, dicebantur *auspicia maiora* ³⁾, diligenter hoc loco persequi mihi non est propositum. Sed de nonnullis causis auspicandi paullo diligentius agendum mihi est.

1°. Quo die magistratum inituri erant, nonnulli ex eis qui in comitiis designati erant, noctu in templo auspicabantur de magistratu in eundo. Signa quae impetrabant erant caelestia. Dionysius, cum hoc traderet, non definiit quinam fuerint qui

1) Cfr. Plin. 28. 15. — 2) Ael. Lamprid. vit Alex 27. 6. — 3) Cic rep. 2. 14 26.

hanc caerimoniam peragere solerent¹⁾. Ad consules eam rem pertinuisse, satis apparet ex eis quae praeterea dixit Dionysius eodem loco; idem probat locus Dionis, ubi Seianus de consulatu suo in tabernaculo auspicatus esse traditur²⁾. Consules praeterea eodem die, postquam magistratum inierant, Iovi immolavisse hostias et exta consuluisse notum est, quod τὰ ἱετήρια θύειν dicere solent auctores Graeci³⁾. — De ceteris magistratibus patriciis neque affirmare quidquam neque addubitare velim. Sed censores de magistratu suo ineundo auspicia caelestia nocturna non observavisse, statuendum esse videtur. Quod Varro servavit ex tabulis censoriis: „Ubi noctu in templum censura auspicaverit atque de caelo nuntium erit, praefecti sic imperato ut viros vocet” e. q. s.⁴⁾, sive pro „censura” legere placet „censor”⁵⁾, sive, ut vulgo, „censurae”, id referendum est ad auspicia de censu agendo capta, neque licet id referre ad auspicia de magistratu observata. Censores enim magistratum iniisse traduntur de medio fere die, ut primum confecta essent comitia quibus erant designati, neque auspiciis nocturnis capiendis ante magistratum initum tempus eis suppedabat⁶⁾. — Idem autem quod in censores, cadere videtur in omnes magistratus quibus post comitia confecta ex templo magistratus ineundus esset, veluti in consules suffectos et ab interrege creatos. Hi omnes praeter illud sacrificium in Capitolio, auspiciis eo die operam dedisse non videntur⁷⁾. —

1) Dionys. 2 6: ἑκαυρίζονται μὲν γὰρ οἱ τὰς ἀρχὰς μέλλοντες λαμβάνειν . . . τινὲς μισθὸν ἐκ τοῦ δημοσίου φερόμενοι ἀτραπὴν αὐτοῖς μνησύν ἐκ τῶν ἀριστερῶν (fulmen sinistram) φασὶν τὴν εὐνομένην. — 2) Dio 58. 5. 7. — Quod Dio dicit, Seianum primum ἐν τῷ Καπιτωλίῳ θύσαι — μετὰ τοῦτο οὐκ ἴσασθαι, non sufficit quo probetur, auspicia esse observata postquam iustus esset magistratus; Dionysius enim discrete affirmat, auspicatos esse τοὺς τὰς ἀρχὰς μέλλοντας λαμβάνειν. Itaque aut ad aliam rem referendum esse videtur sacrificium a Seiano in Capitolio factum, aut statuendum Dionem erravisse. — Verum quidem est, eum qui de magistratu ineundo auspicetur, iam usurpare ius magistratus, et magistratum iniisse. Sed formula qua utitur Dionysius atque probat, novos magistratus nihil aliud egisse aut auspiciis; illa formula etiam a nobis retineri potest, quia de significatione dubium non est. — 3) Liv. 21. 63. 13; 41. 14. 7; Dio fr. 102. 12; id. 45. 17. 9; Suet. Aug. 96; App. 3 94. — 4) Varr. 11. 6. 86. — 5) Hoc praetulit Mommsen Staatsr. 1^a p. 81 n. 2, efr. p. 98 n. 6. — 6) Liv. 40 e. 45: „comitiis confectis, ut traditam antiquitus est, censores in Campa ad aram Martis sellis earulibus consederunt —”, e. 46: „deinde — deducti sunt in Capitolium”. — 7) Octavianum, a. 43 consulem suffectum „augurium cepisse primo consulatu” scribit Suetonius (Aug. 93), et is eo refert auspiciam illud duodecim vulturam quod viderit Octavianus. Sed cum refutat Dio

Principatum quoque non sine auspiciis initum esse affirmat Plinius, qui de hostiis caesis et de sinistro avium volatu mentionem facit; sed idem ostendit, Principes non ipsos aves consuluisse, sed inauguratos esse ab auguribus ¹⁾.

2^o. Magistratus ad bellum aut in provinciam proficiscentes secum tulisse traduntur auspicia ²⁾. Quaerentibus nobis quid hoc significet, facile apparet, si „auspicia in bellum et provinciam ferri” dicantur, in ea formula hoc vocabulo non proprie designari ius aliquod auspicandi, nedum ipsa signa accepta, sed vim aliquam manentem signorum antea acceptorum. Quicumque de aliqua re gerenda auspicatus signa prospera accepit, debet „auspicia secum ferre” cum ad eam gerendam aggrediatur et cum eam agat; sic qui in Campo Martio comitiis praeest, ibi debet „auspicia” secum habere, i. e. vim manentem signorum quae noctu accepit, quae ut perseveret neque interrumpatur maxime ei providendum est (vid. pag. 210); idem in eos cadere qui in bellum aut provinciam profecti sunt, ostendit locus Livii quem attuli. — Sed a ducibus, cum in castris et in provincia res agerent, auspicia capi solebant quae bellica sive castrensia dicebantur. Horum auspiciorum castrensiarum autem duplicem rationem fuisse apparet. Primum per se aliquam utilitatem habebant cum declararent, quid de singulis actionibus bellicis semper suscipiendis sentirent dei; hanc utilitatem auspicia castrensia praebere poterant *omnibus* imperatoribus, eis quoque qui non „secum tulissent” auspicia de bello universo antea capta. Sed praeterea illa auspicia castrensia minora (ex extis et pullis) etiam erant quasi experimenta quaedam, quibus probaretur et confirmaretur, vim signorum maximorum antea acceptorum etiam perseverare; si saepe adversa erant, inde concludendum erat integram non esse vim auspiciorum principio acceptorum, et aliquod vitium esse in ipso imperatore, et auspicia repetenda esse ³⁾; hanc utilitatem autem ei soli imperatores ex auspiciis

(46. 46. 2), qui multo accuratius de ea re agens, sicut de observatione ab Augusto habita, et sex voltores ei in Campo Martio oblatos esse dicit eo die quo consul crearetur, duodecim postea cum ad milites verba faceret. App. 3 94 mentionem facit de sacrificio, et dicit Augustum sacrificantem vidisse duodecim voltores. — 1) Plin. l'augury. 5. 3: „ceteros principes aut largus cruor hostiarum aut sinister volatus avium consentibus nuntiavit”. — 2) Liv. 22. 1. 7. — 3) Liv. 8. 80. 1 sqq.; 22. 18. 8.

castris capere poterant, qui „auspicia secum tulerant”; et hi soli, ut infra etiam confirmabimus, a Romanis dicebantur „auspicia habere” et „auspicato bellum gerere”. Itaque maxima vis auspiciorum castris pendet et oritur ex observatione quadam auspiciorum maiorum, principio domi habita. Quaerendum autem est, quae fuerit illa observatio auspiciorum maiorum, et quando habita sit. Hodie a multis viris doctis huiusmodi sententia tenetur, magistratibus, antequam ad bellum proficiscerentur, quo die in Capitolio vota nuncupaturi et paludati exituri erant, fuisse in Capitolio auspicia observanda ex avibus, et hanc observationem auspiciorum id valuisse ut per eam constitueretur vis auspiciorum castris. Huic sententiae obstat me iudice, primum quod eo die auspicia ex avibus capta non esse videntur¹⁾, deinde, quod verisimile est vim auspiciorum bellicorum eadem actione esse constitutam qua ius belli gerendi acquisitum sit. Mea sententia huiusmodi est, quia ius belli gerendi acquireretur per lationem legis curiatae, auspicia maiora quibus constituerentur auspicia bellica etiam fuisse auspicia quae de lege curiata ferenda observarentur. Hanc ob causam mihi eam rem praetereundam non esse censui, ex qua sola explicari posse crederem, qui factum esset ut Ciceronis tempore sublata esset vis auspiciorum bellicorum, simul sublata vi legis curiatae; et eandem ob causam brevi exponendum mihi est quid de lege curiata sentiam. Haec lex initio, si eis fidem habemus quae de regum temporibus tradita extant, hoc valuisse videtur ut populus, postquam ipse in comitiis curiatis regem suis suffragiis creasset, postea eidem, cum iam rex factus esset,

1) Quod Festus (p. 241) tradit, non pertinere videtur ad eam rem de qua agimus. Scriptores vero qui describunt profectioes imperatorum et vota in Capitolio nuncupata, auspicia ex avibus aut caelo nulla memorant (efr. ex. gr. Dio 39 39. 6), sed sacrificia sollemnia in Capitolio facta tradunt (vid. Cic. Phil. 5. 9. 24: „neque sacrificiis sollemnibus factis, neque votis nuncupatis”, et ibid. 3. 4. 11: „neglectis sacrificiis sollemnibus”; Ael. Lampr. Heliog. 15. 7). Apud Livium 21. 63. 9, si lectionem vulgatam servas, coniungenda sunt verba „auspicato profectus in Capitolium ad vota nuncupanda”, et tum certe quidem auspiciorum antea observatorum mentio fit, sed tamen quae non in Capitolio observata sunt. Verum praestare videtur, pro „auspicato profectus” legere „auspicato profecturus”, et verba „in Capitolium” referre ad „iret”; tum nihil quidem declaratur de loco ubi auspicia capta sunt, sed „auspicato” referendum esse videtur ad illa sacrificia sollemnia quae memorat Cicero.

obsequium promitteret et ab eo sibi imperari velle declararet ¹⁾; tum igitur lex curiata nihil addebat ad potestatem regis, neque ulla pars iuris quo rex utebatur ex hac lege ei suppetebat. Sed post reges exactos non idem mansit; magistratus quibus obsequium non ant nondum promisissent comitia curiata, nequaquam carebant omni magistratum potestate, sed tamen, quod antea in regibus non item valuerat, aliqua *parte* potestatis eos caruisse videmus. Praeterea species rei mutata est; cum antea comitia, quibus reges creandi essent, *eadem* essent quae obsequium eis promitterent, ab initio liberae reipublicae quamquam consules in centuriatis comitiis creabantur, tamen ius obsequii consulibus promittendi relictum est comitiis curiatis. Itaque credo, cum instituta essent libera respublica et centuriata primum, deinde tributa comitia, *novam ob causam* legem curiatam et probationem curiarum necessariam magistratibus visam esse, et hanc quidem ob causam, quod illa comitia nova ineunte libera republica non satis valere putarentur ut magistratibus qui in se creati essent ius plenum darent imperandi civibus et obsequii exigendi a civibus. In ea re consideranda, ratio nobis habenda esse videtur huius rei, quod cives qui in comitiis curiatis suffragia ferebant — viri gentium patriciarum cum suis clientibus — non fuerunt eidem qui in comitiis centuriatis ius suffragii habebant, neque eidem qui in comitiis tributis, neque vero vis suffragii cuiusque in omnibus comitiis eadem fuit. Probabile esse videtur, hanc ob causam, cum ius magistratum qui in comitiis centuriatis aut tributis creati essent aut qui ab his magistratibus cooptati essent, non satis firmum videretur, ne obsequii promissionem quidem sufficere visam esse, si in eisdem comitiis fieret; contra, si comitiis curiatis relinqueretur obsequii promissio, eam satis valere visam esse ut prorsus confirmaretur ius magistratum quilibet comitiis constitutum ²⁾. Quidquid id est, lege curiata,

1) Mommsen Staatsr. I^o p. 609 sq — 2) Aliquantenus comparari potest res de qua agit Cicero in oratione de lege agr. 2 c. 8 sqq, quamvis dissimilis sit; efr. quod legitur c. 11 § 28: „vidit et perspexit sine curiata lege decemvros potestatem habere non posse, quoniam per novem tribus essent constituti”. In hac re quoque lator legis existimavisse dicitur, promissionem obsequii, modo in comitiis curiatis fieret, satis valere ut per eam compensaretur et expleretur quideumque desideraretur in iure decemvirorum non iustis comitiis creatorum.

quam de omnibus magistratibus patriciis (exceptis censoribus) auspicato ferre solebant, ut videtur, consules et praetores¹⁾, de se ipsis dictatores, opus esse putatum est ad *confirmanda et explenda* imperia et potestates²⁾. In duabus praecipue actionum generibus, ad quas iure gerendas non satis firma esse existimaretur potestas acquisita per suffragia comitiorum centuriatorum aut tributorum, scilicet in eis rebus quae bello et in provinciis magistratibus gerendae essent et quae ad iurisdictionem pertinerent, ius agendi omne a magistratibus ex lege curiata repeti ferebat doctrina iuris³⁾; quatenus vero ad reliquas actiones gerendas ius satis firmum magistratibus suppetere putandum esset, si forte lege curiata carerent, id numquam clare definivit neque constituit doctrina iuris publici Romani. Difficile est huius rei rationem dispicere. Fortasse licet suspicari, comitia centuriata et tributa satis quidem valere initio visa esse, ut magistratibus a se creatis darent ius imperandi civibus ex auctoritate senatus, sed non tantum valere, ut magistratibus illis liceret sine auctoritate senatus aliquid imperare civibus; — ea certe, quae belli et in provinciis geruntur, et quae ad iurisdictionem pertinent, hoc proprium habent, quod simul fiunt sine consultatione senatus⁴⁾, simul sine potestate imperandi civibus peragi non possunt. — Hoc loco ea vis legis curiatae sola nobis consideranda est, qua ea

1) Praestat fortasse conicere, consules de se ipsis solis, praetores vero (et eos praetores quidem qui primi quoque anno facti essent) de se et de reliquis magistratibus tulisse legem curiatam. Sic melius intellegitur, qui factum sit, ut Nullus hanc legem de decemviris ferendam mandaret non consuli sed praetori (Cic. leg. agr. 2. 10. 26: „eam legem ab eo praetore qui sit primus factus ferri iubet“, quae verba certissime demonstrant, iu hac re *pro alio* agi potuisse, et obsequii promissionem a curiis potuisse rogari et accipi ab alio magistratu pro alio); praeterea vero, eum constet consules nonnumquam a senatu — patrum auctoritate denegata — prohibitos esse quomovis legem curiatam ferrent, ita intellegitur quomodo hoc fieri potuerit salva iurisdictione, quam prohiberi aut retardari nullo modo debuisse manifestum est. — 2) Cfr. Cic. leg. agr. 2. 11. 27: „curiatis comitiis — confirmavit (potestatem decemvirorum)“. — 3) Cic. leg. agr. 2. 12. 30: „consuli, si legem curiatam non habet, attingere rem militarem non licet“; Liv. 5. 52. 15: „comitia curiata, quae rem militarem continent“; Dio 41. 43. 3; id. 39. 19. 3. — 4) Cfr. Mommsen Staatsr. I p. 311: „Dass der Senat . . . bei der Anhebung und dem Prozess niemals als Consilium fungirt; . . . dass . . . seine Autorität sich ausschliesslich gegen das hauptstädtische Imperium kehrte und er in das feldherrliche mit seinen Rathschlagen nicht unmittelbar eingriff“.

lex ius daret magistratibus auspicato agendi in bellis aut provinciis. Hoc ius, quod in dictatoribus, consulibus, praetoribus, „imperium militare” dicitur, quod idem vero in dictatoribus parum recte nonnumquam hoc nomine designari videtur, ut „equum ascendere eis liceret”¹⁾, tum primum usurpabatur a magistratibus, cum votis in Capitolio nuncupatis paludati exirent²⁾; si ante finem magistratus sui annui in urbem redierant — quod ante a. 327 fieri solebat — hoc ius postea demum extinguebatur cum ipso exitu honoris; si in urbem nondum redierant quo tempore magistratus peractus erat, hoc ius manebat, neque interibat nisi redeuntibus in urbem, pomerium transgredientibus. Atqui prorsus idem quod de imperio militari magistratum, valet de auspiciis bellicis, haec quoque primum usurpabant qui paludati exituri erant, sacrificiis sollemnibus in Capitolio factis (vid. supr. p. 222 n. 1); haec quoque promagistratibus pomerium transgressis interibat una cum imperio. — Verum aliquando ius belli gerendi et provinciae administrandae, i. e. imperium militare, etiam sine lege curiata ad quosdam deferri coeptum est. Institutum est, ut eorum quoque iustum imperium esset, qui id accepissent ex lege speciali, etiamsi confirmatum non esset lege curiata: sive quod de eorum imperio nominatim ad populum latum esset, sive quod suffragiis designati essent ad accipiendum aliquod imperium quod paulo ante lege speciali constitutum esset. Hac ratione primum ad privatos solos imperium deferri solebat. Exemplum huius rei antiquum et notissimum praebet annus 211³⁾. Sed postea ad magistratus quoque ea res pertinere coepit; inprimis ultimo saeculo liberae reipublicae crebro accidit, ut de aliquo magistratu nominatim ad populum ferretur ut aliquod bellum gereret aut provinciam administraret; is magistratus igitur, etiamsi forte legem curiatam sibi non tulerat, ex hac rogatione utique habebat imperium quod sufficeret. Denique eo ventum est, ut etiam

1) Liv. 23. 14 2; Zonar. 7. 13, cfr. Plat. Fab. 4. — 2) Cum de ratione imperii militaris hoc loco diligenter agere mihi non esset propositum, satis habui, de perfectione magistratum mentionem facere, neque questionem mihi tangendam esse duxi, quatenus a magistratibus in urbe manentibus potuerit usurpari imperium quod habebant, cum id mandasset legatis aut aliis magistratibus, qui alienis auspiciis rem agerent. — 3) Liv. 26. 18.

a senatu imperium extraordinarium privatis nonnumquam datur, quamvis hoc, in primis si caderet in homines qui nullo antea magistratu maiore functi essent, annon recte fieret semper addubitatum est ¹⁾. His igitur qui lege speciali imperium habebant, opus non erat lege curiata ²⁾. Sed in magistratibus hoc nihilominus retentum est, imperium lege curiata sola acquiri posse. In ea re erat repugnantia manifesta; quomodo enim hoc constabat, suffragia populi in eisdem comitiis (centuriatis aut tributis) lata, si de lege speciali ferrentur, existimari satis valere ut imperium etiam privato dare possent, sin vero de magistratu creando ferrentur, non satis firma haberi ut imperium darent magistratibus et etiam opus esse obsequii promissione curiarum? Hanc ob causam sub finem liberae reipublicae multi eo tendere et inclinare coeperunt, ut addubitarent et negarent necessitatem legis curiatae in magistratibus bella gesturis, quae in omnibus de quorum imperio nominatim ferretur nulla esset ³⁾; fuerunt consules, qui sine lege curiata, iure magistratus sui freti, in provinciam profecti sint (a. 54). Sed tamen publice numquam discessum est ab hoc iure, magistratibus (nisi forte haberent legem specialem) sine lege curiata imperio uti non licore; et ab eis consulibus qui contra hoc ius rem in provincia gerere ausi sunt, triumpho denegato aliquam poenam sumpsit senatus ⁴⁾. — Atqui illud imperium, quod niteretur lege speciali, fuitne etiam cum auspicio coniunctum, an minus? Quaestio supervacanea videri possit. Nam satis constat, hos quibus imperium nominatim a populo datum esset, nullo iure neque ulla parte iuris caruisse, quod haberent ei qui, in urbe magistratus creati, postea ex lege curiata imperium accepissent; utrorumque imperium genere et natura sua idem erat ⁵⁾; atqui, siquidem ius agendi utrisque idem fuit, siquidem vero ius agendi nihil

1) Cfr. Cic. Phil. 11. 8. 18 sqq. — 2) Decemviros suos nullam aliam ob causam lege curiata ornavit Rullus, ut dicit Cicero, quam quod iustis comitiis creati non essent, leg. agr. 2. 11. 28 et 31. — 3) Cic. fam. 1. 9. 25: „Appius in sermonibus antea dicitabat . . . legem curiatam consuli ferri opus esse, necesse non esse”. — 4) Cic. fam. 3. 10. 1. — 5) Quod aliquamdiu valuit, ad triumphum gerendum non sufficere imperium lege speciali acceptum, ne id quidem diu retentum est; cfr. Liv. 28. 38. 4; Mommsen Staatsr. 1^o p. 126 a. 6. — Sed tamen haec ratio fuisse videtur cur a. 50 Cato soluerit triumphum decernere Ciceroni.

differebat ab iure *auspicato* agendi, utrisque etiam de eorum actionibus bellicis auspicandi ius fuisse negari non potest. Itaque si est quaestio illa quam posui, non pertinet ad ius, sed in vocabulo tantum versatur et loquendi usu continetur. Sed etiam de vocabulo quaerere operae est; apparet autem ad eam quaestionem diversis temporibus varie responsum esse. Etiam si dubium non est, quin suis auspiciis res gessisse dici possint ei qui ex lege centuriata aut tributa speciali imperium acceperint, cum ea formula „suis auspiciis” substituatur pro formula „suo imperio”, tamen imperium horum virorum numquam, quantum memini, significatur ab auctoribus nostris duplici illo vocabulo „imperium auspiciumque”, sed „imperium” semper nude dicitur. Post eversam liberam rempublicam autem, cum ratio auspiciorum, sub finem liberae reipublicae neglecta et tantum non omissa, denuo magni aestimaretur, hoc observatum esse videtur, ut, qui imperium haberet, etiam auspicium habere diceretur. Quin etiam videmus, cum aliquando viro consulari, filio Principis, qui transgressione pomerii imperium amiserat, a senatu in unum diem redditum esset imperium ut eo die urbem ovans ingredi posset, imperium ab eo non sine auspiciis esse resumptum, eumque „urbe egressum esse” accipimus ut extra pomerium non solum resumeret imperium sed etiam „repeteret auspicia”¹⁾. Itaque sub imperatoribus omne imperium cum auspicio coniunctum habebatur. Sed paullo ante, Ciceronis tempore, non idem visum est viris harum rerum peritis. Cicero diserte statuit, eos qui rem bellicam administrarent iure imperii quod e lege speciali acceperint, caruisse auspiciis²⁾. Non temere idem, cum diceret omnes magistratus habere auspicium, nihil addidit de auspiciis eorum qui praeterea cum imperio essent³⁾. Nos in ea re, praesertim cum de rebus liberae reipublicae agamus, oportet obsequi auctoritati Ciceronis, et statuendum est illud imperium solum cum auspicio coniunctum

1) Tac. Ann. 3 19: „at Drusus, urbe egressus repetendis auspiciis, mox ovans introiit”. — Drusus amiserat imperium, cum consulatus petendi causa urbem intrasset, quod idem a. 60 fecerat Caesar (ibid. 3 11: „prolato honore urbem intravit”); sed postea in unum diem imperium a senatu ei redditum esse apparet, cum ovationem, quam iam desperaverat, nihilominus egerit, „auspiciis repetitis”. — 2) Cic. deor. nat. 2. 3. 9; div. 2. 36 76. — 3) Cic. leg. 3. 4. 10.

fuisse, quod in magistratibus niteretur magistratu lege curiata confirmato. Sed tamen, ut dixi, nemo crediderit eis qui ex lege speciali imperium haberent, *non licuisse* auspicari. Si forte auspicati non sunt, tribuendum hoc est neglegentiae auspiciorum quae paullatim percrebuit; sed Scipio in Hispania, alique veteres qui cum imperio fuerunt, quin auspiciis aliquam operam dederint in magnis rebus gerendis, dubium non videtur. Neque certe pullarius in eorum castris desiderabatur; ne id quidem, quod nonnumquam factum est cum aliqua potestas constitueretur lege speciali, ut diserte rogaretur ut eis qui ex hac lege creati essent liceret pullarios habere (quod ex. gr. factum est in lege Sempronia, quia colonia auspiciato condenda erat, Cic. leg. agr. 2. 12. 31), usitatum fuisse videtur cum de alicuius imperio nominatim ferretur, quia dubium non est quin ius ipsum imperii comprehenderit ius auspicandi. — Quid igitur interfuit inter auspicia quae in castris capiebantur (aut capi poterant) ab eis qui imperium sine magistratu habebant, et auspicia castrisia eorum qui e magistratu bellum gerebant? Discrimen in ipsa legis curiatae latio interfuerit necesse est, quia hac sola aliquod discrimen constituebatur inter utrumque genus imperatorum. Manifestum igitur videtur, auspicia bello capta ab eo de quo lex curiata lata *non* esset, per se tantum valuisse et ad singulas actiones semper suscipiendas tantum pertinuisse (vid. pag. 221); auspicia vero quae caperet is de quo lex curiata lata esset (sive ipse eam de se tulerat, sive pro eo alius), pependisse ex vi salutari et manente auspiciorum de lege curiata ferenda domi captorum, quam secum tulerat magistratus ex urbe profectus, quae ad totum bellum pertinebat et perseverare debebat. Hunc magistratum solum Iupiter auspiciis maioribus domi interrogatus tum cum lex curiata ferretur, declaraverat acceptum sibi esse etiam si bellum suscepturus esset, eiusque imperium sibi placere; de illo vero qui magistratus non fuit, nihil eiusmodi rite a deis impetratum erat, cum lex curiata rogata non esset; et tantum valere censuerunt Romani hanc vim auspiciorum de lege curiata captorum, ut hos solos, de quibus lex curiata lata esset, „auspicia habere”, „auspicia secum ferre”, dicerent, ut vero illos qui lege curiata carerent, de singulis actionibus quidem deos interrogare posse, sed tamen con-

fidere perpetuo favore deorum et „bellum auspicato gerere” non posse existimarent. Itaque si nulla fuisset lex curiata, nulla bella „auspicato” geri potuissent, et hoc etiam clare testatur Cicero cum dicat: „curiata comitia tantum auspicioꝝ causa remansisse”¹⁾.

Vinculum autem quod in magistratibus ab initio coniungebat potestatem belli gerendi provinciaeque administrandae cum lege curiata, et vim auspicioꝝ quae bello caperentur cum vi auspicioꝝ de lege curiata captorum, etiam tum servatum est, cum magistratus coepissent, toto tempore magistratus in urbe peracto, tum demum in provinciam abire, cum magistratus finitus esset. Breve temporis spatium quod interponi solebat — nam non semper id interponebatur, neque pauci fuerunt consules etiam post Sullae tempora qui in magistratu aut abirent aut per legatos adirent administrationem provinciae²⁾ — inter magistratum depositum et diem quo provinciam administrare inciperent, non obstabat, quominus hoc vinculum integrum manere putaretur; sive quod imperium militare lege curiata datum et auspiciū de lege curiata acceptum, quod in urbe manenti neque imperium mandanti utique inutile erat, non una cum magistratu deponi putaretur, sed ultro prorogari et a privato etiam in urbe paullisper retineri crederetur et aequo praesto esse ei qui paullo postea demum proficisceretur ac si in magistratu profectus esset aut provinciam per legatos occupavisset; sive, quod minus verisimile videtur, quod in ipsa lege curiata de magistratibus maioribus lata diserte hoc scriberetur ut imperium eis esset etiamsi post exactum magistratum provinciae praeesse coepissent. Utique imperium illud, quo utebantur ei qui post finem magistratus in provinciam abibant, idem erat quod in magistratu ex lege curiata acquisiverant; rogatione speciali opus non erat qua post magistratum depositum novum imperium eis constitueretur; ne Senatus quidem fiebat de eorum imperio; provinciae „ex consulatu”, „ex praetura” obtineri dicebantur; ius provinciae administrandae ex lege curiata sola eis suppetebat. — Sed paullo ante finem liberae reipublicae hoc mutatum est. Tum enim

1) Cic. leg. agr. 2. 11. 27. — 2) Cfr. Willems Sénat. 2. p. 578 sq.

(a. 55) senatus censuit prorsus seiungendum esse tempus magistratus urbani gerendi a tempore provinciae administrandae, et interponere conatus est inter utrumque intervallum quinquennii; tum sublata est vis quam in bellis et provinciis administrandis antea in magistratibus habuerat lex curiata, et simul eversa est tota ratio antiqua auspiorum bellicorum. Magistratus autem, si forte haec mutatio iuris accepta ac probata eis non erat, si, lege curiata rite rogata, imperium in urbe acceperant, poterant quidem iure suo provinciam postulare, ac, si senatus non dabat — sed lex Sempronia senatum cogebat provincias consulares ante comitia constituere, et aliquamdiu certe senatus huic necessitati obtemperavit quamvis nollet consules adire provincias dicis causa constitutas¹⁾ — poterant iure suo aliquam provinciam occupare. Sed hoc ipsum ne fieret, senatus cavuit, imperio consulari sublato; coepit enim ab eo tempore consules prohibere, quominus de imperio suo legem curiatam perferrent. Post a. 55 praetores quidem, quemadmodum semper antea fecerant, ut videtur, quotannis legem curiatam de se et de reliquis magistratibus patriciis minoribus tulerunt, cum ea re opus esset propter iuris dictionem (vid. supr. p. 224 n. 1); sed consules ab anno 54²⁾ prohibiti sunt a senatu — auctoritate patrum denegata et intercessione tribunorum parata³⁾ — quo-

1) Cfr. Cic. fam. I. 9. 25. — 2) Senctum quod de ea re fecerunt consules anni 54 (Cic. Att. 4. 16. 5 Boot secundum ordinem quem restituit Mommsen, = Att. 4. 16. 5 et 4. 17. 1 Orelli), est primum Senct. quod de ea re factum vobis cognitum sit; hoc Senctum ab ipso eousule Claudio qui fecerat neglectum est, eo praetextu, quod iam antea sibi et collegae provincias constituerat Senatus e lege Sempronia, quas ipsi inter se sorte dividerant (Cic. fam. I. 9. 25; Att. 4. 18. 4 Boot = 4. 16. 12 Orelli); Senctum vero quod a. 53 de eadem re factum est, primum valuit (Dio 40 46. 2). —

3) Cfr. Cic. dom. 14. 38. — Legi curiatae tum solum a tribunis pl. intercedi poterat, ut videtur, et intercedi oportebat, si eam rogare audebat magistratus aliquis quamvis patres auctores facti non essent. Cfr. Cic. leg. agr. 2. 12. 30. Cicero hoc loco consulto praetermisit auctoritatem patrum, et hanc quidem ob causam, quod erederet rogationem Rulli auditoribus suis multo magis offensionis fore, si intellegent potestatem legis curiatae a Rullo praereptam esse *tribunis plebis*, quam si audierent, eam *senatus* esse detractam. Tribunos plebis autem non potuisse ex suo arbitrio, si patres auctores facti essent, legem curiatam prohibere, i. e. imperium militare reprimere, iurisdictionem tollere, omnia turbare, clare docet memoria rerum Romanarum cum ostendat, id nunquam factum esse. — Quod tradit Dio (39 19. 3), ad obnuntiationem auguris alienius — fortasse Appii Claudii fratris Clodii — referendum

minus sibi ferrent legem curiatam¹⁾. Senatus hoc fecit, ut consules prohiberet, in consulatu aut statim post consulatum peractum ultro in provinciam abire et imperio prorogato uti, utque eos cogeret observare intervallum quinquennale, et expectare novam legem tributam quae post quinque annos ex Auct. Sen. imperium sibi nominatim datura esset. Quod parum certe per se valuisset — nam de necessitate legis curiatae iam dudum a multis dubitabatur; quin etiam praetendere poterant consules sibi e quo primum profecti essent utique imperium fore ex lege Cornelia, quae esset de imperii prorogatione, quae non exceperit videtur eos qui forte legem curiatam non tulissent²⁾ —, nisi voluntatem suam etiam alia ratione confirmare et magistratibus imponere potuisset senatus, non facto SenCto de orandis provinciis consularibus; ita enim, etiamsi consul aliquis lege curiata supersedere posse sibi visus, invito senatu, suo iure fretus, ad bellum aut in provinciam abiturus esset, tamen, si hoc SenCto careret, non nisi *suo sumptu* in provinciam abire et quae necessaria erant parare potuisset³⁾; hac re igitur corroborabatur SenCtum quod erat de lege curiata consulibus non roganda. Haec mutatio iuris publici videtur derivanda esse ex eis quae triumviri privatim constituerunt in colloquio Lucensi a. 56 habito⁴⁾; probabatur etiam eis nobilibus qui ambitum coercendum esse censerent, et viri ambitiosi soli eam aspernabantur suorum commodorum causa⁵⁾; perfecta est a senatu, auspiciis et auctoritate Pompei; num lege speciali etiam

esse videtur. — 1) Cic. fam. 1.9.25: „si licitum esset legem curiatam ferre“; cfr. Cic. Att. 4.17.2 Boot = 4.18.2 Orell. — 2) Cic. fam. 1.9.25: „Appius in sermonibus dicitabat — legem curiatam consuli ferri opus esse, necesse non esse; se, quoniam ex SenCto provinciam haberet, lege Cornelia imperium habiturum quoad in urbem introisset“. — 3) Cic. Att. 4.17.2 Boot = 4.18.2 Orell; cfr. 4.18.4 Boot = 4.16.12 Orell.: „Appius sine lege (scil. curiata) suo sumptu in provinciam cogitat“. — 4) Caesar postea Caesar ius sibi esse putaret omnis conscientiae rei denegandae, fortasse huiusmodi fuit quod Pompeius in aliqua parte fidem rupisset et condiciones constitutas migravisse ei visus est. — In colloquio Lucensi quin etiam constituerint tres viri, ut ipsi in quinque annos continuos occuparent provincias et bella gravissima, dubium non esse videtur; hoc perfectum est a. 55, enim de imperio Pompei et Crassi quinquennali ferretur rogatio Trebonia, de Caesaris imperio rogatio Pompeia. — 5) Cfr. App. 2.19.

confirmata sit, parum certum est. — Consules anni 55 legem curiatam ultro non tulisse videntur; his ea lege opus non erat quia de eorum imperio quinquennali nominatim ad populum tulit Trebonius tr. pl.; ob illas causas vero quas dixi, consules anni 54 ¹⁾, 53, 52 ²⁾, 51, 50, 49 ³⁾ legem curiatam de se ferre non potuerunt, quod fuerunt qui aegre ferrent, ut Appius Claudius a. 54, et Aemilius Paullus a. 50 ⁴⁾. — Viri consulares vero et praetorii, qui per hos annos ex SenCtis et legibus tributis nominatim de eorum imperio latis ⁵⁾ in provincias abierunt, cum iam multo ante deposuissent magistratum urbanum, neque de eorum novo imperio lex curiata lata esset, habebant quidem imperium, sed carebant ea vi et potestate auspiciorum bellicorum quae antea ex auspiciis de lege curiata captis comparabatur a magistratibus. Hoc est quod Cicero queritur (anno 44): „tum enim bella gerere nostri duces incipiunt, cum auspicia posuerunt” ⁶⁾; et alio loco (eodem anno): „bellicam rem administrari maiores nostri nisi auspicato noluerunt. Quam multi anni sunt, cum bella a proconsulibus et a proprætoribus administrantur, qui auspicia non habent! — avium divinatio —, quoniam ab eis qui auspicia nulla habent bella administrantur, ab urbanis retenta videtur, a bellicis esse sublata” ⁷⁾. Hi loci igitur, cum referendi sint ad id tempus quo sublata esset lex curiata de imperio consulium, confirmant quod posui, „auspicia bellica habere” idem esse quod „legem curiatam habere”.

Sed iam revertendum est ad ius antiquum magistratum. Apparuit nobis, auspicia sollempnia quae de lege curiata ferenda a magistratibus ex avibus captari solebant, hoc partim (nam de altera parte quae ad iurisdictionem pertinet nunc non agimus) valuisse, ut per ea Iupiter ostenderet, magistratus patricios de quibus lex ferretur, etiam cum in bello et provinciis munere suo fungerentur, acceptos et probatos sibi esse. Sed vitari poterant auspicia bellica magistratum in castris res gerentium etiamsi legem curiatam rite factam habebant.

1) Vid. pag. 231 n. 1 et n. 3. — 2) Cf. Dio 40. 56. 1. — 3) Dio 41. 43. 3. —

4) Cic. fam. 8. 10. 3: „Paullus porro non humane de provincia loquitur; huius cupiditati occurrurus est Furnius noster”; cfr. Att. 6. 1. 7: „sed quid Selaminia fiat, si huc Paullus venerit?” — 5) Cic. fam. 15. 9. 2; 15. 14. 5; Att. 7. 7. 4; Caes. b. civ. 1. 6. 6. — 6) Cic. deor. nat. 2. 3. 9. — 7) Cic. div. 2. 36. 76.

Hoc accidisse ex variis signis cognosci posse credebant Romani, veluti si clades aut damnum aliquod in bello acceptum esset, aut auspicia bellica adversa essent, aut aliqua ratione interrupta esse videretur vis auspiorum prosperorum de lege curiata acceptorum. Hoc si factum erat, renovanda erant auspicia domestica; sed, cum vis legis curiatae intacta maneret, neque ipsam legem repeti necesse esset, ad urbem redire magistratum opus non erat, sed in agro Romano recte repetere poterat auspicia maiora ubicumque volebat ¹⁾. Atqui, si extra urbem *repeti* poterant auspicia, nulla causa fuisset cur etiam principio non potuissent captari extra urbem, nisi necessario coniuncta fuisset haec observatio auspiorum cum alia re quae intra urbem fieret necesse erat; itaque quod novimus magistratum debuisse *ex urbe* auspicia secum ferre (p. 221 n. 2), aptum est ad confirmandam sententiam, auspicia acquisita esse latione legis curiatae. Eodem vero ducit quod saepe apparet, auspiciis de lege curiata ferenda observatis antiquitus permultum tribuisse Romanos, et plus fere quam ipsi legi. Livi de lege curiata mentionem faciens, auspicia de ea observata saepe diserte etiam memorat; veluti 9. 38. 15: „dictatori legem curiatam de imperio ferenti triste omen diem diffidit; — — dictator postero die auspiciis repetitis pertulit legem”; et 23. 14. 2: „dictator rebus divinis perfectis latoque ut solet ad populum ut equum descendere liceret —”. Ipsam legem curiatam auspiorum causa maxime retentam esse, non semel asseveravit Cicero ²⁾. C. Flaminius consul a. 217, quod sine lege curiata profectus erat (metu motus, ut ait Liv. 21. 63. 5, ne auspiciis ementiendis se in urbe retinerent adversarii), minus moleste tulerunt nobiles, quam quod sine auspiciis, et haec sola a Livio memorantur ³⁾. — Quod autem statui, aves observatas esse cum lex curiata ferretur, id cum per se verisimile est tum a Cicerone significatur, cum dicat lege curiata sublata „avium divinationem esse sublata ab auspiciis bellicis” ⁴⁾.

1) Auspicia maiora etiam longe ab urbe, modo in agro Romano, repeti potuisse ostendit exemplum Fabii consulis, qui, cum ad Cales castra haberet, „auspiciis repetendis occupatus fuisse” traditur a Livio 23. 36. 10. — Cfr. etiam Serv. Aen. 2. 178. — 2) Cie. leg. agr. 2. 11. 27 et 2. 12. 31. — 3) Liv. 22. 1. 7. — 4) Cie. div. 2. 36. 77.

Pergimus percensere alias actiones de quibus auspicia maiora a magistratibus captata videntur.

3^o. Ex avibus praeterea auspicabantur consules cum dictator dicendus esset ¹⁾, quod ipsum noctu fieri oportebat ut primum aves addixerant ²⁾.

4^o. Comitiorum causa, cum magistratus creandi essent, ex avibus auspicati sunt magistratus patricii, quos comitiis praeesse oportebat; sic de magistratibus in comitiis centuriatis creandis ex avibus auspicatos esse novimus consules ³⁾, interreges ⁴⁾; sed etiam qui de magistratibus in comitiis tributis creandis auspicarentur ⁵⁾, aves consuluisse verisimile est; de caelo observatum esse non potest, cum fulmen esset vitium comitiorum; Cicero etiam hanc ob causam dicere videtur, „avium divinationem ab urbanis (auspiciis) retentam esse” ⁶⁾. — Ex hac ipsa autem observatione auspiciorum, quae *de magistratibus creandis* habebatur, pendebant auspicia quae *domi* secum habituri erant magistratus creati, eodemmodo quo auspicia, quae *bello* secum gerebant magistratus, pendebant ex observatione auspiciorum quae habebatur *de lege curiata ferenda*. Haec auspicia, quae magistratus patricii omnes *domi* secum habebant, eodemmodo vitari poterant quo bellica illa; si hoc acciderat, dei id ostendere putabantur prodigiis et signis. Tum quoque, ut semper, Romani hoc vitium referre solebant ad ipsa initia auspiciorum, i. e. ad observationem illam de creando magistratu habitam, quae quin *vitio* facta esset non dubitabant; dicebant, eum magistratum, cuius auspicia vitiosa facta essent (vel, quod idem est, qui ipse vitiosus factus esset, cfr. Cic. Phil. 3. 4. 9), „vitio creatum” esse. Hoc si factum esse decreverant augures, magistratus vitiosus abigebatur, et auspicia renovabantur novo magistratu creato. Hoc accidit a. 444 propter *θεοκεμπτα σημεια* (Dionys. 11. 62, cfr. Liv. 4. 7. 3); a. 397 propter *prodigium* (Liv. 5. 17. 2 sq.); a. 392 propter *morbum consulum* (id.

1) Cic. leg. 3. 3. 9: „isque ave sinistra dictus populi magister esto”. — 2) Liv. 9. 38. 14: „nocte silentio, ut mos est — dictatorem dixit”; Dio fr. 36. 26, et passim. — 3) Cic. Deor. nat. 2. 4. 11. — Hanc ob causam Cicero dixit Campum Martium „locum auspicatum” (Rab. perd. 4. 11), et „consularibus auspiciis consecratum” (Cat. 4. 1. 2); cfr. etiam Schol. Cic. p. 369. — 4) Dio 40. 17. 2; 40. 45. 3. — 5) Cfr. Dio 54. 24. 1; Cic. fam. 7. 30. 1. — 6) Vid. p. 233 n. 4.

5. 31. 7); a. 388 propter *religiones* (id. 6. 5. 6); a. 334 propter *pestilentiam* (id. 8. 17. 4); a. 321 propter *cladem Caudinam* (id. 9. 7. 14); a. 223 propter *prodigia* (Oros. 4. 13 et *Zon.* 8. 20 p. 404 A, cfr. *Plut. Marcell.* 4); a. 215 propter *tonitru auditum* (*Liv.* 23. 31. 13 cllto *Plut. Marcell.* 12). Sed etiam nonnumquam hoc factum est propter *verum vitium* quod cum magistratus crearetur in auspicia admissum fuisse postea compertum esset auguribus inquirentibus, veluti a. 162 (*Cic. div.* 2. 35. 75), cfr. *Liv.* 4. 7. 3 a. 444, et *Plut. Marcell.* 4 a. 223. — Ob similes causas dictatores nonnumquam magistratu abacti sunt; a. 327 (*Liv.* 8. 23. 14 sqq.); a. 321 (*Liv.* 9. 7. 14); a. 249 (*Liv.* ep. 19), et saepius.

5°. Comitiorum causa, cum leges a magistratibus patriciis ferrentur, etiam aves consultae esse videntur. Idem factum est comitiorum causa, cum iudicia ab illis haberentur¹⁾.

6°. De censu habendo censores noctu in templo de caelo servavisse, supra ostendimus (pag. 220).

C. Agemus nunc de locis quibus a magistratibus templa aëria fieri et auspicia captari potuerunt.

Auspicia ex avibus partim habita esse in urbe et propius urbem passus mille, partim vero (sed rarissime) extra urbem, satis constare videtur. Exempla huiusmodi auspicio- rum extra urbem captorum imprimis praebentur creationibus nonnullis dictatorum. Nam cum ave sinistra, nocte silentio, dictatores a consulibus dici oportuerit²⁾, cum vero nonnumquam *in castris* dictatores dictos esse sciamus³⁾, patet etiam nonnumquam in castris auspicia huius generis a consulibus esse capta; vid. etiam supr. p. 233 n. 1.

Hinc apparet, non utique templo terrestri (i. e. loco inaugurato) opus fuisse, ut rite aves observarentur; in castris enim loca inaugurata nulla fuisse, per se manifestum est, et infra id etiam confirmabimus. Iam h. l. statuere licet, observationes

1) *Varr.* l. l. 6. 91. — 2) *Cic. leg.* 3. 3. 9. — 3) *Liv.* 7. 21. 9 „dictus in castris”; *Liv.* 8. 23. 13 et 16 „in castris consulis”; *Liv.* 9. 38. 14 et *Dio fr.* 36. 26; *Liv.* 9. 44. 2; *Liv.* epit. 19 et *Suet.* *Tib.* 2; *Liv.* 27. 5.

avium, quae longius ab urbe factae sint, in locis profanis habitas esse.

Sed tamen ne extra urbem quidem omnia loca idonea fuerunt avibus observandis. Hoc enim semper retentum est, in agro Romano tantum observationes haberi et templa aëria fieri posse. Causa erat, quod ager peregrinus careret auspiciis Romanis, et haberet auspicia peregrina¹⁾. Loci auctorum vero quibus illud traditur aut significatur, sunt hi:

1^o. Liv. 27. 5 (a. 210): „(senatus censuit) dictatorem comitiorum habendorum causa dici, et extemplo in provinciam redeundum (consuli). Illa disceptatio tenebat, quod consul in Sicilia se M. Valerium Messallam, qui tum classi praeesset, dictatorem dicturum esse aiebat, patres extra Romanum agrum — eum autem in Italia terminari — negabant dictatorem dici posse”.

2^o. Liv. 27. 29 (a. 208): „Crispinus consul cum legionibus suis Capuam profectus; ad consulem tres legati missi; hi nuntiare consuli iussi, ut, si ad comitia venire Romam non posset, dictatorem in agro Romano diceret comitiorum causa”.

3^o. Liv. 22. 1. 5—7: „quod enim illi (C. Flaminio consuli, qui Arimini magistratum inierat) istum imperium, quod auspicium esse? nec privatum auspicia sequi, nec sine auspiciis profectum in externo ea solo nova atque integra concipere posse”.

4^o. Dio 41. 43. — Sub finem anni 49 a. C., cum Pompeius ad Thessalonicen exercitum haberet, necessarium videbatur Pompeio eiusque consilio, ut consulibus ceterisque magistratibus anni 49, qui Romae magistratum ineuntes legem curiatam non tulissent²⁾, quique hanc ob causam imperio militari carerent, etiamnunc lege curiata lata daretur imperium quod prorogari posset, cum tempus legitimum magistratibus fere peractum esset. Comititia *centuriata* enim ad *novos* magistratus creandos extra urbem rite haberi non posse censebant Pompeiani, neque

1) Varro l.l. 5. 33: „ut vestri augures publici disserant, agrorum sunt genera quinque, Romanus, Gabianus, peregrinus, hosticus, incertus Peregrinus ager pacatus, qui extra Romanum et Gabium, quod uno modo in his sequuntur auspicia. Quocirca Gabianus quoque peregrinus, sed quod auspicia habet singularia, ab reliquo discretus. — 2) Vid. supr. p. 232 n. 3.

hoc temptaverunt; sed legem *curiatam*, cum necessitas urgeret, iam posse ibi rite haberi sibi persuaserunt. Erant quidem quae obstarent; nam proprie comitia curiata haberi non licebat nisi „ubi assoleret” ¹⁾, i. e. in Comitio urbis Romae; atqui modo auspicia recte se habent, neque per auspicia dei interpellarent, iam ab ea norma discedi posse videbatur. Sed auspicia ut rite haberentur providendum erat; neque ea bellica quidem, neque ex extis, sed domestica illa ex avibus quibus ad legem curiatam ferendam opus erat. Huic rei autem facile satisfieri posse censebant, modo agri Romani aliquid suppeteret, in quo templum aërium fieri posset. De templo terrestri faciendo non cogitavisse videntur, quod a. 460 temptaverat consul aliquis ²⁾; revera, quod ad lacum Regillum olim fieri poterat, id in media provincia, in territorio civitatis liberae, facere fas non esse manifestum erat, ut loco alicui peregrino inureretur sempiterna religio, quam in perpetuum tueri nullo modo potuissent augures Romani ³⁾. Itaque cum a. 460 auspicia sine vitio esse non posse censuissent Romani, si de comitiis in loco profano habendis aves consulerentur, nunc statuerunt, modo addicerent aves, se etiam in loco profano auspiciato comitia habituros esse ⁴⁾. Placuit igitur particulam aliquam territorii Thessalonicensis *publicare et in agrum Romanum convertere*, ut in eo possent aves ritu Romano observari; itaque etiam ab ea norma nunc discedi posse videbatur ad quam a. 210 provocaverat senatus, agrum Romanum in Italia terminari (p. 236 sub 1^o). Hoc est quod Dio dicit: *καὶ τὶ καὶ χωρίον ἐς τὰ εὐανίσματα, τοῦ δὴ καὶ ἐν νόμῳ δὴ τινὶ αὐτὰ δοκεῖν γενέσθαι, δημοσιώσαντες, . . . τοῖς δὴ αὐτοῖς ἐκείνοις οἷσπερ καὶ πρόσθεν, ἐχρήσαντο* (ein-

1) Liv. 5. 52. 15. — 2) Liv. 3. 20. 6. — 3) Cic. leg. 2. 8. 21: „augures — templa liberata et effata habento”. — 4) Quaerentes quid semper *auspiciato* fieri posse censuerint Romani, quid *contra auspicia* esse statuerint, semper memores nos esse oportet illius dicti quod Q. Fabio Maximo attribuitur; is enim „*augur cum esset, dicere aumus est, optimis auspiciis ea geri quae pro reipublicae salute gererentur, quae contra rempublicam ferrentur contra auspicia fieri*” (Cic. de Sen. 4. 11). Praeterea nihil contra auspicia fuit, quod non ab aliquo homine (aut magistratu aut augure) penes quem aliqua decernendi aut reprehendendi potestas esset, contra auspicia esse argueretur. Itaque etiamsi constantiae alicui semper studuerint Romani in ratione auspiciatorum, tamen summam constantiam in actinnibus eo pertinentibus non semper exigere debemus, si quid semper factum sit ex certis testimoniis constat.

dem magistratibus hoc anno usi sunt quibus anno superiore), τὰς ἐπωνυμίας σφῶν μόνως μεταβαλόντες καὶ τοὺς μὲν ἀνθυπάτους, τοὺς δὲ ἀντιστρατήγους, τοὺς δὲ ἀντιταμίαις ὀνομάσαντες. His etiam addit Dio, ad Thessalonicen, praeter milites, fere ducentos senatores adfuisse, ὥστε καὶ τὸν δῆμον δι' αὐτῶν τὴν τε πόλιν ἄπασαν ἐνταῦθα εἶναι νομίζεσθαι; et causam totius rei in ea re fuisse dicit, quod lex curiata in urbe lata non esset, αἴτιον δὲ ὅτι τὸν νόμον οἱ ὕπατοι τὸν Φρατριατικὸν οὐκ ἐξενηνόχεσαν¹⁾.

5^o. Servius Aen. 3. 20: „auspicari enim cuivis, etiam peregre, licet; augurium agere nisi in patriis sedibus non licet”. De hoc loco supra egimus (Mnemos. XVII p. 419 sub 3^o), et ostendimus Servium significare, auspicia ex avibus et de caelo in agro Romano tantum observare licuisse Romanis. Cfr. etiam Serv. Aen. 3. 375, et quae ad eum locum adnotavi l. l. p. 421.

6^o. Serv. Aen. 2. 178: „Omina ni repetant: more Romano dixit; nam si egressi male pugnassent, revertebantur ad captanda rursus auguria; hoc servatum a ducibus Romanis, donec ab his in Italia pugnatum est —; postquam vero imperium longius prolatum est, ne dux ab exercitu diutius abesset, si Romam ad renovanda auspicia de longinquo revertisset, constitutum, ut unus locus de captivo agro Romanus fieret in ea provincia, in qua bellabatur, ad quem, si renovari opus esset auspicia, dux rediret”.

Apparet igitur, si extra ordinem in castris et solo peregrino

1) Hic locus Dionis *solus* (nam revera in totis litteris antiquis nihil praeterea invenitur quod afferri possit) adhiberi solet ad confirmandam opinionem illam quam ego extrema parte huius quaestionis inprimis refotandam mihi proposui, *templum terrestre fuisse locum ad auspicia in eo observanda instructum*. Patet autem, opinor, ἐς τὰ εἰρησμοματὰ δημοσιῶν nihil aliud esse quam „locum publicare ad auspicia observanda”, sive „locum publicando idoneum facere in quo observetor auspicia”. Sequitur igitur ut concludamus, locum omnem, modo esset in agro Romano, fuisse ad auspicia observanda accommodatum. De templo terrestri et de inauguratione loci Dio nullam mentionem facit, ne cogitavit quidem Eorum vero, qui contendant Dionem *debere* h. l. de templo terrestri agere, quia id solum sit *χωρὶν ἐς τὰ εἰρησμοματὰ* (haec verba enim perperam coniungi solent), et hanc quidem solam ob causam *χωρὶν ἐς τὰ εἰρησμοματὰ* habendum esse pro templo terrestri, quia Dio id dicit, quam vitiosa sit argumentatio longius demonstrare necesse non est; neque opus est argumentis etiam confirmare, *δημοσιῶν* non esse *inaugurare*, sed *publicare*.

opus esset aves consulere — quod rarissime factum est —, Romanos ita satisfacisse huic necessitati, ut particulam aliquam illius agri Romanum et publicum facerent. Quod quomodo factum sit, optime docuit Mommsen ¹⁾; *fictione* opus erat, et videtur ab imperatore particula agri in quo castra erant publice *assignatus* esse alicui ex militibus, ut is locus ab hoc milite in dominium acceptus simul reciperet proprietatem agri Romani. Exemplum similis fictionis, sed inverso consilio institutae, qua particula agri Romani eadem ratione in peregrinum agrum converteretur, servavit Servius ²⁾.

Verum observationes ex avibus et de caelo, quae in urbe propiusque urbem mille passus haberentur, in templo terrestri factos esse apparet. Saepe enim ab auctoribus nostris *templi* mentio fit in auspiciis urbanis et suburbanis. Arcem, in qua augures auspicabantur, fuisse templum, docet Livius ³⁾. Censores in templo de caelo servavisse tradit Varro ⁴⁾. Tabernacula in quibus domi auspicabantur augures et magistratus, templa minora aut templa etiam dicta esse apparet, quia erant in loco inaugurato posita ⁵⁾. Neque ulla ratio est cur dubitemus, quod in urbe et ad urbem in templo terrestri factum sit, quin id extra urbem in loco profano fieri potuerit et debuerit. Tota ratio templorum terrestrium, ut infra etiam exponemus, quae fuit perantiqua, accommodata est ad eum statum civitatis qui fuit cum exiguis finibus etiam continerentur res Romanae; tum hoc institutum est, ut ne quid publice ageretur nisi in locis sanctis, ab augure terminatis, quae sibi probata et accepta esse per auspicia declarasset Iupiter, quae ab auguribus in perpetuum liberata teneri fas esset. Sed postquam longius extendebantur fines imperii, id teneri tantum potuit in eis actionibus quae domi gerebantur. Dei patrii fere omnes domi colebantur in templis, militiae non item; senatum nisi in templum vocare, comitiis nisi in templo praeesse, ad populum concionari nisi in

1) Mommsen Staatsr. 2³ p. 152. — 2) Serv. Aen. 9. 52; Marq. Staatsv. 3 p. 423 n. 1. — 3) Liv. 1. 18. 9. — 4) Varro l.l. 6. 86. — 5) Fest. p. 64: „caduca auspicia sunt, cum aliquid in templo excidit, veluti virga e manu“. — Serv. Aen. 2. 699: „augures, visis auspiciis, surgebant e templo, uade est *extemplo* adverbium“. — Serv. Aen. 4. 200; Fest. p. 157. — Varro l.l. 6. 91: „auspicio operam des et in templo auspices“.

templo magistratibus non licuit, neque magis auspicia domini nisi in templo recte observabantur. Sed ubi horum aliquid agere necesse erat longe ab urbe, in locis remotis in quibus ut templa sancta et immobilia et perpetua ab auguribus constituerentur neque fieri poterat neque fas erat, locis profanis uti cogebat ratio. Sic magistratus militiae concionaturi, tribunalia sua non ponebant in locis inauguratis, quia nulla erant in promptu; sic a. 49 ad Thessalonicensis consules in loco profano tulerunt legem curiatam, senatus ibi in loco profano consultus est; eodemmodo cum extra ordinem militiae observanda essent auspicia aëria, templo terrestri uti non potuerunt magistratus.

Quae vero fuerint loca inaugurata, quae in urbe et propius urbem mille passus semper ad auspicia consulenda adhibuerint magistratus Romani, parum constat. Nam quod hodie a multis tenetur, auspicia de aliqua actione eodem loco et in eodem templo habenda fuisse, in quo actio ipsa gereretur, cum id memoriae traditum non sit, cum vero refellatur multis gravissimis argumentis quae infra prolaturus sum, id iam hoc loco silentio praeterire nobis liceat. Certus locus autem, in quo auspicia aëria a magistratibus capta sint, unus tantum nominatur; sunt ei horti Scipionis, quos Tib. Gracchus a. 163 tabernaculum cepisse tradit Cicero ¹⁾, qui vero praeterea nusquam memorantur. Hunc locum fuisse inauguratum, verisimile est secundum id quod modo statuimus; eum fuisse publicum, consequitur ex eadem re, cum loca privata ab auguribus liberata teneri non potuerint; neque obstat nomen, ut videtur, nam hoc nomen ei loco fuisse credibile est, quod ibi antea, cum nondum inauguratus esset, hortos habuisset Scipio aliquis. Fuerunt extra pomerium, ab eadem parte urbis qua Campus Martius, nam Gracchum cum ex hortis Scipionis in urbem iisset, deinde ex urbe in Campum se conferret, *rediisse et idem pomerium* transiisse dicit Cicero. Fortasse fuerunt in Colle Hortorum, unde versus Orientem prospectus amplius capi potuisse videtur. — Verum num hic locus diu in usu manserit; num magna praeterea fuerit copia locorum publicorum inauguratorum ex quibus unum sibi eligere possent magistratus; utrum de

1) Vid. *supr.* p. 209 n. 4.

diversis generibus actionum in diversis quoque templis auspicia capta sint, an in uno eodemque de omnibus, ad haec omnia responsum frustra quaerimus. Sed sunt quaedam quae in universon statui posse videntur. Primum, auspicia ex avibus et de caelo a magistratibus semper observata esse videntur in templis quae extra pomerium et urbem sita essent; hoc diserte tradidit Plutarchus¹⁾, et quamvis ea quae Plutarchus illo loco tradidit, ut mox ostendam, partim perturbata sint ipsius ignorantia, tamen huic rei fides esse potest, cum constet eum egregio auctore usum esse, neque adsit ullum testimonium quo non res confirmetur²⁾; accedit quod, quandoquidem postea abunde confirmabimus auspicia non utique in eodem templo capienda fuisse in quo actio gerenda esset, omnis causa ac ratio sublata est cur magistratus interdum in urbe ex avibus auspicatos esse crederemus. Quod vero Festus tradidit (p. 241): „quo anno Romanos imperatores ad exercitum mittere oporteret iussu nominis latini, complures nostros in Capitolio a sole oriente auspiciis operam dare solitos”, et „ubi aves addixissent militem illum qui a communi Latio missus esset illum quem aves addixerant Praetorem salutare solitum”, id cur ad *magistratus* Romanos referas nihil est, et „complures” (quod corruptum videtur) potius ad *sacerdotes* Romanos referendum est³⁾. — Deinde vero apparet, non eiusmodi templa adhibita esse quae haberent aedificium aliquod aut apparatus aliquem perpetuum, sed templa aperta sola auspiciis utilia fuisse. Aedificia enim plerumque impedirent necesse erat, quominus versus Orientem

1) Plut. Marcell. 5: ὅταν ἄρχων ἐκ ὕψους καθεζόμενος, ἤξω πόλεως οἶκον ἢ σκηνὴν μεμισθωμένον . . . κ.τ.λ. — 2) Dion. 2. 6: ἐπαναίξονται. Tac. Ann. 3. 19: „urbe egressus repetendis auspiciis”, supr. p. 227 u. 1. — Cfr. etiam p. 233 u. 1. — Eodem pertinere necesse est verba Servii (Aen. 6. 197: „ager post pomeria vocabatur cūctus, ubi captabantur anguria”), siquidem recte viri docti ita interpretantur voc. *κῶν*, ut accipistur tamquam de loco, non vero de tempore dictum (Marq. Staatsv. 3 p. 409 u. 11, Becker Top. p. 97); ita enim auguria „in agro effato”, „post pomeria”, feri dicuntur, et ad auspicia magistratuum id referamus necesse est, cum satis constat sacerdotes in urbe auspicatos esse. — 3) Quod eam observationem avium in Capitolio factam esse tradit Festus, non obstat, opinor, quominus eam in Arce factam esse credamus. Cfr. Becker Top. p. 387: „Obgleich, wo genauer gesprochen wird, Capitolium und Arx ausdrücklich unterschieden und sich entgegen gesetzt werden, so wird doch auch häufig der ganze Berg Capitolium genannt”.

prospectum caperet magistratus; praeterea paucis illis locis scriptorum, quibus de ea re aliquid memoriae traditum est, magistratus ipse traditur construxisse aedificium aliquod temporarium, tabernaculum scil., graece *σκηνήν* aut *σκήμα* dictum ¹⁾, itaque hoc ad omnes observationes auspiciarum aëriorum pertinuisse verisimile est; atqui hoc in templo *aperto* tantum construi potuit ²⁾. — „Tabernaculum capere” sive „captare”, quod etiam dicitur „templum capere”, est formula sollemnis quae significat: 1^o magistratum aliquod templum terrestre eligere; 2^o eum in eo templo tabernaculum ponere; 3^o eum in hoc tabernaculo auspiciis operam dare. Nomen templi electi ita huic formulae adiungi solet, ut fiat appositio, ad vocabulum „tabernaculum” aut „templum” adiecta; veluti: „hortos Scipionis tabernaculum capere”, „Palatinum templum capere”. Manifestum est, in castris et militiae eam formulam non potuisse adhiberi, cum ibi templa terrestria nulla essent; consul in castris dictatorem dicturus non „tabernaculum (templum) capit”, sed ante tabernaculum suum (praetorium) sedens, e loco profano templum aërium facit. Sed in rebus urbanis haec formula adeo trita fuit, ut Livius ipse levissimo errore inductus ea aliquando abusus sit. Is enim narrat, de origine urbis agens, „ad inaugurandum (i. e. ut ibi auspicia observarentur) a Romulo Palatium, a Remo Aventinum templa capta esse, neque animadvertit, hanc formulam eis rebus et ei statui rerum qui tunc fuit minime aptam esse, quia nulladum esset urbs neque ulla essent loca inaugurata, neque fieri posset ut iam tum in loco inaugurato tabernacula ponerent Romulus et Remus. Sed cum sciamus, vocabulum „templum” semper ab optimis auctoribus ita adhibitum esse, ut is usus e legibus doctrinae auguralis probari non possit et abusus dici debeat (de qua re infra agam), minime mirum est etiam hac in re vim huius vocabuli non diligentis sime a Livio esse perpensam, et tabernacula, quae praeterea in

1) Tabernaculum; Serv. Aen. 2. 178 („tabernacula autem eligebantur ad captanda auspicia”); Cic. deor. nat. 2. 4. 11; div. 1. 17. 33; Val. Max. 1. 1. 3; Liv. 4. 7. 3. — *σκήμα*: Dio 58 5. 7; Plat. Marcell. 5; *σκηνή*: Dionys. 2. 5, Plat. ibid.; cfr. tab. Iguv. VI A 1 et VI A 16: „tremna sorse”: „in tabernaculo sedens”. — De forma tabernaculi postea agemus. — 2) Cfr. etiam Dionys. 2. 5: *στὰς δὲ ὑπαίθερος ἐν καθάρῳ χωρίῳ*. Vid. Mnemos. XVII p. 436.

urbe semper in loco inaugurato fierent et templa essent, semel quoque ab eo esse „templa” dicta quamvis *tum* in loco inaugurato non fuissent ¹⁾).

Formulam „tabernaculum captare” etiam referri ad totam observationis caerimoniam, iam supra monui. Scilicet si in auspiciis aliquid vitii occurrebat magistratui auspicanti, eum „vitio tabernaculum cepisse” dicere solebant Romani ²⁾). Eodem modo, si in aliqua caerimonia vitium factum erat, eam caerimoniam non rite conceptam esse dicebant Romani ³⁾); si augures ex prodigiis vel auspiciis effecerant, magistratum aliquem deis non placere, eum vitio creatum esse dicebant eidem, semper ad initia rei et ipsam originem animum advertentes, ut inde etiam repeterent originem vitii quo tota res laboraret; putabant enim rem ipsam vitiosam esse non potuisse, nisi vitiosum habuisset initium ⁴⁾). Huic rei consentaneum est, quod, si vitium aliquod occurrebat in auspiciis, sive quod auspicia ipsa adversa erant, sive quod forte fortuna aliquid admittebat auspicans quod diligentia adhibita praecavere potuerat, sive in ipsis auspiciis sive postea ante actionem — nam haec omnia aequae *vitia* dicebantur — utique *tabernaculum* ab eo *vitio captum esse* dicebatur. Itaque propter quodlibet vitium instauranda erat tota caerimonia, et novum tabernaculum capiendum ⁵⁾). Hoc

1) Liv. 1. 6. 4. — Eis qui contendunt (ut hodie fieri solet) loca per ipsam observationem auspiciarum in eis habitam, si per augurem fieret, facta esse inaugurata et templa, haec verba Livii multo maiorem difficultatem praebent. Quomodo enim loca, in quibus nondum auspicia observata sunt, quae observatione futura demum templa fient, iam ante initam observationem *templa* a Livio dici possunt? — Ceterum verba Livii clara essent et recte se haberent, si liceret nobis vocabulum „templum” b. l. interpretari tamquam „templum aërium, prospectum”. Sed hoc ne faciamus, vetat similitudo manifesta formulae „tabernaculum capere”. Livius quia hoc loco vocabulum „templa” designaverit loca in quibus tabernacula constituerentur a Romulo et Remo, dubium non esse mihi videtur. Recte a vocabulo „templum” cavendum nunc reliqui auctores; Dind. 1. 85: ἦν δὲ ῥημιόλιον μὲν εἰωνοστάσιον — τὸ Παλατιῶν, ῥώμιον δ' ἡ Ἀστυνοῦς; Serv. Aen. 6. 780: „etiam ad captanda auguria Palatium Romulus tenuit, Aventinum Remus”; Schol. Cic. p. 319: „auspicante Romulo, qui Palatinum ceperat, et Remo qui Aventium”; Sen. dial. 10. 13. 8: „Remo auspicante illa loco”; Gell. 13. 14. 5 (Messa): „in eo monte”; Ael. Hist. Anim. 10. 22; efr. Plut. Rom. 9; Ovid. fast. 4. 817. — 2) Liv. 4. 3. 7 (a. 444): „tertio mense quam inierant, augurum decreto perinde ac vitin erecti honore abiere, quod C. Curtius, qui comitiis eorum praefuerat, parum recte tabernaculum cepisset”. — 3) Liv. 5. 17. 2. — 4) Vid. supr. p. 234 sub 4°. — 5) Id tam solum non valet,

secundum tabernaculum autem priori proximum et in eodem loco inaugurato fuisse verisimile est; neque si secundo tabernaculo opus erat, prius statim destruebatur; nam si in secundo iterum vitium occurrebat, ad primum reverti solebant magistratus et augures¹⁾. — Haec omnia confirmantur eis, quae memoriae tradita sunt de auspiciis a. 163 a Tib. Graccho captis. Vitium enim, quod admisit Gracchus, ei occurrebat cum iamdudum absolvisset auspicia; hac in re consistebat, quod, cum post auspicia absoluta in urbem redisset et senatum habuisset, deinde, ad Campum Martium revertens, omisso auspicio peremni, imprudens ipse everterat vim auspiciorum antea noctu in tabernaculo acceptorum, quae propter vim aquae fluentis (Petroniae amnis) non possent perseverare; attamen hoc vitium ab optimis auctoribus definitur hac formula: „tabernaculum vitio ab eo captum esse”, quamquam proprie vitium minime pertinebat ad tabernaculum, quod iamdudum destructum erat²⁾; et ipse Gracchus ea formula usus est cum de auspicio peremni omisso postea ad augures scriberet³⁾. — Sed Plutarchus, cum totam rem non satis intellexeret, res misere turbavit. Nam cum recte ab auctore suo latino quem secutus est didicisset, Graccho fuisse *instauranda* auspicia postquam vitium ad pomerium ei obvenerat, et *novum* tabernaculum ei fuisse capiendum si auspiciato comitia habere vellet, Plutarchus inde perperam deduxit, vitium illud in ea re constituisse, quod Gracchus, ex urbe reversus, ad *idem* tabernaculum rediisset, et in eo *bis* operatus esset⁴⁾; atqui hoc falsum est, nam Gracchus non ad

si de *comitiis habendis* auspicia capiebantur aut capta erant, et vitium quod occurrebat erat fulmen aut *vixum* aut *annatum*; tum auspicia eo die instaurare non licebat, quia fulmine tutus dies vitinatur (Dio 38. 13. 3). Sed vis prohibens fulminis non longius pertinebat quam ad *comitia* (Cic. div. 2. 18. 43 et 2. 35. 74). — 1) Serr. Aeu. 2. 178: „in constituendo tabernaculo si primum vitium captum esset, secundum eligebatur; quodsi et secundum vitium captum esset, ad primum reverti mos erat. Tabernacula autem eligebantur ad captanda auspicia”. — 2) Cic. div. 1. 17. 33: „Gracchus cum tabernaculum vitium cepisset imprudens, quod inauspicatu pomerium transgressus esset, comitia consulibus rogandis habuit”. Val. Max. 1. 1. 3: „significabat Gracchus, se — animadvertisse vitio tabernaculum captum comitiis consularibus. — 3) Cic. deor. nat. 2. 4. 11: „e provincia litteras ad collegium misit, ac, cum legeret libros, recordatum esse, vitium sibi tabernaculum captum fuisse hirtos Scipionis, quod, cum pomerium postea intrasset habendi senatus causa, in redeundo eum idem pomerium transiret, auspicari esset ublitus”. — 4) Plut. Marcell. 5:

tabernaculum suum rediit — auspicia sua enim absoluta esse putabat — sed ad Campum Martium ut ibi comitiis praesesset; nos hoc a Cicerone accipimus. Id autem quod ab auctore suo cognoverat de auspicio peremni a Graccho omissio, consulto praeteriisse videtur Plutarchus quia id non intellegebat. Inde etiam in reliqua, quae in universum tradidit Plutarchus, de instaurandis auspiciis et de novo tabernaculo captando, error irrepsit; Plutarchus enim, exemplo auspiciorum Gracchi, quod ipse perverse interpretatus erat, in errorem inductus, ea quae ab egregio auctore suo de his rebus acceperat, corripit, et causam cur semper instauranda essent auspicia non *in vitio admissio*, sed *in reditu ad urbem* inesse putavit ¹⁾. Itaque is male se implicavit erroribus. Sed tamen, ut fieri solet, eius verba perversa prae se ferunt certissima vestigia optimi auctoris cuius sententiam male rettulit, quod facile agnoscimus si ea comparamus cum testimonio Servii quod modo (p. 244 n. 1) attuli; et ita fore ea supplere et emendare possumus: ἔταν ἄρχων ἐπ' ὄρησι καθεζόμενος ἐξω πόλεως οἶκον ἢ σκηνὴν μεμισθωμένος [εἰς ἀμάρτημά τι ἐμπέση, ὥστε τὰ σημεῖα αὐτῷ μὴ γενέσθαι βέβαια], ἀφεῖναι χρῆν τὸ προμεμισθωμένον οἴκημα καὶ λαβεῖν ἕτερον, ἐξ οὗ ποιήσεται τὴν θέαν αὐθις ἐξ ὑπαρχῆς. Quod autem vocabulum „captare” graece expressit Plutarchus per vocabulum *μισθούσθαι*, ne hoc quidem recte factum videtur; nam etiamsi verisimile est magistratus semper a privato aliquo in annum conduxisse palos et lintea tabernaculis necessaria (nisi forte praestat suspicari, ea in quinque annos a censoribus magistratibus praebenda locata esse), tamen dubium non esse videtur quin cura tabernaculi in templo quod elegerant semper exstruendi fuerit relicta

τοῦτο ἔλαβεν ὡς ἔοικεν τὸν Τιβέριον, καὶ δις τῇ αὐτῇ (οἰκίᾳ) χρησάμενος ἀπίδειξε τοὺς εἰρημένους ἄνδρας ὑπάτους. Hic locus ambiguus est qui afferri possit ad confirmandam opinionem, actionem auspiciato gestam esse in eodem templo in quo auspicia capta essent — atqui hic locus est manifeste et omnium consensu errore inquinatus, neque a viris doctis afferri solet. Praeterea hoc certissime constat, magistratus enim in Campo Martio comitiis praesessent non in *tabernaculo*, sed in *tribunali* versatos esse, vid. infr. — 1) Plut. Marcell. 5: ἔταν ἄρχων ἐπ' ὄρησι καθεζόμενος ἐξω πόλεως οἶκον ἢ σκηνὴν μεμισθωμένος ὑπ' αἰτίας τινὸς ἀναγκασθῆ μήπω γεγονότων σημείων βεβαίως (i. e. enim auspiciam *ἐπιμίσθω* non esset) ἐπανελθεῖν εἰς πόλιν, ἀφεῖναι χρῆν τὸ προμεμισθωμένον οἴκημα, καὶ λαβεῖν ἕτερον ἐξ οὗ ποιήσεται τὴν θέαν αὐθις ἐξ ὑπαρχῆς. Τοῦτο ἔλαβεν ὡς ἔοικεν τὸν Τιβέριον κ.τ.λ.

ipsis magistratibus, et quin ipsi accensis suis aut servis semper imperaverint ut tabernaculum iusto loco ponerent.

Ad haec quae diximus de locis, etiam pauca addenda sunt; quaerendum enim est numquid in ratione observationis valuerit locus quo observaretur; inprimis hoc quaerendum est, utrum prorsus eadem ac similes fuerint observationes si intra pomerium haberentur et si extra pomerium in agro effato (vid. pag. 241 n. 2), an aliquod fuerit discrimen. Iamvero inter urbem et agrum hoc interesse statim apparet, agrum esse infinitum, cum eius fines tam longe remoti sint ut in auspiciis non compareant, urbem vero esse locum finitum, qui habeat fines effatos¹⁾. Finis urbis autem est pomerium. Hoc pomerium aliquid valuisse in observationibus urbanis, cum per se verisimile est, tum vero diserte traditur; pomerium dicitur finem facere urbani auspicii²⁾. Quid hoc significet, obscurum non est; significat enim, prospectum sive templum aërium eius qui in urbe observet, finiri et circumscribi linea pomerii. Hoc confirmant tabulae Iguvinae, cum iubeant auspicari „urbicis finibus”. In eis enim hoc legimus: „eine todecir tuderus seipodruhpei seritu”, i. e.: „et urbicis finibus utroque vorsum servato”³⁾; „fines urbicos” id ipsum esse quod *pomerium* dixerint Romani, omnes nisi fallor consentiunt; „urbicis finibus servare” significat: „observare aves, pomerii tamquam finis templi aërii ratione habita”. — Quicumque Romae intra pomerium auspicabatur (quod cadit in Augures, in Arce auspicantes, et, ut videtur, in pontifices)⁴⁾, ab omnibus partibus circa se habebat hanc lineam pomerii, et ab Orientali parte, versus quam directus erat, huius lineae partem certam facile conspiciebat, si interdum observabat. Necesse igitur erat, omnia signa, quae conspiceret, ei apparerent et esse ei viderentur aut supra (quod idem est ultra) hanc lineam pomerii, aut infra (quod idem est citra) eam. Pomerium, quod definiebat eius templum aërium, simul dividebat templum aërium in duas ingentes partes, quarum altera erat superior et aëria et caelestis, scaena

1) Gell. 13. 14. 4. — 2) Gell. 13. 14. 1; cfr. Varr. 1. 1. 6. 53; Serv. Aen. 6. 197. — 3) Tab. VI A 11 et VI B 48, cfr. Buecheler Umbrie. p. 47 et 87. — 4) Fest. p. 248: „posimerium pontificale, pomerium, ubi pontifices auspicabantur”.

signorum aëriorum et caelestium¹⁾, in qua etiam aves apparebant quae „praepetes” dicebantur; quarum vero altera erat inferior et terrestris, scaena signorum urbanorum, in qua aves quae apparebant dicebantur „inferae”²⁾. Pomerium in observationibus urbanis non hoc valebat, ut finem designaret ultra quem prospicere non liceret; talis finis enim esse non potest, neque qui prospicit prospectui suo finem sibi adversum ex arbitrio constituere ullo modo potest; sed hoc valebat, ut separaret signa terrestria et urbana (aves inferas) a signis aëriis et caelestibus (avibus praepetibus et fulminibus). Hic finis autem auspicii urbani, qui pomerium dicebatur, semper omnibus qui in urbe auspicabantur idem erat et perpetuus, itaque qui in urbe templum aërium faciebat, eum finem de integro semper verbis constitueret et effaretur necesse non erat; satis fecerat, si conceperat et nuncupaverat et deis ostenderat fines templo aërio suo a dextra et a sinistra parte constitutos, et lineam versus Orientem (ad „punctum contra”) ductam qua templum aërium suum dividebat in partem dextram (anticam) et sinistram (posticam) (vid. Mnemos. XVII p. 286); quod ipsum in tabula Iguvina Sexta dicitur „utroque versum servare”, i. e., ratione habita partis dextrae et sinistrae templi aërii”, et in Prima ita: „observare anticis posticis”, i. e. partibus dextra et sinistra constitutis observare³⁾. Hanc ob causam pomerii, quo omne templum aërium in urbe factum ultro dividebatur in partem superiorem (aëriam) et inferiorem (urbanam, terrestrem), mentionem

1) Hanc ob causam, quia omnia signa caelestia quae in urbe conspicerentur, supra lineam pomerii apparerent necesse esset, Varrum pomerium etiam dicere potuit „finem auspicinrum caelestium” (l. l. c. 53). — Fulmina si recto ictu terram pulsare videbantur prope ab eo qui observabat, et omnium si infra finem quo res terrestres a rebus caelestibus dividi videbantur apparebant, quae dicebantur *terreusae*, et e terra erumpere erodebantur, propter locum etiam dicebantur *infera* et *infernae*, Plin. 2. 139 sq., Sen. Q. N. 2. 49. 3. — 2) Serv. Aen. 3. 361: „praepetes sunt, quae secundo auspicio ante eum volant, qui auspicatur. Aves autem aut nocines sunt aut praepetes. Oscines quae re futura praedicunt, ab eis et cano; praepetes quae vnlato augurium significent, cum sunt prospera. Sed praepetes aut superiora tenent, et praepetes vocantur; aut inferiora, et dicuntur inferae; praepetes aut ideo, quia omnes aves superiora petunt volantes, vel a graeco *πέρηται* i. e. vnlant” — Gell. 7. 6. 10. — Plin. 10. 65 dicit: „coturnices esse terrestres partus quam sublimes”. — De fulminibus inferis et infernis vid. adnot. 1. — 3) Tab. VI A 11: „scipodrubpei scritu”; tab. I A 1 „pernaies pusnaes”, et tab. I A 11 „pernaiaf pustuaiaf”.

non fecit neque facere debuit Varro cum de templo aërio in Arce constituendo ageret et formulas traderet (Mnemos. XVII p. 278 n. 1). — Quod autem statui, pomerium esse lineam quae cum quis in urbe auspicaretur separaret signa aëria (aves praepetes) a signis inferis, id imprimis confirmatur tabulis Iguvinis. Verba quae leguntur VI A 15 (Buech. p. 49): „hondra esto tudero, porsei subra screihtor sent, parfa dersva, curnaco dersva seritu. Subra esto tudero peico mersto, peica mersta seritu”, i. e.: „*infra istos fines qui supra scripti sunt, parram prosperam, cornicem prosperam servato. Supra istos fines picum legitimum, picam legitimam servato*”, haec verba Buecheler optime rettulit ad distinctionem illam avium *praepetum* et *inferarum*; atqui „fines isti qui supra scripti sunt” sunt fines urbici sive pomerium; quodcumque supra (item ultra) eos apparet, est aërium et caeleste, quodcumque infra (item citra) eos videtur, est terrestre et urbanum sive inferum. Huius finis diligenter ratio habenda videbatur in auspiciis; hanc ob causam in tabulam Iguvinam Sextam¹⁾ consulto inserta sunt formulae et verba concepta, quibus tractus pomerii definiebatur et effabatur (non totus, ut videtur, sed a parte Orientali), ut eius formulae in auspicando memor esset sacerdos, tum cum aves praepetes ab inferis essent distinguendae²⁾; in tabula Prima haec non item leguntur. — Verum huiusmodi finis templi aërii, qualem in urbe auspicantibus praebebat pomerium, nullus alius praesto erat eis qui in agro effato, extra urbem, tabernaculum posuerant, nisi is quem praeberet horizon. Itaque ab his distingui non potuerunt aves praepetes ab inferis nisi secundum hunc horizontis finem. Id ipsum autem egregie confirmatur hac re, de qua mox agemus, quod magistratus extra urbem auspicantes noctu semper auspicari solebant, et saepe nullam eis utilitatem praebere poterat finis templi aërii; noctu enim avium praepetum et inferarum iam per se distinctio nulla haberi potuit, neque, etiamsi certus finis auspicii agrestis fuisset,

1) Tab. VI A 12—15. — 2) Tabula Sexta igitur clarissima voce clamat nosque admonet, ut diligenter distinguamus iuter templum aërium, quod defuitur pomerio, et templum terrestre in quo versatur sacerdos, quod in eadem tabula antea (tab. VI A 8—12) descriptum et verbis conceptis definitum est.

tenebrae nocturnae passurae fuissent observari tractum illius finis et lineae.

D. De tempore quo observationes habitae sint, in universum valet quod a multis traditur, eodem die, quo auspicato agendum esset, observationem auspiciorum habendam fuisse; unius diei spatio amplius perseverare non posse credebantur auspicia, et hac re imprimis a reliquis auspiciis differebant auspicia illa de lege curiata ferenda (supr. p. 221—233), et de magistratu creando (supr. p. 234) capta, quod haec sola praeterea etiam vim haberent multo longius pertinentem, quae non ante amitteretur quam deponeretur ipsum imperium aut magistratus. — Dies autem ita definebatur in auspiciis, ut a media nocte initium capiens, media nocte proxima finiretur ¹⁾.

Observationes a magistratibus reipublicae causa habitae, cum quae ex avibus tum quae de caelo fierent, nocturnas omnes fuisse verisimile est. Dictatores utique noctu fuisse dicendos, iam supra animadvertimus ²⁾. Censores noctu auspicatos esse tradit Varro ³⁾. Comititia quae saepe cum prima luce instituebantur ⁴⁾, non sinebant ultra initium primae horae differri tempus auspiciorum. — Magistratus autem superiore vesperi, ut videtur, electo templo terrestri suburbano ubi auspicaretur, in eum locum efferre iubebat ministros suos omnia quibus opus esset ad construendum tabernaculum et ad auspicandum, palos, lintea, funes, cubilia, sellam solidam ⁵⁾. Cum autem iam ipsa ratione qua tabernaculum poneretur, qua pali figerentur, qua unum latus ad ostium sive introitum ibi faciendum designaretur, simul necessario definirentur directio quam habiturus esset auspicans et totum eius templum aërium, necesse erat, magistratum, antequam ad opus accedere iuberet ministros, id primum peragere quod „templum (aërium) effari” dicebatur; scilicet in loco electo versus Orientem stans, recitabat formulas sollemnes non paucas serie longa continuatas, quas ei praebat

1) Gell. 3. 2. 9 sq.; Macrob. Sat. 1. 3. 7; Censor. d. d. n. 23. 3 sq.; Plat. Qu. Rom. 84. — 2) Dio fr. 36. 26: *νυκτὸς γὰρ πάντως ἐκ τῶν πατρῶν τὸν δικτάτορα ἔδει λέγεσθαι*. Dionys. 11. 20: *περὶ μέσας νύκτας — πρὶν ἡμέραν γενέσθαι*. Liv. 9. 33. 14. — 3) Varro l. l. 6. 86. — 4) Cic. Att. 4. 3. 4; Dio 39. 65. 2: *οὐκ ἔξδον ἐκ τῶν νόμων, πρὶν πρώτην ἕραν γενέσθαι, ἐν τῇ δέμῳ τι χριματισθῆναι*. — 5) De sella cfr. Fest. p. 347, cfr. p. 293.

et subiciebat pullarius, quarum summam his verbis rettulit Livius: „*inde, ubi prospectu in urbem agrumque capto deos precatus regiones ab Oriente ad Occasum determinavit, dextras ad meridiam partes, laevas ad Septemtrionem esse dixit, signum contra, quoad longissime conspectum oculi ferebant, animo finivit*”; de his supra egimus Mnemos. XVII p. 284. His formulis recitatis, ministrum iubebat primum figere et loris vel funibus inter se iungere duos palos qui definirent frontem tabernaculi, deinde ad reliquum opus aggredi. Ita templo aërio effato, simul tabernaculum ipsum quoque *effatum* esse dicebatur ¹⁾. Perfecto tabernaculo, cubilibus (duobus, ut videtur) paratis, sella iusto loco posita, magistratus cubitum ibat, quod idem, ut videtur, faciebat eius administer, pullarius ²⁾. Quam diu dormire ei licuerit, auctores non definiunt, neque accurate constitutum fuisse videtur, modo ne quidquam observaret antequam „dies” inciperet, i. e. ante mediam noctem, et tamen satis mature e lecto surgeret, ut etiam ante lucem inire posset observationem. Vulgo „post mediam noctem” surgendum ei fuisse tradunt auctores ³⁾; inde deducendum est, id, quod minus accurate scripserit Dionysius „*περὶ τὸν ἕρθρον ἀνιστάμενοι*” ⁴⁾, non esse premendum, sed referendum esse ad tempus matutinum quod esset ante exortum solis. Ad tempus nocturnum et tenebras utique pertinent praecepta quae fuerunt de laternis in tabernaculo adhibendis, quae servavit Plutarchus, quas apertas haberi oporteret sine operculo, quia flamma omnibus aëris motibus exposita ipsa sua tranquillitate documento esse deberet omnia esse quieta et silentium obtinere ⁵⁾. Observationem etiam debuisse absolvi antequam diluxisset, cum de dictatore dicendo aves consulerentur, constat; dictatorem enim non nisi nocte dici fas erat; sed reliquas observationes non utique, si tempus ad rem agendam constitutum sineret (p. 249 n. 4), hoc fine fuisse circum-

1) Serr. Aen. 4. 200: — templum dicunt — quod palis aut hastis aut aliqua tali re et liateis aut loris aut simili re saeptum est, quod effatum est: amplius in eo uno exitu esse nun oportet, cum ibi sit cubiturus auspicius. — 2) Serr. l. l.: — cum ibi sit cubiturus auspicius”; Dian. 2. 6 *ἐκκαλιζονται*. — 3) Gell. 8. 2 10: „post mediam noctem”; item Macrob. 1 3. 7 et Fest. p. 348; Fest. p. 347: „mane surgens”, quod idem saepe apud Livium legitur „ariens (i. e. surgens) nocte silentium”, 8. 23. 15. — 4) Dionys. 2. 6; id 2. 5: *περὶ τὸν ἕρθρον ἐκ τῆς σκηνῆς προῆλθε*. — 5) Plot. Q. R. 72.

scriptas, verisimile est; sic apud Ennium cum aves appareant Romulo auspicanti, „simul aureus exoritur sol” ¹⁾. Sed poterat etiam antea recte absolvi observatio, et licebat etiam in lectum reverti et somno denuo se dare magistratui, quod tamen necessarium non fuisse traditur ²⁾.

Haec igitur quae attuli, pertinent ad consuetudinem quam habuerunt magistratus Romani; sed etiam quaerendum est quid tempus quo observaretur valuerit in universa ratione observationis, et quatenus ipsa ratio observationis postulaverit certum tempus. In ea quaestione autem diligenter distinguendum est inter observationes avium et signorum caelestium.

Observationes avium etiam luce recte fieri potuisse, ostendunt observationes a sacerdotibus institutae, quas partim quidem nocturnas fuisse ³⁾, partim vero magna luce factas esse apparet. Observationis avium diurnae exempla praebent Livius ⁴⁾ et Festus ⁵⁾; etiam quae in tabulis Iguvinis de lustratione arcis et populi factae memorantur, quas instaurari oportebat si propter vitium aliquod repetendum erat totum sacrificium, quia diurnae fuerint dubium non est. — Observationes nocturnae autem a diurnis specie et ritu aliquatenus diversae fuerint necesse est. Noctu enim, etiamsi non semper, attamen saepe, nullus usus fuit oculorum; fuerint aliae noctes clarae, lunae aut stellarum splendore aliquantum illuminatae, constat multas quoque fuisse quibus is qui in tabernaculo sederet, laterna aegre collustrante penetrabilia tabernaculi, prorsus nihil posset ulterius prospicere; atqui patet, secundum necessitates eiusmodi noctium tenebrosarum temperari debuisse ritum auspiciorum nocturnorum. Aves autem quibus in auspiciis impetritis uti solebant Romani ⁶⁾, quarum vix ullas fuisse crediderim praeter *picum*, *parram*, *cornicem*, *corvum* ⁷⁾, non omnes quidem *alites* fuerunt, sed omnes *oscines* ⁸⁾; quod idem fere cadit in reliquis aves quarum ratio

1) Auu. vs. 89. — 2) Fest p. 348. — 3) Cfr. p. 250 o 5 — 4) Liv. 4 18. — 5) Fest. p. 241: „complures nostros in Capitolio a sole oriente auspiciis operam dare solitos”, vid. supr. pag. 241 n 3. — 6) Cic. div. 2. 36. 76: „eos admodum paucas avibus utimur, (externi) omnibus fere avibus utuntur”. — 7) Cfr. supr. Muemos. XVII p. 315 — Plin. 10 40 sq. „pici Martio cognominis iostigoes et io auspiciis magis...; ipsi principales Latii snot in auguriis”. — 8) Fest. p. 197: „oscines aves App. Claudicae esse ait, quae ore euentes faciant auspicium, ut corvus

frequenter habenda erat tamquam signa oblativa edentium¹⁾; itaque ex auditu solo facile definiri potuerunt cum genera avium, tum loca (dextra et laeva) quibus sedentes vel praetervolantes sonum ederent. Sed avium praepetum et inferarum vix ullam certam distinctionem haberi potuisse in observationibus nocturnis, apertum est. Hanc ob causam, quod iam supra monui, magistratibus auspicantibus extra pomerium, ubi certus finis auspiciorum inferorum et aëriorum non erat praeter eum quem praeberet horizon, eiusmodi finis, si fuisset, nullam utilitatem praebere potuisset. — Omnino, si rationem habemus tenebrarum nocturnarum, observationes nocturnas diurnis aliquanto simpliciores et faciliores fuisse apparet. In cognoscendis et nomine aut genere definiendis avibus non rogatis, si quae forte tacito advolarent, operam collocare opus non erat; sonitus avium tantum aliquatenus dignoscere, aut, si certo dignosci non poterant, ex animi sententia interpretari oportebat auspicantem; exigua erat copia rerum quarum ratio erat habenda. Hinc factum esse videtur, ut in observationibus nocturnis plurimum tribueretur silentio, i. e. absentiae omnis vitii²⁾, et tantum quidem ut auspicium liquidum haberi posse putaretur, modo silentium servatum esset, etiamsi signa rogata impetrata non essent. Dionysius quidem hoc ad observationes fulminum rettulit³⁾. Sed cum is eo loco a re de qua agit (auspiciis de magistratu quotannis captandis) aberrans, nonnulla temere composuerit quae proprie eo non pertinerent, ut ostenderet, negligentiam auspiciorum universorum apud Romanos percubuisse, licet nobis etiam ad aliam rem referre quod de fulmine scribit: *οἱ μὲν αὐτὸ τοῦθ' ἱκανὸν ὑπολαμβάνοντες εἶναι τὸ μηδένα γενέσθαι τῶν ἐναντιουμένων τε καὶ κωλυόντων οἰωνῶν — ἀπέρχονται*, quod a signis caelestibus prorsus alienum est. Quod autem Festus

corvix noctua; alitea quae alia se volata, ut bateo saequalis aquila immutata vulturans. Piceus autem Martius Feroniasque et parra et in osciibus et in alitibus habentur". — Hor. Od. 3. 27. 11: "oscinem corvum prece suscitabo". — Cfr. Cic. fam. 6 6 7; Plin. 10. 43; Varro ll. 6 76. — 1) Fest. p. 197 *noctuum* nominat; *δαδονem* Plinius 10. 34 (".maxime abominatum publicis praecipue auspicis"); cfr. *soricea* quorum occentum memorat Plin. 8. 223; Plin. 10. 33: "pessima *corvorum* significatio, eam gluttiunt vocem velati stragulatam", Dio 58. 5. 7. — 2) Fest. p. 848: "hoc enim est . . . silentium, omnis vitii in auspiciis vacuitas". Cic. div. 2. 34. 71: "id enim silentium dicimus in auspiciis, quod omni vitio caret". — 3) Dio. 2. 6.

tradit de vi prospera silentii, quod qui observaverit, nihil a deis se prohiberi censeat quominus rem gerat ¹⁾, id in observationibus avium valuisse ostendit Livius, qui de dictatore dicto agens silentii tantum mentionem facere solet ²⁾, et vocabulum „silentio” adhibet eodem sensu quo „ave sinistra” Cicero ³⁾.

Verum in observationibus signorum caelestium multo plus etiam valebat tempus quo haberentur. Nam si quaerimus utrum fulminis genus magis aptum fuerit observationibus signorum *impetritorum*, ex legum dictione habendis, nocturna an diurna fulmina, mihi videtur horum tantum fuisse discrimen, ut fulmina diurna omnino nullo modo possent impetrari, et omnes observationes fulminum impetritorum necessario nocturnae essent. Primum argumentum huiusmodi est. Qui nostra aetate indagaverunt, quam crebra essent in urbe Roma fulmina, ostenderunt numerum dierum quibus hodie singulis mensibus fulmina fierent in urbe, pro rata portione fere non maiorem esse quam *septem*, multis mensibus vero minorem ⁴⁾; hinc apparet, qui die constituto fulmen *diurnum* a deis petat, quam nullam spem habeat revera impetrandi. Verum longe alia res est, si etiam rationem habemus fulgurum nocturnorum, quae sine tonitru in horizonte apparent, creberrima in terris meridionalibus. Horum fulgurum ratione habita, nihil est, ut videtur, cur credas fulmine impetrato cum fide et religione non potuisse uti magistratus Romanos; at noctu tantum eorum ratio haberi potuit. Fulmina nocturna igitur cum fide impetrari potuerunt, diurna minime potuerunt. Itaque qui mihi concedere nolit, Romanos *noctu* solum de caelo auspicatos esse, statuat necesse est Romanos eo tempore, cum primum de caelo auspicari coepissent, tam prorsus deposuisse omnem deorum reverentiam, aut, quod potius dixerim, eos tam stolide coniunxisse pessimam superstitionem cum

1) Fest. p. 351: „Sinistram in auspicando significare ait Ateius Capito laetum et prosperum auspicium, at silentium, ubi dumtaxat vacat vitio. Igitur „silentio surgere” cum dicitur, significat, non interpellari quominus rem gerat”. — 2) Liv. 8. 23. 15; 9. 38. 14; cfr. Mommsen Staatsr. 1^a p. 98 n. 1. — 3) Cic. leg. 3 3. 9. — 4) Nissen Italische Landeskunde p. 393 sq. Ex observationibus ab eo allatis, per novem annos factis, apparet dies quibus tonet, quorum in singulos annos cadunt 43. 07, pro rata portione ita fere per singulos menses esse distribuendos: Ian. 0.73; Febr. 2.19; Mart. 3.285; April. 2.555; Mai. 2.92; Iun. 6.205; Jul. 5.475; Sextil. 5.11; Sept. 6.935; Oct. 4.38; Nov. 1.835; Dec. 1.46. — Cfr. etiam Plin. 2. 136.

summa impudentia — quid enim attinebat auspicia instituere quae nulla esse crederent? — ut signum impetrare publice iuberent magistratus suos, quod impetrari non posse probe scirent, quod sine publica aliqua fraudis manifestae approbatione fieri non posset. Nam longe aliud est statuere, Romanos tantum tribuisse fidei et auctoritati magistratuum suorum, ut eis *potestatem* auspicioꝝ darent et copiam praeberent aut accuratissime obsequendi religioni aut, si mallent, ex arbitrio fingendi signi quo carere nollent; hac potestate auspicantis enim continetur tota ratio auspicioꝝ; longe aliud vero est credere, Romanos ausos esse publice magistratus suos *cogere* uti signis commenticiis. Quin etiam qui mecum facere nolit, statuatur necesse est, id, quod recentiore aevo fieri potuisse incredibile sit, ut fulmen *diurnum* pro impetrato haberetur, id admissum esse ab ipsis priscis Romanis, viris imbutis antiqua religionis reverentia. Nam consuetudo fulminis impetrandi, quam ad Romulum de regno auspicantem rettulit Dionysius ¹⁾, quam vero, quod plus valet, consules magistratum ineuntes quotannis exercuisse, censores de censu auspicantes e quo primum censura instituta esset secutos esse noverimus, quin fuerit perantiqua neque recentior quam fuit tota ratio auspicandi in templo aërio etiam ex avibus, dubium non est. Illud igitur ne factum esse credamus, utique concedendum est fulmen diurnum numquam fuisse impetratum. Nam fulmen nocturnum, ut dixi, salva fide et religione pro impetrato haberi potuit; accedit quod eae actiones, de quibus gerendis Romanos de caelo auspicatos esse novimus, minime affixae fuerunt diebus constitutis, et facile differri potuerunt. Census quin antiquitas dilatus sit, si verum fulmen in tabernaculo non observasset censor, nihil est quod dubites; magistratus designati autem, quibus *kalendis* aut *idibus* ineundi essent honores, etiam diem ineundi differre potuisse si religione impedirentur quominus opportune aliquid fingerent, inde apparet, quod per multa saecula certus dies huic sollemnitati constitutus non fuit, et frequentissime dilatus est dies ineundi ²⁾. — Secundum argumentum hoc est; cum constet recentiore aevo, tempore Ciceronis et paulo ante, magistratus turpiter abusos

1) Dion. 2. 5. — 2) Cfr. Mommsen Röm. Chronol. p. 86—103.

esse potestate auspiciorum sibi concessa, eosque falsis nuntiati-
onibus administratorum non solum acceptis et probatis, sed etiam
ultra excitis, adulteravisse totum hoc genus auspicandi¹⁾, id
ipsum probat, observationes fulminum impetritorum nullas fuisse
nisi nocturnas, cum observatio diurna excludat omnem eiusmodi
fraudem. Fulmina diurna ementiri nemo potest, cum, si die
aliquo de caelo interdiu nihil evenit, id non possit occultum
aut dubium manere, et superior sit conscientia multorum; ful-
gur nocturnum vero fingi potest, cum id factum non esse fere
nemo sciat, et cum omnes noverint id crebro apparere sine
tonitru. Hoc autem tolerari potuit, auspiciorum quorum penes
ipsum magistratum solum esset *observandi* potestas, etiam penes
eundem esse *fingendi* potestatem; utramque potestatem *unam
eandemque* esse (neque solum in signis caelestibus, sed in omni-
bus auspiciis), recte intellexerunt Romani²⁾; quod sacerdotibus
et privatis interdixerunt iure de caelo auspicandi (vid. Mnemos.
XVII p. 444 et 448), fere hoc valuit, ut eis interdicerent
potestate *fingendi* fulminis, i. e., ut eis non concederent *nuntia-
tionem cogentem* et ius postulandi ut de fulmine ipsis *crederetur*,
nam ius fulminis videndi et tonitrus audiendi certo eis ademptum
non est; tam plenam libertatem vero magistratibus suis con-
cesserunt Romani, ut etiam (quod paullo postea tangam) ad
oblativa fulmina eam transferrent, utque paterentur, qui dice-
rent se in animo habere aliqua nocte futura ex oblativis de
caelo auspicari („de caelo servare“) ut comitia prohiberet, simul
eum dicere, si vellet et auderet, se ea nocte fulmen conspec-
turum esse („de caelo se servaturum esse“) ³⁾; sed hoc num-
quam, opinor, concessuri fuissent Romani, nisi eiusmodi esset
hoc signum de caelo, ut revera utrum apparuisset necne a b
auspiciantibus solis posset cognosci, quod in fulmen noc-
turnum solum cadit.

1) Dion. 2 6: ἀστραπήν — τὴν αὐ γινεομένην. — 2) Haec est causa manifesta,
car in auspicio pullario numquam, ut in auspicio caelesti, potestas *fingendi*
sit concessa magistratibus (cfr. Liv. epit. 19 et Suet. Tib. 2; Cic. nat. deor. 2. 3 7;
div. 1. 35. 77, Sere. Aen. 6. 198), et, si forte aliquando, quod nescimus, a magistratu
et pullario usurpata est, tamen *aperte* et *omnium consensu* numquam adhibita est,
quod in eo auspicio potestas *observandi* non fuit penes magistratum et pullarium
solos, sed quod coram exercitu hoc auspiciam observari ex antiqua consuetudine
oportebat, vid. supr. p. 213 n. 1. — 3) Cic. Phil. 2. 32. 81; Cic. Att. 4. 3. 3.

E. Quaerendum nunc est, num ad observationes auspicioꝝ lituum a magistratibus adhibitum fuisse dicendum sit necne.

Fuerunt qui hoc omni pignore negandum esse censerent; non quod obstarent testimonia auctoꝝ, neque quod rem per se gravissimam esse existimarent, sed quod rationem id postulare putarent. Nam recte perspexerant, partem illam exiguam caerimoniarum sacrarum et auguralium quam reipublicae causa magistratibus attributam et impositam esse scirent, quae non longius pertineret quam ad ea quibus ad *auspicato agendum* careri omnino non posset, sedulo distinguendam et separandam esse a reliquo genere actionum et caerimoniarum sacrarum, diffuso et multo difficiliore, quod consisteret in disciplina recondata sacerdotali. Atqui putaverunt, si lituum magistratibus concederent, in hac ratione templorum et auspicioꝝ vix quidquam superesse quo differre dicerent officium magistratuꝝ ab officio et potestate auguꝝ. Nam cum templa aëria a terrestribus distinguere non solerent, cum vero tenerent opinionem hodie vulgatam, loca omnia profana per ipsam auspicandi caerimoniam *in eis* ab auguribus actam ultro templa fieri, cum denique scirent etiam magistratibus eandem auspicandi caerimoniam peragendam saepe fuisse, sed tamen ab his *non* potuisse loca profana in templa converti (inaugurari), quaerebant quid tandem interesset inter observationes ab auguribus habitas, per quas templa constituerentur, et observationes a magistratibus factas per quas templa constitui *non* possent; neque aliud quidquam inveniebant quod interesse dicerent quam hoc: auguꝝ *lituum* adhibuisse ad observationes suas, magistratibus vero lituo interdicitum fuisse. Hanc ob causam igitur permultum huic instrumento tribuere coeperunt, et statuerunt auguꝝ omnia loca templa facere (inaugurare) potuisse quia lituum in observationes adhiberent, magistratibus vero ea loca sola ad observandum utilia fuisse, quae antea ab auguribus templa facta essent. Itaque hanc solam ob causam magistratibus lituum concedere noluerunt, ne cogereentur confiteri, magistratus quoque potuisse loca profana per solam observationem auspicioꝝ in eis factam inaugurare. — Haec sententia igitur de litui usu quamquam vera non est, tamen propter consilium quo inventa est maxima

laude digna videtur, cum ea sola adhuc cautum sit, ne summa illa perturbatio quae in doctrina de templis et de inauguratione locorum hodie obtinet, etiam longius permaneret et ad ipsa iura et officia magistratuum et sacerdotum turpissime confundenda nos perduceret, quod fieri non posset sine magno damno disciplinae nostrae, quod tamen non omnibus viris doctis aequè contigisset ut caverent.

Sed opus non est huiusmodi praesidiis. Cum perspectum sit, templum terrestre fuisse locum sanctum, vario usui destinatum, qui constitueretur ab auguribus primum per auspicia *de eo* observata (sed miuime *in eo* observata), deinde per loci liberationem et effationem, denique per limitationem et terminationem (ad quam augures adhibere solebant rationem Cardinis et Decumani) — de quibus omnibus proximo Capite a nobis agetur —, templum aërium vero esse prospectum quem capiat quicumque auspicatur ex signis aëriis impetritis, sive ist est augur, sive magistratus, sive in loco inaurato (templo) tabernaculum posuit sive in loco profano, iam melior ratio inventa est qua clare et plene distingui possint actiones augurum ad inaugurationem locorum (constitutionem templorum terrestrium) pertinentes ab observatione auspiciorum quae magistratibus et auguribus aequè peragenda fuit, neque opus est id discrimen totum referre ad ius quoddam commenticium litui adhibendi, auguribus concessum, magistratibus negatum, quod tantum valuisse neque per se credibile est, neque unquam verisimile visum esset viris doctis nisi coëgisset ratio quam modo dixi.

Lituus autem est insigne augurum¹⁾; et ad *templum faciendum* ab eis adhibitum esse constat. Sed ad utrum, templum *terrestre* an *aërium*? Nos cum infra agamus de templis terrestribus, ostendemus ad id faciendum nullius utilitatis fuisse lituum. Lituus aptus est ad ducendas lineas imaginarias; Cardo et Decumanus vero qui sine signis certis et conspicuis nulli sunt, definiri possunt per gromam aut stellam, et constitui possunt per signa conspicua, terminos, palos positos; nullo modo his constituendis apti sunt lituorum motus vagi et inanes. Nemo

1) Cie. div. 1. 17. 30: „lituus iste vester, quod clarissimam est insigne auguratus.“ Vid. etiam Marq. Staatsverw. 3 p. 221 sq.

sanus crediderit, *lituo* potuisse urbes condi, templorum formas constitui, quidquam construi quod non imaginarium sit¹⁾. Sed haec nunc mitto quia nobis nunc eis opus non est; quidquid enim de templis terrestribus tenendum esse putaverit quispiam, hoc certissime constat, lituos ab auguribus utique adhibitos esse ad templa *aëria* facienda. Itaque, quantumvis nobis propositum sit ut diligenter distinguamus actiones magistratuum ab officiis sacerdotum, ab ea parte quaestio integra nobis est; etiamsi quis forte statuendum esse putaverit, magistratus quoque lituo usos esse, nihil commiserit quo cogereetur, confundere res magistratuum et sacerdotum, et admittere magistratus ad actionem sacram quam praeter augures nemo peragere potest²⁾, inaugurationem templorum terrestrium.

Itaque per se hoc considerandum est, utrum lituo usi sint magistratus ad templum aërium faciendum, an manu regiones

1) Hodie superest lituus stella ornatus, de quo haec scripserant viri docti: .

Deecke ap. Müll. *Étr.* 2 p. 156 n. 103: „die eigentliche Groma, auch tetras genannt, ein kreuzförmiges Visirplättchen, wurde auf der Krümmung des lituus besetzt, wie das aus der Sammlung Spinelli stammende Exemplar im Berliner Antiquarium zeigt“.

Abeken Mittelitalien p. 207: „besser als die erwähnten Auentungen belehrt uns ein erhaltenes Exemplar des Instruments aus der Sammlung des Spinelli in Neapel stammend, vermuthlich dasselbe, welches nun das Antiquarium von Berlin besitzt. Es ist ein lituus von Eisen, ein gewöhnlicher Krümmstab. Oben auf der Rundung liegt ein Plättchen, der eigentliche tetras. Visirt wird darüber von einer Ecke zur andern, so dass die Eckpunkte im Krenz sich decken. Auspicialiter es richten würde heißen: die vier Spitzen des Instruments in die Richtung der sich schneidenden cardo und decumans bringen“.

In hoc instrumento igitur coninetur sunt duae res; lituo adiuncta est stella. Iam hoc admoet, ut distinguamus usum utriusque rei; si *lituus* potuisset praebere usum *stellae*, stella non adiuncta esset lituo; si *lituus* pro *stella* potuisset adhiberi, lituus non esset ornatus stella. Sic in fascibus magistratum *virgis* addita est *securis*, quia *virgis* *cadere* non idem est quod *securi percutere*. — Ceterum manifestum videtur, illud instrumentum nihil aliud esse quam imaginem, et duplicem quidem, artis auguralis; lituus est imago templi aërii, stella qua ornatus est est imago templi terrestri et limitationis. Res quae his imaginibus referuntur, toto caelo discrepant. Stellam fuisse imaginem nsitatam limitationis, infra etiam nobis apparebit. — 2) Manifestam est, opinor, mihi me a me negari, magistratum dici posse „locum inaugurare“, si ea formula significetur, magistratum iussisse auguram, templum terrestre constituere (sic rex sacrificus a pontifice max. dicitur inaugurari Liv. 40, 42). Sed quatenus inaugurare significat „caerimoniam inaugurationis peragere“, magistratus non potest inaugurare.

direxerint. Sed ex testimoniis auctorum eam quaestionem solvere difficile est. Primum afferam locum Servii:

1^o. Serv. Aen. 7. 187: „*lituus est incurvus augurum baculus, quo utebantur ad designanda caeli spatia, nam manu non licebat*“¹⁾.

Hic locus etiamsi *potest* ad universa templa aëria referri, tamen non *excludit*, eos, quibus non liceret manu templum designare, fuisse solos augures. Deinde afferam locos Plutarchi:

2^o. Plut. Cam. 32: τὸ μαντικὸν ξύλον — καλεῖται λίτυον· χράνται δ' αὐτῷ πρὸς τὰς τῶν πλινθίων ὑπογραφαῖς· ὅταν ἐπ' ἕρσισι διαμαντεύμενοι καθέζονται.

3^o. Plut. Rom. 22: τὸ κκλούμενον λίτυον, ἔστι δὲ καμπύλη ἰάβδος, ἣ τὰ πλινθία καθεζομένους ἐπ' οἰωνῶν διαγράφειν.

Hi loci quoque, quamquam universe agunt de omnibus qui auspicantur, tamen non diserte asseverant, omne templum aërium lituo esse factum. Sane quidem, si nihil obstaret, hi tres loci quos attuli sufficerent, et concludendum esset, magistratus quoque lituo usos esse. Sed obstat, primum, quod supra dixi, lituum fuisse „insigne auguratus“ (vid. pag. 257 n. 1); deinde quod multis locis, ubi nulla causa fuisset cur excluderentur magistratus, sive eorum administri, pullarii, si hi quoque litui participes fuissent, tamen diserte auguribus solis attribuitur lituus²⁾; denique (sed hoc non multum valet quia auspicia magistratuum omnino raro memorantur) quod nullum vestigium est, quo lituum a magistratibus adhibitum esse appareat. Itaque cum res obscura et incerta sit, satis habeo id proferre, quod mihi non certum quidem sed tamen maxime verisimile videtur. Mea sententia enim huiusmodi est, magistratus non manu templa fecisse, sed virgam adhibuisse, quae ipsa quidem etiam lituus appellari posset et nonnumquam appellaretur (veluti a Plutarcho supra sub 2^o et 3^o), sed tamen a lituo augurali³⁾

1) Non repugnat alter locus, Serv. Aen. 1. 92: „*templum dicitur locus, manu auguris designatus in aëre, post quem factum ilico captantur auguria*“; nam „manu auguria“ h. l. pertinet ad motum manus, neque vacua dicitur fuisse manus. Sic nos „manu“ scribere dicimur. — 2) Cic. div. 1. 17. 30: „lituus iste *vester*“; Serv. Aen. 7. 187: „lituus est incurvus augurum baculus“; Gell. 5. 8. 10: „virga auguralis — lituus vocatur“. — 3) De lituo augurali cfr. Liv. 1. 18. 7: „baenim sine nodo adaneum quem lituum appellarunt“; Cic. div. 1. 17. 30: lituus, id est incurvum et

eo differret, quod certam formam in sacris praescriptam non haberet. Argumentis his nitor:

a. Quod Festus (p. 64) tradit: „*Caduca auspicia sunt, cum aliquid in templo excidit, veluti virga e manu*”, probare videtur, praeter lituum auguralem fuisse etiam aliud instrumentum, virgam, quod ad auspicia adhiberetur. Nam si Festus h. l. de sola virga augurali loqueretur, primum causa non fuisset, cur *lituum* non nominasset; praeterea exemplum „caduci auspicii” male se haberet, cum haec species caduci augurii solis auguriis evenire potuisset.

b. Quod Gellius dicit (p. 259 n. 2), lituum fuisse virgam auguralem, etiam ostendere videtur fuisse aliam virgae speciem qua uterentur magistratus.

c. Notum est, *virgas*, quae a lituis longe diversae essent, aliis sacerdotibus etiam usitatas fuisse. Sic flamen dialis *virga* utebatur quae commetaculum dicebatur, et iam supra conieci, flaminem ea virga usum esse ad regiones describendas cum vindemiam auspicaretur (Mnemos. XVII p. 452); itaque verisimile est, magistratus quoque usos esse virga quae lituo non prorsus similis esset. — Haec igitur sufficere videntur in re obscuriore.

Supra ostendimus, templum aërium a magistratu designatum esse per formularum seriem recitatam, antequam pali figerentur quibus consisteret tabernaculum (p. 49 sq.). Itaque nunc concludimus, magistratum, cum illas formulas recitaret, manu tenuisse virgam, quam ei praeberet pullarius. Eos magistratus igitur, qui toti huic caerimoniae aliquid momenti tribuerent, et qui intellexerent sensum formularum quas sibi subicerent pullarii, verba sua exsecutos esse et expressisse motibus virgae congruentibus, facile credas. Sed fuerint qui rem minus diligenter peragerent; ad rem agendam certe multis supervacanei esse videri poterant hi motus et gestus, quia ostium tabernaculi, coniunctum cum loco quo sella poneretur, mox ultro definiturum et constitutum erat prospectum et spatium observandi quo utendum esset.

Leviter a summo inflexum bacillam, quod ab eius litui, quo canitur, similitudine nomen invenit”.

Quale vero fuerit templum aërium quod facerent magistratus et augures, satis clarum est ex eis quae supra exposui. Sed de eis quae „πλινθία” dixit Plutarchus, etiam paucis agendum est. Plutarchus, qui non accuratissime solet vocabula auguralia graece reddere (pro „tabernaculo” dixit οἶκον, pro „captare” μισθοῦσθαι, supr. p. 245), his locis etiam vocabulo usus est quod non ab aliis auctoribus adhibetur. Sed tamen non eius culpa factum est, ut infeliciter hoc vocabulum, „αἱ ὑπογραφαὶ τῶν πλινθίων”, „descriptio quadratorum”, ad formam quadratam in templo terrestri usitatam, et, si dis placet, ad rationem Cardinis et Decumani rettulerint nonnulli viri docti; quasi hoc ullo modo fieri posset, ut qui *immotus* sederet, ἐπ’ ὄρνεσι καθεζόμενος, simul *lituo*, quo prorsus nihil potest designari praeter lineas aliquas imaginarias congruentes cum finibus et punctis prospectus quo quis sedens utitur, describeret *in terra* quadratum certum et conspicuum quod eiusmodi esset ut ipse *in medio hoc quadrato* sederet! Sed haec refutare, quae certe viris clarissimis¹⁾ numquam placuissent si modo rationem aliam invenissent qua explicarent quod traditum esse videretur, huius loci non est. — Verum Plutarchus, cum πλινθία diceret partes prospectus sive templi aërii, a vero non aberravit. Omnis prospectus enim, si lineis rectis definitus est, potest in formam quadrati redactus et quasi „proiectus” cogitari; hoc quadratum est ingens scaena, in qua signa conspiciuntur. Dividitur autem haec scaena primum in partem dextram (anticam) et laevam (posticam), linea designata ab oculis observantis ad terminum aliquem in horizonte visum („punctum contra”, Liv. 1. 18, Mnemos. XVII p. 284 et 286), per quam planum erectum ductum cogitatur; deinde dividi potest, linea aliqua horizontali constituta, in partem terrestrem et partem aëriam, quam lineam in auspiciis urbanis pomerium fuisse supra demonstravi (p. 246—248). Itaque in summa quattuor quadrata constituuntur lituo; secundum horum quadratorum differentiam signa ab auspice dividuntur partim in dextra (antica) et laeva (postica), partim in sublimia (aves praepetes et fulmina caelestia)

1) Muller *Étrur.* (Deecke) 2. p. 137 n. 29a; Abeken *Mittelitalien* p. 209 n. 1; horum auctoritatem omnes viri docti secuti sunt.

et terrestria (aves inferas) ¹⁾; recte se habere apparet vocabulum quo Plutarchus usus sit. — Sed tamen animadvertendum est, auctoribus latinis non usitatum esse vocabulum „quadrata”, et eos de partibus templi aërii agentes aliis vocabulis uti solere; itaque adscribam aliquot locos qui ad templum aërium pertinent, ut hi comparari possint cum verbis Plutarchi:

1^o. Isidor. Orig. 15. 4. 7: „*sed et locus designatus ad Orientem a contemplatione templum dicebatur. Quando templum constructant, Orientem spectabant aequinoctialem, ita ut linea ab Ortu ad Occidentem missa fierent PARTES CAELI dextra sinistra aequales, ut qui consuleret ac deprecaretur rectum aspiceret Orientem*”.

2^o. Serv. Aen. 6. 191: „*moris erat ut captantes auguria CERTA sibi SPATIA designarent, quibus volebant videnda ad se pertinere — quod spatium templum appellatur, et EXTREMAE PARTES antica et postica vocabantur*”.

3^o. Serv. Aen. 9. 4: „*Namque post designatas CAELI PARTES, a sedentibus captabantur auguria.*”

4^o. Serv. Aen. 1. 92: „*Templum dicitur LOCUS, manu auguris designatus in aëre, post quem factum ilico captantur auguria*”.

5^o. Serv. Ecl. 9. 14: „*augures enim designant SPATIA lituo, et eis dant nomina; ut prima PARS dicatur antica, posterior postica, item dextra et sinistra*”.

6^o. Serv. Aen. 7. 187: „*lituus est incurvus augurum baculus, quo utebantur ad designanda CAELI SPATIA, nam manu non licebat*”.

7^o. Cic. div. 1. 17. 31: „*quis veterum scriptorum non loquitur, quae sit ab Attio Navio per lituum REGIONUM facta DISCRIPTIO?*”

8^o. Liv. 1. 18. 7: „*augur — dextra manu — tenens lituum, inde — regiones ab Oriente ad Occasum determinavit; dextras ad meridiem PARTES, laevas ad septentrionem esse dixit*”.

Usitata igitur sunt vocabula „partes aut spatia caeli” et „regiones”. Vocabulum „regio” autem ambiguum est; „regio” enim est aut *linea*, aut *locus*. Sed in hac re de qua agimus, utramque significationem aptam et utilem esse, manifestum est; hoc inprimis apparet si locum Ciceronis (sub 7^o) et Livii

1) Gell. 7 6. 10: „Nigidius Figulus in libro primo augurii privati ita dicit: Discrepat dextra sinistrae, praepes inferae”.

(sub 8^o, ubi *regiones* sunt partes caeli, *hemelstreken*, cfr. Mne-
mos. XVII p. 284) comparamus cum his verbis Ciceronis:

9^o. Cic. div. 1. 17. 30: „*nempe eo lituo Romulus REGIONES
DIREXIT, tum cum urbem condidit*“;

hoc loco enim „*regiones dirigere*“ est „*lineas ducere*“. Utrae-
que *regiones* autem, cum *lineae*, tum caeli partes, designantur
lituo. Prorsus nullum dubium est quin Plutarchus vocabulo
„*πλινθία*“ graece reddere voluerit voc. „*regiones*“, et quin vo-
cabulis „*τὰ πλινθία διαγράφειν, αἱ τῶν πλινθίων ὑπογραφαί*“
expresserit formulas „*regiones dirigere, discriptio regionum*“.

De administris auspicantium proxima paragrapho agemus.

(*Continuabitur.*)

AD PLATON. REP. V P. 468 A.

Socrates postquam observavit milites ignavos expellendos esse ex
exercitu, ut caupones potius fiant vel agrum fodiant, sic pergit:

τὸν δὲ ζῶντα εἰς τοὺς πολεμίους ἀλόντα ἄρ' οὐ δωρεὰν (nempe
δεῖ) δίδδναι τοῖς θέλουσι χρῆσθαι τῇ ἄγρᾳ ὅ τι ἂν βούλωνται; —
Κομίδῃ γε respondet Glaucō.

Leviter haec sunt corrupta. „Si quis vivus in pugna capitur,
non redimendus est ex servitute, sed habeant eum serventque
sibi hostes.“ — Hoc dicere vult Socrates; at ipsum *hostium*
nomen desideratur. Non τοῖς ἐθέλουσι (nam sic certe scriben-
dum erat), non *cuiilibet qui eo uti velit gratis donandus est miles*
ab hoste captus, sed iis opinor *qui eum ceperunt, τοῖς ἐλοῦσιν*
igitur. Hoc rescribamus, et sententiam post ἐλοῦσιν incidamus:

τὸν δὲ ζῶντα εἰς τοὺς πολεμίους ἀλόντα ἄρ' οὐ δωρεὰν (sc. δεῖ)
διδδναι τοῖς ἐλοῦσιν, χρῆσθαι τῇ ἄγρᾳ ὅ τι ἂν βούλωνται; *miles,*
qui vivus in hostium potestatem venit, relinquendus est iis qui eum
ceperunt, ut hi praeda sua ad libidinem utantur.

Veram hanc esse loci explicationem apparet ex vocabulo ἄγρα,
in vulgata autem verba (ἐ)θέλειν et βούλεισθαι ridicule iunguntur.
Infinitivum finale post παραδοῦναι et similia verba usitatissi-
mum esse, fuse demonstrare inutile; unus sufficiet hic locus
Platonicus (de Legg. IX 879 A): δοῦλος δ' εἰάν τις ἐλεύθερον ὄργῃ
τρώσῃ, παραδῶτω τὸν δοῦλον ὁ κεκτημένος τῷ τρωθέντι, χρῆσθαι
ὅ τι ἂν ἐθέλῃ.

J. v. L. J. F.

AD LUCRETIVM I. 859 sqq.

Anaxagorae doctrina de homolomeria cum aliis argumentis refellitur tum hoc:

- praeterea quoniam cibus auget corpus alitque,*
 860 *scire licet nobis venas et sanguen et ossa*
sine cibos omnis commixto corpore dicent
esse et habere in se nervorum corpora parva
ossaque et omnino venas partisque cruoris,
fiet uti cibus omnis, et aridus et liquor ipse,
 865 *ex alienigenis rebus constare putetur,*
ossibus et nervis venisque et sanguine mixto.

Cum vs. 860 sq. interpretationem frustrarentur, LAMBIVS post 860 de suo hoc inseruit: *et nervos alienigenis ex partibus esse*, cum Italis corrigens *sive* pro *sine cibos*. Neque aliter fere LACHMANNVS, BERNAYS et MUNRO, arguentes lacunam, sed ex- plentes alia ratione. Sed locus facile, ni fallor, ita corrigi potest ut nihil desideres, hunc quidem in modum:

scire licet nervos venasque et sanguen et ossa
 — *si ille cibus omnis commixto corpore dicet*
esse et habere in se e. q. s. . . partisque cruoris, —
fiet uti cett.

Sententia est aperta:

„Praeterea, quoniam cibus alit corpus, h. e. (= *scire licet*) nervos venas cett., consequens est ut (= *fiet uti*) — si Anaxagoras dicet (id quod debet dicere ex doctrina homolomeriae), cibus esse commixto corpore et habere in se nervorum corpora cett. — ut cibus omnis ex alienigenis rebus constare putetur”.

Manifesta est errorum origo. *Scire licet* pro scilicet, ut II 809 al., cum fraudem faceret correctori, ex compendio vocis *nervos* (*ñvos ñbos*) effecit *nobis*, non perspicuens *nervos* omnino abesse non posse propter sqq. vs.. Pro *sine* . . . *dicent* correxi *si ille* . . . *dicet*, cf. 834 *dicet*, 839 *putat*, 843 *concedit*, nempe unus Anaxagoras. Itolorum *sive* omnino dammandum est, quia nullus dilemmati locus est nec quicquam dici poterit ab adversario, nisi id unum quod legimus. Terminationes *-t -nt* sexcenties permutatae sunt in Vossianis Lucretii. Denique *fiet ut* convenit de absurda consequentia, veluti 919, 982, al. H. T. K.

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA quater in anno prodibit Calendis
Ianuariis, Aprilibus, Iuliis, Octobribus.

Pretium annum erit floren. 5.25.

Singuli fasciculi separatim non venibunt.

Sumptibus E. J. BRILL prodierunt:

- M. T. Cicero.** Commentarii rerum suarum sive de vita sua; accesserunt Annales Ciceroniani in quibus ad suum quaeque annum referuntur quae in his commentariis memorantur; utrumque librum scripsit W. H. D. Suringar. 1854. 2 part. 1 vol. 8°. f 8.50
- C. G. Cobet,** Variarum lectionum, quibus continentur observationes criticae in scriptores Graecos. Editio secunda auctior. 1873. 8°. f 7.—
- Miscellanea Critica, quibus continentur observationes criticae in scriptores Graecos praesertim Homerum et Demosthenem. 1876. f 7.—
- Collectanea critica, quibus continentur observationes criticae in scriptores Graecos. 1877. 8°. f 7.—
- Hyperidis Orationes duae 'Ο ΕΠΙΤΑΦΙΟΣ ΛΟΓΟΣ et 'ΥΠΕΡ ΕΥΕΝΙΠΠΟΥ. Editio altera auctior et emendatio. 8°. 1877. f 1.50.
- Observationes criticae et palaeographicae ad Dionysii Halicarnassensis antiquitates Romanas. 1877. 8°. f 3.50.
- De Philostrati libello ΠΕΡΙ ΓΥΜΝΑΣΤΙΚΗΣ. 1859. 8°. - 1.25.
- Cornelii Nepotis vitae excellentium imperatorum. In usum scholarum. 1881. kl. 8°. f 0.60.
- Lysiae Orationes et fragmenta. Edit. sec. emend. 1882. 8°. f 1.20.
- Xenophontis Expositio Cyri. Editio quarta emend. 1886. 8°. f 1.20.
- Historia Graeca in usum scholarum. Editio tertia emendatio. 1887. 8°. f 1.20.
- J. J. Cornelisseu,** Oratio inauguralis. 1879. 8°. - 0.45.
- Cuiusdam Latina. 8°. - 0.60.
- Cornelii Taciti de vita et moribus Iulii Agricolae. 1881. 8°. - 0.75.
- Opus idem. In usum scholarum. 1881. kl. 8°. - 0.30.
- Minucii Felicis Octavius. 1882. kl. 8°. - 0.90.
- H. van Herwerden,** Lectiones Rheno-Traiectinae - 1.50.
- Dr. H. T. Karsten,** De inkomsten en uitgaven van den Romeinschen Staat. Antiquarische schets. 1e stuk: De Republiek. 1880. 8°. f 0.80.
- Spicilegium criticum. 1881. 8°. - 0.80.
- H. W. van der Moy,** Studia Theognidea, accessit collatio codicis Mutinensis tantum non omnis. 1860. 8°. f 0.75.
- E. Mehler,** Luciani dialogi quattuor. Graeca. (Timon, Philopseudes, Verae historiae, Gallus). In usum scholarum f 1.90.
- Dr. J. S. Speijer,** Latijnsehe spraakkunst:
1ste stuk. Flexie en etymologie. 2de druk. 1883. f 1.90.
2de stuk. Syntaxis. 2de druk. 1884. - 1.90.
- Mnemosyne.** — Bibliotheca philologica Batava. Edid. C. G. Cobet, T. J. Halbertsma, H. G. Hamaker, E. J. Kiehl, etc. 1852—62. 11 vol. et Appendix ad vol. 2—7. 8°. (f 56.50) f 30.—
- Nova series scripsit C. G. Cobet, C. M. Fraucke, H. van Herwerden, S. A. Naber, W. G. Pluygers, J. J. Cornelissen, J. van Leeuwen J. f., I. M. J. Valetou, alii; Vol. I—XIV colleg. C. G. Cobet, H. W. van der Mey, Vol. XV—XVIII colleg. S. A. Naber, J. van Leeuwen J. f., I. M. J. Valetou. 1873—89. 8°. pro vol. f 5.25.

MNEMOSYNE.

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA

COLLEGERUNT

S. A. NABER, J. VAN LEEUWEN J. F., I. M. J. VALETON.

OPERAM SUAM POLLICITI SUNT

C. M. FRANCKEN, J. J. HARTMAN, H. VAN HERWERDEN, A. E. J. HOLWERDA,
H. T. KARSTEN, E. MEHLER, J. C. NABER, H. J. POLAK, K. G. P. SCHWARTZ,
M. C. VALETON, J. VAN DER VLIET, J. WOLTJER.

NOVA SERIES.

VOLUMEN DUODEVICESIMUM. PARS III.

LUGDUNI-BATAVORUM

E. J. BRILL.

LIPSIAE,

O. HARRASSOWITZ.

1890.

INDEX.

	Pag.
Homérica (<i>continuantur ex Vol. XVII p. 241</i>), scripsit J. VAN LEEUWEN J. F.	265—299.
Notulae criticae ad Silium Italicum (<i>continuantur ex Vol. XVII p. 377</i>), scripsit J. S. VAN VEEN.	300—306.
De particulae <i>tamen</i> significatione antiquissima ad Ciceronis fere tempora in Latinitate conservata, scripsit H. T. KARSTEN.	307—341.
Ad Pharsalica, scripsit P. H. DAMSTÉ.	342—353.

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA quater in anno prodibit Calendis
Ianuariis, Aprilibus, Iuliis, Octobribus.

Pretium annuum erit floren. 5.25.

Singuli fasciculi separatim non venibunt.

HOMERICA.

SCRIPSIT

J. VAN LEEUWEN J. P.

(Continuantur ex Vol. XVII pag. 241.)

IV. DE CAESURA QUAE EST POST QUARTUM TROCHAEUM.

Non quivis videt immodulata poemata index.

Horatius.

In vulgus notum est quanta cura poetae Graeci vitaverint hexametros qui post quartum trochaeum habeant incisionem. Attamen hic illic in Homericis eiusmodi versus reperiuntur; de quibus ita iudicari solet a viris doctis, ut concessa censeatur haec libertas

„1^o) si accedat caesura post arsin pedis quinti, e. g.:

„πολλὰ δ' ἄρ' ἔνθα καὶ ἐνθ' Ἴηυσε || μάχη πεδίοιο (Z 2);

„2^o) si praecedat vox enclitica aliudve monosyllabum, veluti

„μέν aut δέ; e. g.:

„καὶ κεν τοῦτ' ἐθέλοιμι Διός | γε || διδόντος ἀρέσθαι (α 390);

„3^o) si exeat versus in vocabulum quinque syllabarum; e. g.:

„αὐτὰρ ὁ μούνοσ ἐην μετὰ πέντε || κατιγνήτησι (K 317);

„rarissima autem est illa hexametri forma quam tertio loco „posuimus, haud infrequentes vero sunt versus qui èt primae „èt secundae categoriae sunt accensendi; e. g.:

„Θερσίτ' ἀκριτόμυθε, λιγύς | περ || ἔῶν ἀγορητής (B 246).” —

Sic succincte de hac re v. d. MONRO, quem honoris causa nomino, in *Grammatica Homerica* p. 271 sq. refert, et in annotatione indicat versus nonnullos huc pertinentes, quorum numeri claudicant; cf. G. HERMANN *Orphic.* p. 692 sqq., SPITZNER *de versu Heroico* p. 11 sq.

Multum tamen abest ut assentiar viris doctis, qui his finibus licentiam metricam, qua de agimus, teneri satisque excusari statuerunt. Nam nisi fallor, aliquanto arctius contractum est

spatium quod patere ei voluerunt veteres poetae, et leges illae num multum valeant dubitare licebit; secundam certe de nihilo fictam et nullius omnino pretii esse statim ab initio nostrae disputatiunculae profiteri non dubito. Nempe voculae *encliticae* licet in fine quarti trochaei hic illic reperiantur, ut in illis *λιγύς περ ἰὼν ἀγορητής*, non facile tamen dixerit quispiam cur enclitica hoc versus loco facilius tolerari possit quam aliud quodlibet vocabulum. Immo tales voculae ab hac sede quam maxime alienae videntur; enclitica enim habetur pro ultima syllaba vocabuli cui subiungitur, ita ut optime e. g. habeat metrum hac in clausula: *τέρας νύ τεω τόδε Φαίνεϊς* (υ 114) ¹⁾. Ergo *Διὸς γε* vel *λιγύς περ* a voce trisyllaba nihil discrepat, et huiusmodi hexametri aut alia ratione, quam fieri solet, erunt defendendi, aut suspecti nobis erunt, aut, si genuini tamen videantur, fatendum certe erit eos minus affabre esse compositos. Et ut statim luculentum proferam exemplum: si legem istam, quam modo explosi, valere iusseris, dubium esse nequit quomodo distribuendae sint litterae notissimi hemistichii: *ἔσσον τ' ἐγγύωνε βοήσας* ²⁾; sic enim scribendum esse, non *τε γέγωνε*, et *historicum* igitur esse tempus, ex versuum numeris apparet. Verum ante hos XV annos dedit NAUCKIUS: in LUDWICHI nova Odysseae editione, cuius pars prior his diebus in lucem prodiit, pristinum errorem revocatum esse doleo.

Aliter res se habet in iis monosyllabis, quae non *praecedenti* vocabulo adhaerent sed cum *sequentibus* sunt iungenda; haec enim sine ullo vitio ullave licentia metrica post quarti pedis arsin possunt collocari, et minime rari sunt versus ita conformati. Rectissime olim de huiusmodi voculis iudicavit G. HERMANNUS (Orphic. p. 693): „voces monosyllabae, quae ad sequentia trahuntur, hanc vim habent ut prorsus non animadvertatur caesura trochaica”. Neque aliter censet SPITZNERUS (de versu Heroico p. 11 infra).

Harum autem vocum, quae iam recensendae et locis allatis

1) Encliticae instar est particula *ἄρα*, quae sententiam aperire nequit et necessario igitur cum praecedentibus vocabulis coalescit. Quapropter hi quoque versus vitio carent:

ἔδωκε δ' ἄρα σφισὶ θυμὸς κ 415.

ἔγγυωνε δ' ἄρα φρεσὶ πάσας χ 501. — Vid. etiam h. Cer. 453.

2) Vid. ε 400 ζ 294 ι 473 μ 181.

indicandae sunt, longe frequentissima est coniunctio καί, ut apparebit ex catalogo, quem, quantumvis aridum et fere insulsum, decurtare nolui; attamen in quam minimum poteram spatium a typhotheta cogendum curavi:

καί Ἀγήνορα δῖον Λ 59 Ν 490 Π 535.

καί ἀγῆνορι θυμῷ Ω 42,

-ρα θυμῷ Λ 562.

καί ἀδευκία πότμον κ 245.

καί ἀδεικία πήρην ν 437,

γίργα δ 694,

τίσσαι ω 250,

-κε Ἰγισσο π 199.

καί ἀθέσφατον ἕμβρον Γ 4,

-τος οἶνος (NB) λ 61.

καί ἀλειψατι πολλῷ ω 67.

καί ἀμείβετο μύθη Ω 200, 424 ζ 67

σ 434, 439.

καί ἀμείνονες ἄλλοι Ψ 479.

καί ἀμύμονα τύμβον ω 80,

εἰδῃ τ 332.

καί ἀνάλιδα φῆσι Θ 153,

φάντες Ξ 126,

-κιδ' Ἰγισσοι γ 375.

καί ἀνήγαγον αὔτις Ο 29.

καί ἀνήνορα θέη(ς) κ 30], 341.

καί ἀνωγίμεν' ἄλλους Ν 56 π 433.

καί ἄνωχθε γυναῖκας χ 437.

καί ἀπηνία τοῖδῃ τ 329.

καί ἀπώλεσε λαούς ι 265,

-σα τοῖκον δ 95.

καί ἀπῶσεν ἐμίχλην Ρ 649,

ὄχθας Φ 537 Ω 446.

καί ἀτειρέα φωνήν Ν 45 Ρ 555 Χ 227,

χαλκῶν ι 368.

καί ἀτερπέι χάρην η 279,

-πία χάρην λ 94.

καί ἄφαντος ὄληται Τ 303.

καί ἀφείλετο νίκην Ρ 177 Π 689.

καί ἀφυστάμεθ' ὕδωρ κ 56.

καί ἐγείρομεν ἄλλους Κ 108.

καί ἕκαστα μεταλλῆ ξ 128,

πυθέσθαι σ 377.

καί ἐλεύσεται ἦδη τ 300.

καί ἐμοῖσ' ἐτάροισι Λ 183 ι 173.

καί ἐναντίος ἦλθε ν 226.

καί ἐνὶ φρεσὶ θέσω λ 146.

καί ἔπειτά γ', εἶω π 309.

καί ἐπεύχεται αὐτῶς Ρ 450.

καί ἐπήλυθον ἄραι β 107 λ 295 ξ 294

τ 162 ω 142,

-δε μήλα ρ 170.

καί ἐπὶ κνίφας ἔλαθε (ἐλάθει) Λ 475 Β 413

γ 329 ε 225 ι 168, 558 κ 185, 478

μ 31 τ 426.

καί Ἐπίστροφος ἤρχον Β 517, 556.

καί ἐπίφρονι βουλή γ 128,

-να βουλήν π 242,

μήτιν τ 326.

καί ἐπὶ χθονὶ βίαιος Δ 443.

καί ἔρειπον ἐπ' ἄλξιν Μ 255.

καί ἐρυσέες εἰσὶ ρ 475.

καί ἐσέδρακον ἔντην Ω 223, 424.

καί εὐ κτιτῶν Αἰγύ Β 592.

καί ἐζήσας πλοῆς σ 342.

καί ἐμήλικός εἰμεν σ 197.

καί ἐνεῖδα βάζεις ρ 461.

καί ὕπισθεν, εἶω ψ 261.

καί ὕπὲρ Διὸς αἶσαν Ρ 321.

καί ὑπόψιον ἄλλων Γ 42.

Patet igitur, per metrum nihil ob stare, quominus Cobeto obtemperemus *ἰρείκοσι* pro *ρεῖκοσι* et *ἰρεδνα* pro *ρέδνα* cum alias perpetuo flagitanti tum in hisce versuum clausulis:

καί *ρεῖκος*' *ἰβαινον* vel καί *ρεῖκοσι* *νῆας* Β 510, 748 Ν 260

β 212 δ 669 ι 209, 241 κ 208.

καί *ρέδνα* *διδόντες* λ 117 ν 378 ¹).

1) Pro *ρέδνα* autem ei *ἴρεδνα* aut constanter aut saepissime dixerunt veteres cantores, quid tandem potest in causa esse cur *ἀνάκτεδνος* (1146 Ν 366) servemus et

Neque vitium vitio sanavit Nauck β 232, και ἀτάσθαλα βέζοι corrigens pro και αἴσυλα βέζοι.

Neque verendum erit ne committatur peccatum contra artem metricam, si verba versus 148:

οἱ σφιν γείτονες ἦσαν ἄμα πλέονες και ἀρείους

ad eliminandam comparativi formam ἀρέλους parum Homericam sic fuerint ordinata:

γείτονες οἱ σφιν ἄμα πλέονες και ἀρείονες ἦσαν.

Neque augmentum syllabicum hac hexametri sede reiiciendum esse si praecedat και, testantur hi versus:

και ἰγάμετο παῖδα η 61.

και ἰδάσσαι ἀρούρας ζ 10.

και ἰδείματο τοίκους ζ 9

και ἴδυσσε μελούδην δ 380, 409

και ἴτετε παραστάς Ψ 617 (ubi Bekker

εἴτετε dedit sine causa).

και ἰτέλετο νίκην Ν 679.

και ἰδάμβεν αὐτόν ρ 367.

και ἴθηκαν ἀνόστους ω 528.

και ἰλάμετο χαλκῷ Τ 156 (λάμετο Aristarch.)

και ἴλυσεν ἀποίων Λ 106.

και ἴμελλεν Ὀδυσσεύς ρ 412

και ἴπειδον (-δεν) Ἀχαιοῦς ρ 106 τ 151

ω 141.

και ἴπειβετο μύθῳ Λ 33 Ω 571.

και ἴπεμπα νίσθαι ν 206.

και ἰπιστώσαντο Ζ 233.

Quapropter alibi augmentum confidenter adiecit:

και ἴρειξαν ἀπήνη (codd. εἴξαν) Ω 718.

και ἴκῆδετο θυμῷ (" κῆδετο) ξ 146.

και ἴμήνι Ἀχιλλεύς (" μήνι) Μ 10 1).

και ἴνῆσον ὕλην (" νῆσον) Ψ 163.

και ἴπαυσαν ἀέθλων (" παῦσαν) δ 659.

Correptio autem Attica ob stare non videtur quominus etiam in his versibus suppleatur augmentum:

και ἴχρισαν ἐλαίῳ (codd χρίσαν) Ω 587 γ 467 δ 252 θ 364,

454 ρ 88 ψ 154 ω 366.

vetustissimam praefixi negativi formam, quam ἀνα- fuisse dicunt (cf. G. VOORINZ *Hom. Gramm.* p. 31), hic asperesse credamus, cum ἀν-είδους corrigere liceat auctoribus Bentleyio Hermanno Cobeto?

Neque aliter iudico de adiectivis Hesiodicis ἀνάπνευστος et ἀνάελαπτος, quorum prius legitur Theog. 797: κείται ἀνάπνευστος και ἕναυθος, ubi Hermannus emendavit ἔμ' ἀπνευστος; posterius Theog. 660, ubi nullo negotio restitui potest ἀνίελαπτα pro ἀνάελαπτα.

Cognata sunt monstra ἀάσχετον (E 892 Ω 708) pro ἀν-άσχετον (id est οὐκ ἀσχετόν), quod renovavit Herwerdenus, et ἀάατον illud E 271, unde lexica Homericam initium habere solent; correximus ἀν-άσαστον.

1) Sic in Addendis nostrae editionis correximus; in textu 'μήνι' imprudenter reliquimus.

καὶ ἐπλησαν ἀπάσης (codd. πλῆσαν) Ξ 35.
καὶ ἐφράζετο θυμῷ („ φράζετο) Π 646 ¹).

Post conjunctionem καὶ commemorandae sunt PRAEPOSITIONES; hae quoque cum vocabulo sequenti tam arte coalescunt ut incisio auribus percipiatur nulla. In versuum igitur exitu hae occurrunt clausulae:

ἀνά: — ἀν' ἕμιλον ἀπάντη Η 183, 186.
ἐν: — ἐν ἀγῶνι 'μένεσκον Τ 42,
πισότα Ο 428 Π 500,
παρστιάς θ 238.
ἐν ἀμύμονι τόξῳ Ο 463.
ἐν ἕρσει λείλιπε Α 285. —
ἐπί: — ἐπ' ἀπείρονα γαῖαν Η 446 ο 79
ρ 386 τ 107,
πόντον Α 350.
ἐπ' ἀριστερὰ πάσης Ρ 116, 682,
-τέρ' ἔχοντες γ 171.
ἐπ' ἀντιμέν' ἔχευε γ 289.
Non solum cum sequenti sed etiam
cum praecedenti vocabulo iungendum
est ἐπί:
πολλοῖσιν ἐπὶ κτεάτεσσιν 1482.
ἐς: — ἐς Ἡγυῖαν ἰούσαι Τ 254.

ἐς ἀμύμονα νῆσον μ 261.
κατὰ: — κατ' ἀπείρονα γαῖαν ρ 418.
κατ' ἀπείρον' ἔχευε η 286.
κατ' Ἀχαιοῖα γαῖαν φ 107.
καθ' ἕμιλον Ἀχαιοῖν Ψ 651,
ὀπάξων Ε 334
Ρ 462.
κατ' οὐεῖδα' ἔχευαν χ 463.
κατ' ἕρσει βίοντε Δ 462.
μετά: — μεθ' ὀμήγουριν ἄλλων Τ 142.
μετ' ἑμοῖσ' ἐτάροισι λ 78.
παρά: — παρ' ἑμοί γε καὶ ἄλλοι Α 174.
πρό: — πρὸ ὄδοσ' ἐγένοντο Δ 352.
ὄπό: — ὄπ' ἀμύμονι πομπῇ Ζ 171.
ὄπ' ἀλαίζονες ἦσαν Σ 519.
ὄπ' ἔχεσφι γέμιστον Ψ 130.

PRONOMINA quoque monosyllaba hac versus sede locum habent. Quorum frequentissimum est DEMONSTRATIVUM ὃ δέ, τὰ δέ:

ὃ δ' ἀλευετ' Ὀδυσσεύς υ 300
ὃ δ' ὑπισθε διώκων Χ 157.
ὃ δ' ὑπικίθ' ἐλιάσθη Ο 520.
ὃ δ' ὑφέλιπε ποδοῖν Σ 477.

τὰ δ' ἐρῆμα φοβεῖται Ε 140.
τὰ δ' ὑπισθεν ὑπέστη Ι 519.
τὰ δ' ὑπισθ' ὀνομάζει Ι 515.

Unde apparet non resecandum esse augmentum syllabicum versibus qui sequuntur ²):

ὃ δ' ἐδίξαστο χαίρων Α 446 Ψ 565, 624, 797 ο 130.
ὃ δ' ἐρίετο θυμῷ Ν 386.
ὃ δ' ἔλυνε ἕφ' ἵππους Ψ 513.
ὃ δ' ἔμειμεν ἐρύκαν Ω 470.

1) In editione non satis nobis constitimus; dedimus enim ἔχυσαν, sed πλῆσαν et φράζετο. Quae parva ceteroquin est discrepantia, quoniam aphæreseos signo indicare volumus non afluere augmentum, licet pro integra syllaba non haberetur.

2) Alia est ratio versuum Δ 357 (= ν 254) et ω 426, in quibus scribendum est πάλιν δ' ὃ γε ἄλῃζτο μῦθον et μέγα γέργον ἀνὴρ ὃ γε μήτατ' Ἀχαιοῦς, non vero γ' ἀλάζετο vel γ' ἐμήσατ'. Nam non ante sed post pronomen hae sententiae inciduntur.

ARTICULUM habes his locis:

ὁ κάκιστος Ἀχαιῶν ρ 415¹),
τὸν ἄριστον ἀπάντων ξ 19,
Ἀχαιῶν E 414,
ἕπεφνε P 80.

τὸν εἶδόν τε Πόδαργον Ψ 295.
τὸ πάροιθ' ἐτίτυκτο σ 275.
τά τ' ἕποινα δέχθεσθαι Λ 20.
τὰ χερσίονα νικῆ Λ 576 σ 404

RELATIVUM his versibus extat:

ὃς ἄριστος Ἀχαιῶν N 313.
ὃς ἔναι ἐν ἠΐθερ δ 126.
ὃς ἀναίσιμος εἶη Z 521 κ 383.
ὃν δίδμεθ' αὐτοί χ 165.

οἱ Ὀλυμπον Ἰχουσι E 404, 890 N 69
Ω 427 ζ 240 θ 331 ξ 394 σ 180 τ 43.
τὰ πάροιθεν ὑπέστην Ψ 20, 180.

Quapropter locis qui sequuntur non est cur spernamus augmentum:

ὃς δμίσγητο λάβρη ο 430.
ὃς ἐπεύθετο βουλάς δ 677 π 412.

ὃν ἐπέφνομεν ἡμεις K 478.

PERSONALIA denique his versibus occurrunt:

σὺ δ' ἀλλήλις ἐνίσκη γ 247.
σὺ δ' ἔπειτα νοήσας π 283,

σὺ δ' ἐπέφεικε αὐτός Σ 145.

Et una syllaba interiecta:

ἐγὼ γε νεώτερός εἰμι Ψ 587.
ἐγὼ δὲ δόλους τολυπιῶν τ 137.

Etiam ADVERBIA quaedam hac sede hexametri reperiuntur:

μῆ γ α: — εἶο μέγ' ἀμείνονα φῶτα B 239.

ἤ μ α: — ἀνὴρ ἤμ' ἔποιτο καὶ ἕλλος K 222.

δύω δ' ἤμ' ἔποντο νομήας Σ 525 ρ 214 υ 175.

ἕπως ἤμ' ἔποιετο παῖσσι ζ 319.

πυκινὴν ἤμ' ἕπασσε κομίζειν υ 68. Itaque in versu vicino 66 non est rescribendum ἤμα πέμπε γυναικίνας pro vulgato ἤμ' ἕπεμπε.

ἕ χ α: — ἕπως ἕχ' ἄριστα γίνετο (-νεται) γ 129 ι 420 ν 365 ψ 117.

ἕχ' ἄριστος (-τον) ἀπάντων (Ἀχαιῶν) M 344, 357 P 689 ι 432 ν 297.

Nostro igitur iure pro ἄριστος scripsimus δχ' ἄριστος²) in formula:

ἀνὴρ δ' δχ' ἄριστος δλωλε Π 521. Vid. etiam P 689 Ω 384.

1) Hic tamen locus sanus non est:

οὐ μὲν μοι δοκέεις ὁ κάκιστος Ἀχαιῶν

ἤμμεναι, ἀλλ' ἄριστος.

a praedicto enim articulus est alienus, neque sequar criticum Britannum JESS ad Soph. Antig. vs. 100 pervulgatum hunc articuli usum vocantem; praeterea ἄριστος propter crasiam Homero est abiudicandum. Quapropter non dubito quin Payne Knight, qui ἕχ' ἄριστος correxit (vid. infra), rem acu tetigerit; pro ὁ κάκιστος autem suspicor legendum esse χείριστος.

2) Cf. annot. 1.

Denique huc pertinent dictiones Ἄρρη Φίλος et Ἄρρη Φατρός, quae tam arte confluerunt ut pro uno vocabulo fere haberi possint¹⁾ et a multis sic scribantur:

Ἄρρη Φατρός κατέδουσι T 31 Ω 415.

Ἄρρη Φίλος Μενέλαος etc. Γ 21 et passim.

Idem videtur statuendum de epitheto ὀψὲ δύνων loco admodum notabili:

καὶ ὀψὲ δύνοντα Βούτην ε 272²⁾.

Hactenus satis certa videntur omnia et explorata; neque de his, quae attuli, habeo quod praeterea observem, nisi hoc unum, *elisione* plerumque huiusmodi incisiones leniri (ὀ δ', τὰ δ', σὺ δ', μέγ', ἄμ', ὄχ' etc.).

Tolerandi praeterea sunt versus nonnulli, in quibus voculae *περ ἔων* (ἔόντα) cum vocabulo quod praecedit ita concreverunt ut vix ulla auribus percipiatur caesura:

θοός (γέρον) περ ἔων πολεμιστής E 571 K 549 O 585.

πάρως περ ἔων ἐλεινός τ 253.

νέκυν περ ἔόντα σαῶσαι Ω 35.

νέον περ ἔοντ' ἐφίλησαν Ψ 306.

λιγύς (ν) περ ἔων (ἔοντ') ἀγορητής (ν) Β 246 T 82 υ 274.

Huc etiam pertinent:

καὶ ἐσθλός ἔων ἀγορεύεις Π 627 ρ 381.

ὀλίγος μὲν ἔην, λινοῶρηξ Β 529.

Similem defensionem habent clausulae aliquot, a voculis *ἐπεὶ κε*, *ἐπεὶ με*, *ἐπεὶ σε*, *ἐπεὶ σφι* incipientes; in his enim particula *ἐπεὶ* cum verbis sequentibus inter recitandum artissime coniungitur:

ἐπεὶ κε τέκωσι τοκῆς θ 554.

ἐπεὶ κε κάμω πολεμίζων Α 168.

1) Sic ut βοῶν ἀγαθός Ω 260: βοῶν ἀγαθόν τε Πολίτην.

2) Imitatur Aratus Dios. 291: καὶ ὀψὲ βοῶντε κολοιοί, ut observavit Hermannus Orphic. p. 695.

ἐπεὶ κε μέλαθρον ὑπέλθῃ σ 150.

ἐπεὶ κε νόμῳ μιγέωσι Β 475.

ἐπεὶ κεν ὕλαγμαδν ἀκούσῃ Φ 575. — Hic tamen Zenodotus dabat κυνυλαγμαδν, quod magis placet.

ἐπεὶ με πυρὸς λελάχῃτε Ψ 76. — Versus fortasse corruptus.

ἐπεὶ σε λένοντα γυναιξί | Ζεὺς ἔθηκεν Φ 484. — Locus nobis suspectus.

ἐπεὶ σε Φρυγῶν ἰκίτευσα ο 277.

ἐπεὶ σφι Φίλος περὶ κῆρι Ω 423.

Etiam sequentia hemistichia tam arte cohaerent ut singula vocabula vix distinguantur neque inter ea vox loquentis requiescat :

Τρωσίν τε καὶ Ἑκτορι δίῳ Ρ 719.

ἀνὰ στόμ' ἔχων ἀγορεύοις Β 250.

ἄνευθε πόνου καὶ ἀνίης η 192.

σύας τε κύνας τ' ἀπερύκων σ 105.

Nonnulli versus, qui huc pertinent, in fine vocabulum QUINQUE SYLLABARUM habent collocatum. Et quamquam hanc rem minime sufficere puto ad defendendam licentiam metricam de qua agimus, negari tamen nequit ita se invicem tueri hos locos ut partim certe ferendi esse videantur. En igitur versus quos dico :

Ἄρῃ δὲ ζώνην, στέρνον δὲ Ποσειδάωνι Β 479.

ταῦρον δ' Ἀλφειῶ, ταῦρον δὲ Ποσειδάωνι Λ 728.

αὐτὰρ ὁ μῦθος ἔην μετὰ πέντε κασιγνήτησι Κ 317.

πατρί τ' ἐμῶ πῖσυνος καὶ ἐμοῖσι κασιγνήτοισι σ 140. —

Huic versus Nauckius subvenit verborum traiectione: πατρί τ' ἐμῶ καὶ ἐμοῖσι κασιγνήτοισι πεποιθώς. Nescio tamen an praestet nihil mutare.

ἄγχι μάλ', ὡς ὅτε τίς τε γυναικὸς ἐυζώνοιο Ψ 760. —

Hoc loco vix videtur dubium quin Nauckius vere correxerit ἐυζώνοιο γυναικὸς.

ἀντιθέῳ Ὀδυσῆι δῶμον κάτ' ἀλητεύουσι χ 291. — Fortasse scribendum est δῶμον κάτα αἰτίζουσι.

μὴ μνηστεύσαντες μὴδ' ἄλλοθ' ὀμιλήσαντες δ 684.

νῦν δὲ μιν ἀκλείως } ἄρπυιαι ἀνῆρέψαντο α 241 ξ 371 υ 77.
τόφρα δὲ τὰς κούρας }

Horum hexametrorum velles esse exitum: ἀνῆρέψανθ'

ἄρπυιαι vel etiam *ἄρέπυιαι*, quam nominis formam suasit Fickius; sed non video quomodo versuum initium probabiliter possit refingi. Quapropter acquiesco in lectione tradita, invitus tamen.

Denique indicandi supersunt versus, in quibus caesura post quartum trochaeum nullam omnino habet excusationem. Hi igitur aut corrupti sunt aut poetae exciderunt imprudenti:

οὐκ ἄρ' ἔμελλον δνήσειν E 205, *ἐτάρω* Σ 98. — Recte Bekkerus, Hermannus secutus, dedit *ἄρα μέλλον*.

ἴδου δ' ἄρ' ἀθύρματα θυμῷ σ 323. — Notabilis est l. a. *ἄρα ἤρματα*; fortasse igitur aliud quid latet.

δοιοὺς δ' ἄρ' ὑπήλυθε θάμνους ε 476. — Nauck δ' *ὑπέδύσεται θάμνους*. Malimus: *δοῖω δ' ἄρα θάμνω ὑπήλυθε*.

γυναικὰ γαμέσσειται αὐτός I 394. — Aut *γε μάσσειται* legamus cum Aristarcho, aut versum gravius corruptum censeamus, aut denique abiciamus auctore Herwerdeno.

ἔφειλετ' ἐν Ἥλιδι δίη Λ 686 et 698. — Deleta praepositione utrumque locum sanasse nobis videmur: *ἔφειλετο Ἥλιδι δίη* (Ἡλίδι?); quam correctionem egregie confirmat lectio versus γ 367 a Strabone VIII 342 allata: *ἔφείλεται Ἥλιδι δίη*, ubi vulgo *ἔφείλεται* (*ἔφέλλεται*) *οὐ τι νέον γε*.

χαλεπῶς δέ σ' ἔολπα τὸ βέξιν T 186. — Hic duo simul vitia tolli possunt corrigendo *χαλεπῶς βέξιν σε τίεολπα*¹⁾.

ζώμεν' ἀχθυμίνουσ', *αὐτοὶ δὲ τ' ἀκηδίες εἰσὶ* Ω 526. — Eleganter Nauckius correxit: *ζώμεν' ἀχθυμίνουσιν, ἀκηδίες αὐτοὶ ἔοντες*.

ἔς Σάμον ἔς τ' Ἴμβρον καὶ Λῆμον ἀμιχθαλόεσσαν Ω 753. — In hoc adiectivo ignoto, pro quo *μιχθαλόεσσαν* scribebat Antimachus, quid lateat incertum est²⁾: Nauckius *παιπαλόεσσαν* proposuit. Eodem autem vitio laborat Hymn. Apoll. 36:

Ἴμβρος ἐὺ κτιμένη καὶ Λῆμος ἀμιχθαλόεσσαν.

1) Displicet haec coniectura Herwerdeno (Mœmos, 1859 p. 137), qui δὲ particulam apte omitti posse negat, ipse autem dubitanter proponit: *χαλεπῶς δὲ τὸ τίεολπα βέξιν*, sed praefert Hoffmanni leuissimam sane coniecturam: *χαλεπῶς δὲ τίεολπὰ σε βέξιν*. Metro tamen hanc damnari arbitramur.

2) Vid. Herwerdenos supra pag. 48 sq.

καὶ ἀνδρὶ ἴπρον παράκοιτιν Ω 60. — Hoc loco ingrata incisionis facillime potest vitari; revocetur augmentum: ἀνδρὶ ἴπρον παράκοιτιν. Itaque inter certa exempla syllabae -i elisae hic versus est referendus.

Τυδεΐδης, ἔχ' ἄριστος Ἴων, ἄλαχ' ἐλαυνέμεν Ἴππους Ψ 357. — Fortasse poeta dederat ἄλαχεν Ἴππω ἐλαύνειν.

μὴ τοῦτο θεὸς τελέσειε ρ 399 ἢ 344. — Fortasse pro θεὸς legendum est Ζεύς.

ἐπεὶ οὐκέτ' ἀνεκτὰ πέλονται υ 223. — Tentavimus: ἐπεὶ ἢ πέλετ' οὐκέτ' ἀνεκτά. Ceteris locis (A 573 K 118 Λ 610 Θ 355 ι 350) versum claudit adi. ἀνεκτός. An ἐπεὶ οὐκέτι ἀνσχετὰ τέργα (cf. β 63)?

ἐπὶ δ' οὔατ' ἀλεΐψαι ἑταίρων μ 47. — Corrigendum videtur ἑτάρων δ' ἐπὶ οὔατ' ἀλεΐψαι.

Διὸς γε δίδοντας ἀρέσθαι α 390. — Possis δίδοντας Ζηνὸς ἀρέσθαι, sed particula γε hoc loco melius servatur.

Διὸς τε σέθεν τε τέκητι υ 42. — Nauck σέθεν Ζηνὸς τε τέκητι. πολλὰ δ' ἄρ' ἔνθα καὶ ἐνθ' ἴθυσε μάχη πεδίοιο Ζ 2. — Fortasse verum est: ἔνθα καὶ ἐνθα μάχη πεδίοιο ἴθυσε.

Subductis igitur rationibus patet vix decem versus per totum Homeri opus inveniri qui veram incisionem post quartum trochaeum habeant neque probabili coniectura possint tentari. Pleraque vero exempla huius anomaliae metricae quo redeant vidimus: multis nullam omnino inesse poetae audaciam; alia licentiam quidem testari, sed levissimam illam et facile condonandam, cum vocis modulatione ita potuerit celari versus commissura ut aures non laederet. Legibus vero, quas in huius disputationis introitu excipsi, vix quicquam esse tribuendum concedet mihi, ut spero, quicumque ad eas exegerit cunctos locos Homericos, quos supra attuli ita dispositos ut mihi videbantur ordinandi.

Quam facile autem criticis excidere possint coniecturae quibus vitiosae huiusmodi incisiones in textum Homericum inferantur versusque igitur nascentur a poetarum arte alieni, multis exemplis, si hoc agerem, demonstrare possem. Nam si Nauckium excipis,

qui huic quoque rei singularem illam, qua pollet, impendit industriam, vix ullum novi criticum quin semel certe et iterum in eiusmodi errores abripi se passus fuerit. At ingratum est officium aliorum peccatis immorandi; quapropter ab agris vicinis abstinebo manus, utque exemplum saltem unum et alterum proferam, mea ipsius potius vineta caedam.

Φ 533 codices praebent: *νῦν οἶω λοίγι' ἔσεσθαι*. Hinc ut formam bisyllabam *οἶω* removerem, antehac (Mnemos. 1885 p. 202) hanc verborum traiectionem proposui: *νῦν λοίγι' ἔσεσθαι δῖω*. Cum tamen ex metro appareat non veram hanc esse emendationem, postea meliora edocti in editione nostra dedimus *δῖω νῦν λοίγι' ἔσεσθαι*. — Idem dictum esto de versu Ψ 310, ubi in codicibus extat: *τῶ τ' (vel γ' vel κ') οἶω λοίγι' ἔσεσθαι*, sed poetam *δῖω τοι λοίγι' ἔσεσθαι* dedisse arbitramur. Christius in annotatione ad hunc locum proponit *τῶ λοίγι' ἔσεσθαι δῖω*.

Eadem de causa, ut in transitu hoc observem, non ausim recipere coniecturam a Nabero propositam ad κ 193, ubi vulgata Ulixem haec facit dicentem:

εἴ τις ἔτ' ἔσται μῆτις· ἐγὼ δ' οὐκ οἶομαι εἶναι,

quod cum propter verbi *οἶομαι* formam contractam ferri nequeat, et parum videatur quadrare in mentem versutam *τοῦ πολυμήτιος Ὀδυσῆος*, Naberus ingeniose profecto rescripsit:

*ἐγὼ δέ γ' οἶομαι εἶναι*¹⁾.

Vix tamen ei assentietur qui reputaverit quam rari sint versus Homericici ita conformati²⁾; quapropter equidem acquiescam potius in lectione Nauckiana: *ἐγὼ δ' οὐκ ἔμμεν' οἶω*.

Nunc videamus versum κ 337:

ὦ Κίρκη, πῶς γὰρ με κέλεαι σοὶ ἦπιον εἶναι.

Hoc loco, ubi *κέλεαι* pro *κέλειαι* et hiatus post *σοὶ* certissima sunt vitii indicia, antehac rescripsi³⁾:

ὦ Κίρκη, πῶς γὰρ κέλειαι με σοὶ ἦπιον εἶναι,

idemque, eodem fere tempore, in editione sua dedit Fickius,

1) Eandem coniecturam protulit nuper v. d. A. PLATT in *Journal of Philology* vol. 18 (a. 1889) p. 154 sqq., et iisdem argumentis firmavit.

2) Vid. supra; nonnisi Ψ 587 et τ 137 comparari possunt.

3) Mnemos. 1886 p. 347.

olim dederat Payne Knight. Fieri potest ut recte; attamen sic pronomen *σοι* *enclitice* potius esset pronunciandum, id quod dissuadet contextus. Revera igitur versus ita mutatus post *με* interciditur, id est post quartum trochaeum. Nauckius (Odyss. II p. x) proposuerat *κέλεαι σοί μ' ἤπιον εἶναι*, qui tamen minus placet verborum ordo. Quapropter videndum an dederit poeta:

πῶς γὰρ με τεῖν κέλε' ἤπιον εἶναι.

aut: *πῶς γὰρ κέλεαι τεῖν ἤπιον εἶναι.*

Tertius locus, nec plures addam, esto H 64, ubi de ingruenti procella legitur:

οἷη δὲ Ζεφύροιο ἐχεύατο πόντον ἐπι Φριξ

ὄρουμένοιο νέον, μελάνει δὲ τε πόντος ὑπ' αὐτῆς;

vel *πόντος ὑπ' αὐτοῦ* vel etiam (sic Aristarchus) *πόντον ὑπ' αὐτῆς*. — Hic non fero verbum *μελάνειν* (vel *μελανεῖν*) pro *μελαίνειν*. Attamen errasse me ¹⁾ cum putabam locum in integrum restitui posse hac correctione:

πόντος δὲ μελαίνεθ' ὑπ' αὐτῆς,

evincit metrum. Nunc melius perspicere me spero quid sit rescribendum; nisi fallor, ad eximendum vetustum hoc mendum adhibendus est Odysseae locus *μ* 405 sq. (= *ξ* 304 sq.):

δὴ τότε κυανέην νεφέλην ἔστησε Κρονίων

ιγὸς ὑπὲρ γλαφυρῆς, ἤχλυσε δὲ πόντος ὑπ' αὐτῆς.

Hoc igitur nostro quoque loco poetam dedisse suspicor, pro *ἤχλυσε* autem, quod *obscurum reddere* qui interpretarentur olim fuisse testatur lectio altera *πόντον* ²⁾, irrepsisse videtur *ἐμέλανε*, hoc vero in absurdum illud praesens *μελάνει* esse corruptum.

1) Vid. Mueenos. 1855 p. 210.

2) In *μ* 405 optimus codex Laurentianus, quem Ludwichius usque publici iuris fecit (littera F ab eo designatur) *πόντον* habet a manu prima; in *ξ* 304 Palatinus (eum satellitibus Viudoh. 5 et 56) *πόντον* praebet.

Neque spernenda fortasse est haec lectio; verbum *ἄχλυσαι* alibi apud poetam non occurrit, et fieri igitur potest ut recte (eum Aristarcho?) Apollonius Hesychius Photius Suidas s. v. interpretentur *ἐσκότισαν*. Scholia ad *μ* 406 haec habent: *ἄχλυς καὶ σκόπη περιελήφθη, ἐπληρώθη V. — ἄχλυς ἐπληρώθη καὶ σκότους H.* In schol. V igitur ambae explicationes proferuntur.

V. ΑΦΑΜΑΡΤΟΓΕΠΗΣ, ΑΠΤΟΓΕΠΗΣ, ΑΡΤΙΓΕΠΗΣ.

Antenor notissimo loco Γ 215, ubi Ulixis gravem suadam laudat simplicemque Menelai facundiam, hunc dicit non multa quidem sed facili tamen eloquio protulisse,

ἐπεὶ οὐ πολύμυθος

οὐδ' ἀφάμαρτοεπής.

Quae verba quid significant non est obscurum: neque enim disertus admodum neque tamen elinguis fuisse Menelaus dicitur. Sed adiectivum ἀφάμαρτοεπής quomodo sit formatum quaeritur, pro quo Nauckius proposuit οὐδ' ἄρ' ἀμετροεπής. In qua coniectura perplacet sane quod ex praepositione inutili effecit particulam ἄρα, quae singularem sententiae addit gravitatem, sed totam quominus recipiam correctionem dehortantur me alii loci Homericī, simillimo vitio laborantes et aut igitur relinquendi aut uno eodemque remedio sanandi, quibus minus convenit adiectivum ἀμετροεπής, certe non convenit omnibus. Quos volo locos hi sunt:

Θ 209 Neptunus iratus increpat Iunonem:

Ἦρῃ ἀπτοεπέες, ποῖον τὸν μῦθον ἔειπες.

Hic utrum ἀπτοεπέες an ἀπτεπέες praestaret olim certabant grammatici: nobis perinde videtur, hiatus enim indicio est adiectivum hoc, aliunde ignotum, aut in mendo cubare aut praefixum habuisse digamma. Nauckius hic quoque, audacter sane, ἀμετροεπέες proposuit.

N 824 Hector Aiacem sic alloquitur:

Αἴχῃ ἀμαρτοεπέες, βουγάιε, ποῖον ἔειπες.

Nauckius denuo ἀμετροεπέες, quod epitheton nescio an in Aiacem, qui paucorum est verborum, minus conveniat, licet ex contextu defendi possit.

X 281 denique Hector Achillem his iurgiis compellat:

ἀλλὰ τις ἀρτιεπής καὶ ἐπίκλοπος ἔπλεο μύθων.

Hunc locum, cui Nauckius repercerat, in dubium vocavit Herwerdenus, negans adiectivum ἀρτιεπής in malam partem adhiberi posse ad fallacem hominem designandum, quapropter ἀπτοεπής legendum esse suspicatur. At obscurum illud adiectivum in novum locum invehere nolim, potiusque facio cum Nauckio, quo loco hodie extat (Θ 209) corruptelae id deberi

censenti. Verum tamen vidit Herwerdenus, si quid iudico, cum versus Θ 209 et X 281 componendos unaque diudicandos esse statuit; id unum quaeritur quale utrique loco ceterisque locis, quos enumeravi, conveniat epitheton, quod culpa posteriorum sic in diversa abire potuerit. Mihi fuisse id videtur adiectivum *ἀναρτορεπής*: *incomposita fundens, temere et inconsulte loquens*. Prudentem enim virum eundemque disertum ut designet poeta, dicit eum *ἄρτια βάζειν* Ξ 92 (= θ 240):

ὅς τις ἐπίσταίτο ἤῃσι Φρεσὶν ἄρτια βάζειν
σκηπτόχος τ' εἴη.

Talis igitur vir recte vocatur *ἀρτιρεπής*, contrarium vero est *ἀναρτια βάζειν*, qua tamen locutione poeta non est usus, sive una voce: *ἀναρτιρεπής*, quod quatuor his locis, de quibus agimus, olim lectum fuisse suspicor. Quae correctio paulo est lenior quam ea quam proposuit Nauckius, meliusque ni fallor sententiae convenit hoc adiectivum quam *ἀμετρορεπής*.

Quod si recte iudicavi, Neptunus igitur Iunonem sic alloquitur

Ἥρη ἀναρτορεπὲς, ποῖον τὸν μῦθον ἔειπες,

Hector Aiaci dicit:

Αἴαν ἀναρτορεπὲς, βουγᾶιε (†), ποῖον ἔειπες,

et Achilli:

ἀλλὰ τ' ἀναρτορεπὴς καὶ ἐπίκλοπος ἔπλεο μύθων,

Menelaus denique Antenore iudice est

οὐ πολύμυθος

οὐδ' ἄρ' ἀναρτορεπής.

VI. ΜΙΑΝΘΗΝ, ΚΟΜΕΙΤΩΝ, ΠΕΦΤΚΕΙ, ΔΙΔΩΘΙ ETC.

In fine noti loci, ubi pingitur Menelaus sanguine conspersus ex vulnere, quod femori infixit sagitta Pandari, sic heroem ipse alloquitur poeta (Δ 146):

τοῖοί τοι Μενέλαε μιάνην αἵματι μηροί.

Certatim observatum est *μιάνην* aut *μιάνθησαν* vel etiam *μιανθήτην* dicendum fuisse, saepiusque insolita haec forma est tractata. Posterioris syllabae productionem cum in arsi minus miraremur, in thesi quam habeat rationem nemodum ostendit.

Hinc orsi sunt qui aliter formam interpretari conarentur: dualem esse medii, *'μιάνθην* pro *'μιάν-σθην*. Haud facile tamen dixeris ad quale igitur tempus referendus sit eiusmodi dualis, nam aoristi medii *ἑμισσμεν* alibi nec vola nec vestigium. At ne illi quidem audiendi sunt me iudice, qui aoristi passivi rariorem quidem sed tamen integram hanc esse formam contendunt; quod ut evincant ad similes formas provocant, quae in monumentis Doricis secundi a. C. seculi repertae sunt: *διελέγην, ἴσσιφανώθην, ἀπελύθην* pro *-ησαν*; vid. Caueri *Delectus* * n° 123, 124, 128, 164, *Dittenbergeri Sylloge* n° 450. Equidem has inscriptiones satis recentes ad nostram quaestionem dirimendam parum prodesse dixerim. Ex Homero enim demonstrandum est Homericam esse hanc terminationem tertiae personae numeri pluralis; quae cum non nisi hoc uno versu heroico longa, ceteris cunctis brevis sit, non est dubium quin longa vocalis a lingua epica sit aliena. Ergo aut corruptus est noster locus aut statuendum est sero insertum esse hunc versum cum vicinis, a quibus divelli nequit: totam igitur comparisonem esse spuriam eamque confictam esse ab homine Dorico, qui Homerum feliciter imitari et presse sequi sciret, sed tamen in verborum flexione epica titubaret, ita ut suae aetatis et regionis formas intermiseret.

Posterior opinio quot quamque gravia habeat incommoda satis apparet, itaque nihil superesse arbitror nisi ut versum vitiose ad nos promulgatum esse statuamus. Quale vitium ex antiqua litteratura facillime potuit oriri, si perturbatus est olim vocabulorum ordo; nam litterae *MIANΘEN* si per errorem tali versus loco collocatae erant ut ultima syllaba pro longa esset habenda, transcribi debuit *μιάνθην*.

Contrarius autem error indicari potest Θ 74, ubi loco spurio legitur:

*αἱ μὲν Ἀχαιῶν κῆρες ἐπὶ χθονὶ πολυβοτείρῃ
ἰζέσθην, Τρώων δὲ κτέ.*

Vitiose igitur et ex more, qui diu demum post Homeri tempora invalescere coepit, *ἰζέσθην*, dualis forma, adiungitur subiecto *αἱ κῆρες*; sed vitio vitium sanare conabantur veteres illi, qui *ἰζέσθεν* testibus scholiis legebant. Nam ultimae barbariae est aoristus passivi *ἰζέσθηναι*.

Sed redeamus ad Menelaum. Si statuimus, versum olim exiisse in (ἐ)μίανθεν, superest rogare quid igitur pro verbis αἴματι μηροὶ ἐμίανθεν, quae sic disposita metrum iugulant, sit legendum. Nos pro αἴματι coniecimus βρότῳ, glossema pro glossa irrepsisse rati, ita ut haec genuina fuerit versus forma:

τοῖοι τοι, Μενέλαε, βρότῳ μηροὶ ἐμίανθεν

vel potius, adiecta particula τε:

βρότῳ μηροὶ τ' ἐμίανθεν
εὐφυνέες κυῆμαί τε ἰδὲ σφυρὰ κάλ' ὑπένερθε.

Cui coniecturae favet quadamtenus ordo verborum versus Ψ 600:

ὥς ἄρα σοι, Μενέλαε, μετὰ Φρεσὶ θυμὸς ἰάνθη.

Idem quod de ἡμίανθην, de aliis verborum terminis insolitis fero iudicium, quos occasione iam oblata paucis tangam. Quorum primus est Θ 109:

τούτῳ μὲν θεράποντε κομείτων, τῷδε δὲ νῶϊ
Τρωσὶν ἰΦ' ἰπποδάμοισ' ἰθύνομεν.

Diomedis haec sunt verba ad Hectorem. Quaeritur quid sit κομείτων. Quam formam ad imperativum referri non posse certum est: κομείτων, certe κομείτων, dicendum erat. Ergo corrupta est syllaba -των, et genuina forma procul dubio in -τον exiit. Quid tamen sit corrigendum minus constat; ex pluribus, quae se offerebant, coniecturis haec commemoratu haud indigna videtur:

τούτῳ μὲν θεράποντε κομίσσειτον, ὃδε δὲ νῶϊ
Τρωσὶν ἰΦ' ἰπποδάμοισ' ἰθύνομεν,

id est: *tuas ligas in castra abducent ministri, nos vero ambo sic statim invadamus Troianorum aciem.*

De adverbii ὃδε usu consulendus Lehrsus in opere de Aristarcho; pro κομίσειτον autem si quis praefert κομήσειτον collato imperfecto ἰκομείτην versu 113, equidem non intercedo.

Secunda terminationum, quas modo volebam, legitur duobus Odysseae locis, quorum prior est η 114, ubi de hortis Alcinoi:

ἔνθα δὲ δένδρεα μακρὰ πεφύκασι τηλεθέοντα (-δόντα);

sic certe editur hodie ex Herodiani praecepto, sed codices habent πεφύκει. Alter versus extat λ 304, de Dioscuris:

τιμὴν δὲ λελόγχασσι ἴσα θεοῖσι.

Hunc quoque terminum, $\tilde{\alpha}\sigma\iota$ pro $\tilde{\alpha}\sigma\iota$, mero errori deberi contendo. Recentes esse duos locos quos attuli non nescio, neque ignoro apud Ionicos poetas posterioris aetatis hic illic $\tilde{\alpha}\sigma\iota$ pro $\tilde{\alpha}\sigma\iota$ adhibitum reperiri, vid. Draco Stratonicensis de Metris p. 33. Attamen ex Homericis removendum arbitror hunc terminum. Et ut a posteriore loco ordiar, quid tandem obstat quominus scribamus $\lambda\epsilon\lambda\acute{o}\gamma\chi\alpha\sigma\prime\iota\sigma\alpha\theta\epsilon\acute{o}\iota\sigma\iota$, id quod diu ante nos posebat Barnesius? Numquid digamma nos deterret? recentesne igitur istos poetas, qui $\lambda\epsilon\lambda\acute{o}\gamma\chi\tilde{\alpha}\sigma\iota$ dixerint penultima brevi, digammi aliquam rationem habuisse putamus? Nonne praestat sic statuere: sero est invectus locus de Dioscuris alternis vicibus in terra et apud inferos degentibus, λ 301—304, quos versus fluxisse ex male intellecto versu Γ 243, certe cum illo pugnare, dudum est observatum: ergo poetam, qui haec inferis, neglexisse digamma veri est simile: ergo ante $\iota\sigma\alpha$ elisionem ab illo esse admissam non est quod miremur.

Prior autem versus non est difficilior diudicatu. Nam si quaerimus quid sit in fontibus, $\pi\epsilon\Phi\acute{\upsilon}\kappa\epsilon\iota$ traditum invenimus; non tamen auctor sum ut plusquamperfectum illud, a contextu alienum, revocemus in nostras editiones, perplacet enim Herodiani lectio $\pi\epsilon\Phi\acute{\upsilon}\kappa\alpha\sigma\iota$, si modo pro epitrito, non pro paeone, haec forma numeretur.

Sic vero reputantibus ad versum explendum statim se offert brevior verbi $\tau\eta\lambda\epsilon\theta\acute{\alpha}\omega$ forma $\theta\alpha\lambda\acute{\epsilon}\theta\omega$:

Ἔνθα δὲ δένδρεα μακρὰ πεφύκασιν θαλέθοντα.

Antiquissimi sane poetae non $\pi\epsilon\Phi\acute{\upsilon}\kappa\alpha\sigma\iota$ sed $\pi\epsilon\Phi\acute{\upsilon}\kappa\alpha\sigma\iota$ dicebant; sed hic locus quin inter recentissimas Odysseae partes sit recensendus quis dubitat?

Ultimus autem quem tractavi versus in memoriam mihi revocat alterum locum, unde verbum $\theta\alpha\lambda\acute{\epsilon}\theta\epsilon\iota\upsilon$ in exilium abiisse arbitror. Legitur P 390, ubi corpus Patrocli ab amicis hostibusque raptatum et tantum non discerptum comparatur cum corio quod vi distenditur:

*ὡς δ' ὅτ' ἀνὴρ ταύροιο βοῶς μεγάλῳ βοεῖν
λαοῖσιν δῶγ' τανύειν, μεθύουσιν ἄλοιφῃ etc.*

Mitto nunc vocem $\lambda\alpha\omicron\iota\sigma\iota\upsilon$, pro qua $\delta\mu\acute{\omega}\epsilon\sigma\sigma\iota\upsilon$ proposuimus ($\Lambda\Lambda\omicron\iota\sigma\iota\upsilon$ — $\Delta\omicron\mu\omicron\epsilon\sigma\iota\upsilon$), vestigia secuti Naberi, qui $\delta\omicron\acute{\upsilon}\lambda\omicron\iota\omicron$

σιν coniecerat; sed participium *μεθύουσαν* sanum esse non multi erunt qui credant. Herwerdenus coniecit *πλήθουσαν*; quod si verum est, simul dativo *ἄλοιφῆ* substituendus erit genitivus *ἄλοιφῆς*, et pro hac lectione afferri potest, ut in annotatione critica editionis nostrae observavimus, Philippi epigramma 23¹⁾. Nobis tamen dativus *ἄλοιφῆ* recte habere videtur, sed participium *ΜΕΘΟΥΣΑΝ* corruptum ducimus ex *ΘΑΛΕΘΟΥΣΑΝ*. Sic 1467 legitur:

. πολλοὶ δὲ σύες θαλέθοντες ἄλοιφῆ,
item Ψ 32:

ἀργιόδοντες ὕες θαλέθοντες ἄλοιφῆ.

Sed redeo ad argumentum. Modo insolite correptam syllabam tetigimus, nunc de syllaba insolite producta videamus, quae extat γ 380:

ἀλλὰ γάνυσσ' Ἴλῃθι, δίδωθι δέ μοι κλέος ἑσθλόν.

His verbis, quibus Nestor Minervam precatur, inest forma alia: inaudita *δίδωθι* pro *δίδεθι* aut *δίδου*. Neque in tradita lectione omnino esse acquiescendum inde apparet quod ne constat quidem quid revera traditum sit; pro *Ἴλῃθι* enim in editione Zenodotea erat *ἰλέαιρε*. Hinc suspicari licet, monstrum vocis *δίδωθι* (*ΔΙΔΘΘΙ*) ortum esse ex sincera forma *δίδου* (*ΔΙΔΟ*), cui alterius imperativi *Ἴλῃθι* ultima syllaba nescio quo casu accreverit; quapropter non certam quidem sed tamen satis probabilem duco hanc coniecturam:

ἀλλὰ γάνυσσ' Ἴλῃθι, δίδου δ' ἤμιν κλέος ἑσθλόν,

ut in eadem rhapsodia (γ 58) legimus has preces ad Neptunum:

ἄλλοισι δίδου χαρίεσσαν ἄμοιβήν.

Haud absurde etiam suspicatus fuerit aliquis, merae dittographiae deberi formam *δίδωθι*, ex litteris enim *γάνυσσΑΙΛῃθι* ortam esse, cum ipse poeta dedisset:

ἀλλὰ γάνυσσ' Ἴλῃθι ἰδὲ κλέος ἑσθλόν ὄπαζε (vel *ὄπατσον*).

Sed quicquid de huius versus lectione iudicabunt alii, id quidem haud dubium esse arbitror, non ipsum poetam finxisse formam

1) *Δίκτηνά τοι μολίβη στεφανούμενα, δυοβάλασσα,
καὶ κόπην, ἤλμης τὴν μεθύουσαν ἔτι,*
etc. Mox alia sequitur locutio Homérica: *σπέριμα πυρὸς σάζειν.*

vitiosam et inutilem *δίδωθι*, qualis imperativus etiamsi per se nullam moveret suspicionem, aurium tamen iudicio hoc loco propter ingratum sonum damnaretur post *ἴληθι*; huic vero formae exquisitae non praeferendam esse Zenodoti lectionem *ἐλέειρε*, ex aliis locis Homericis, quibus redit *ἴληθι* (π 184; Hymn. 19, 8; 22, 4; 26, 17) pro certo effici posse videtur.

Sed fortasse erunt qui imperativum *δίδωθι* immerito a me in suspicionem vocari contendant, plures enim huius verbi formas apud Homerum reperiri quae exhibeant vocalem ω pro σ aliave ratione a solita flexione discedant. Quapropter par est me addere quid de his censeam. Eas quoque corruptas iudico neque insanabiles. Sunt infinitivus *διδῶναι* et futurum *διδῶσω*. Prior forma extat in libris Ω 425:

*ὦ τέκος, ἦ β' ἀγαθὸν καὶ ἐναίσιμα δῶρξ διδῶναι
ἀθανάτοισ',*

quo loco Laurentianus D et Vratislavensis itemque Eustathius *διδόναι* praebent, quod poscitur grammatica sed respuitur metro, ceteri codices inter *διδῶναι* et *διδούναι* variant. Nos quin apertum hoc sit vitium non dubitantes usi sumus Aristophanis observatione quae in scholiis ad versum ν 358 servata est: *δυσχεραίνων δ' Ἀριστοφάνης τὸ διδῶσομεν γράφει παρέξομεν· καὶ τῷ ἐν Ἰλιάδι διδοῦναι προσέκοπτεν* (sic Ludwich pro τὸ... *προέκοπτες*).

Itaque edidimus:

*ὦ τέκος, ἦ β' ἀγαθὸν καὶ ἐναίσιμα δῶρξ παρασχέειν
ἀθανάτοισ',*

quemadmodum T 140 Agamemnon ad Achillem dicit:

δῶρα δ' ἐγὼν ὄδε πάντα παρασχέμεν',

cui Achilles respondet:

δῶρα μὲν, αἱ κ' ἐθέλησθα, παρασχέμεν', ὡς ἐπιχεικός.

Neque *aoristum* a nostro loco esse alienum ex aliis versibus Homericis constat:

H 282: *ἀγαθὸν καὶ νυκτὶ πίθισθαί.*

γ 196: *ὡς ἀγαθὸν καὶ παῖδα καταφθιμένοιο λιπέσθαί | ἀνδρός.*

Restat futurum *διδῶσω*, quod legitur duobus versibus, ν 358:

*χαίρετ'· ἀτὰρ καὶ δῶρα διδῶσομεν ὡς τὸ πάρος περ,
et ω 311 sqq.:*

ἦ τέ τοι ἐσθλοὶ ἔσαν ἄριστες ἰόντι,

δεξιοί, οἷς χαίρων μὲν ἰγῶν ἀπέπεμπον ἐκείνον,
 ἄχαϊρε δὲ κείνος ἰών· θυμὸς δ' ἔτι νῶϊν ἑώλπει
 μίξεσθαι ξενίῃ ἢ δ' ἀγλαὰ δῶρα διδώσειν.

Posterior locus se damnat ipse; is enim, qui οἷς pro οἶσι et ἐκείνον pro κείνον et νῶϊν ἑώλπει pro ἱερόλπει sive cecinit sive scripsit, non est vetus poeta, itaque dederitne ille praeterea διδώσειν an non dederit haud ita multum curo; poterat sane sine vitio scribere ἰδὲ (vel καὶ) δωσόμεν' ἀγλαὰ δῶρα. Id autem certum est ex loco adeo suspecto parum fidei accedere huic futuri formae, quae ne librorum quidem auctoritate satis firma tur; hi enim δὲ δάσειν, διδοῦναι, διδασιν etc. praebent.

Priore vero loco auctore Aristophane, cuius verba supra attulimus, rescribi potest:

χαίρετ'· ἀτὰρ καὶ δῶρα πᾶρξομεν ὡς τὸ πάρος περ.

Si quis autem δπάσσομεν praefert, me non habebit repugnantem.

VII. EIN, EINI.

Θ 199 de Iunone furore perculsa legimus:

ἴσεισάτο δ' εἰνὶ θρόνῳ, ἐλέλιξε (?) δὲ μακρὸν Ὀλυμπον.

Primus hic est locus quo occurrit praepositionis forma trochaica εἰνί, quae praeterea reperitur O 150:

ἴζετο δ' εἰνὶ θρόνῳ,

et quatuor Odysseae versibus:

θ 325: ἴσταν δ' εἰνὶ θύρῃσι θεοί.

ι 417: αὐτὸς δ' εἰνὶ θύρῃσι καθέζετο.

κ 310: ἴστην δ' εἰνὶ θύρῃσι θεᾶς.

κ 256: αὐτοῦ (αὐτόθι) δ' εἰνὶ θύρῃσι κατήσθιε.

Apparet igitur formam εἰνί non nisi sex locis reperiri nec nisi in duabus locutionibus εἰνὶ θρόνῳ et εἰνὶ θύρῃσι. Videndum autem quam recte sit formata.

Permultis locis legitur ἐν, multisque producta forma ἐνί, cui accrevit littera ι, quae in aliarum quoque praepositionum fine reperitur. Praeterea in textu Homérico tertia extat forma εἰν; at non genuina haec est forma, quae etiam extra versum vivere possit, sed solo metro et ictu procreatur. Nam si hoc agas, videbis eam nonnisi talibus locis adhiberi ubi subiungatur vo-

cabulum a duabus brevibus syllabis incipiens; quoniam autem, id quod accentus reiectus indicat, artissime cum vocabulo insequenti coalescit praepositio *ἐν* et pro prima huius vocabuli syllaba numeratur, apparet eadem lege teneri locutiones *εἰν ἀγορῆ*, *εἰν Ἰθάκῃ*, *εἰν Ἀριίδῳ* etc. atque formas epicas *ρεαρινός*, *εἰλάτινος*, *εἰνδθιος* similes. Praestat autem eiusmodi productiones, quae sola vi ictus urgente metro fiunt, non indicare scripto, quapropter in nostra editione *ρεαρινός*, *εἰλάτινος*; excudenda curavimus, quemadmodum ipse textus homericus alias exhibet *ζεφυρίῃ* et *ἐπιτονοῖ*; et similia; nec dubitanter igitur rescripsimus etiam *ἐν ἀγορῆ* H 382 etc., *ἐν Ἰθάκῃ* β 256 etc., *ἐν Ἀριίδῳ* X 52 etc., *ἐν ἐνὶ δίφρῳ* E 160 etc. (hoc satis notabile), *ἐν Ἀρίμοισ'* B 783, *ἐν ἱερῆ* E 446, *ἐν ὕδατι* ι 392, *ἐν ἐλεεῖσιν* ξ 432, — cum praesertim inter omnes constet olim certe, ante litteras Ionicas inventas, in antiquissimis libris sic exaratum fuisse.

At fuerit aliquis traditae scripturae adeo tenax ut *εἰν Ἰθάκῃ* et similia servare malit: id tamen negari nequit *metricam* hanc esse productionem, non ex ipsius linguae legibus natam; nullamque igitur hic cerni epenthesin quam dicunt litterae iota. Ad locutionem *εἰν ἀλλ'* autem (α 162 η 244 ι 25) quod attinet, quam haecenus consulto omisi, in hac non ictus vi producitur syllaba *ἐν* sed vi litterae σ, a qua radix σαλ- antiquitus ordiebatur, neque igitur obsto quominus servetur EI diphthongus, quoniam priscum illud sigma revocare nimiae foret temeritatis; sed nihil ad nostram rem has dictiones facere apertum est ¹⁾. Fortasse etiam illud *ἐν ἐνὶ δίφρῳ*, quod modo afferebam, huc pertinet, certum autem est eandem esse originem formae *ὕπερ* pro *ὑπερ* in dictionibus *ὕπερ ἄλλα*, *Ἵπειροχος*, *ὕπειρέχω* ²⁾.

1) In adiectivo *ἐνέλιος* (δ 443 ε 67 ο 479) sitne servanda diphthongus an non sit dubitari potest; re tamen saepius pensitata *ἐνέλιος* scribere maluimus, ut *ἐνέλιος*.

2) Corruptum duco versum Ψ 637, qui nnu sine iusta causa producitur praepositionis *ὕπερ* syllaba posterior:

δοῦρ δ' ὕπερββαλον φυλή τε καὶ Πολύδωρον.

Utrum assentiatr mihi de *εἰν* et *ὕπερ* v. d. G. VOUGINZ *Grammatik des hom. Dialektes* 1889 p. 9 an aliam opinionem teneat ex eius verbis non satis aequor, quapropter hio exoribam quae ille l. l. observat: *ὕπερ* aus *ὑπερ* (Αἰ. *ὑπερ*). Freilich kommt *ὕπερ* nur einem echt vokalischen Anlaute nur Ψ 637 vor: *ὕπειρέχω*, *ὕπειροχος*, *ὕπερ ἄλλα* könnten stehen statt *ὕπερ*; oder es ist wie *εἰν* aufzufassen, als Versdoppelform von *ὕπερ* unter dem Iktus." Vid. etiam ib. pag. 88.

Atqui, si *ἐν* non est legitima praepositionis forma, ne *ἐνὶ* quidem sanam esse formam quivis suspicetur. Quae augetur suspicio cum reputamus nullam unquam necessitatem metricam poetas pellicere potuisse ad formam *ἐνὶ* procudendam, nec nisi in duabus locutionibus eam reperiri, quas modo attuli: *ἐνὶ θρόνῳ* et *ἐνὶ θύρῃσι*. Quapropter id unum videtur quaerendum esse, quid pro vitiosis his dictionibus olim fuerit. A posteriore autem si investigandi facimus initium, cito apparet quae vera sit lectio; nam primo loco qui in censum venit, θ 325, unus codex Vindobonensis exhibet illud *ἐνὶ θύρῃσι*, ceteri aut *ἐνὶ θύρῃσι* habent (sic Palatinus et Harleianus) aut *ἐν γε θύροισι* aut *ἐν προθύρῃσι* aut denique *ἐν προθύροισι*. Hoc autem, quod exhibent Marcianus et codices antiquissimi (saec. X) quorum lectiones nuper publici iuris fecit Ludwich in nova Odyssaeae editione (Laurentiani F et G), verum esse quovis pignore certem, nunc in textum receptum esse a Ludwichio non sine laetitia video:

ἔσταν δ' ἐν προθύροισι θεῶι.

Hoc igitur rescribatur etiam de Cyclope ι 417: *αὐτὸς δ' ἐν προθύροισι καθέζετο.*

item de se Ulixes κ 310: *ἔστην δ' ἐν προθύροισι θεᾶς.* (Sic nunc in Laurentiano G repertum edidit Ludwich.)

et de Scylla κ 256: *αὐτόθι δ' ἐν προθύροισι κατήσθις* (vel potius *αὐθι δ' ἐνὶ π. κ.*).

Quae ne dubia tamen vel etiam iusto audacior coniectura cuiquam videatur, afferendus est versus κ 220, ubi Aristarchea lectio est:

ἔσταν δ' ἐν προθύροισι θεᾶς καλλιπλοκάμοιο,

quam servat codex Palatinus, sed Marcianus exhibet *ἐν προθύρῃσι*, Laurentiani autem F et G (Ludwich) et Harleianus habent *ἐνὶ θύρῃσι*: ante nostros igitur ipsorum oculos nasci videmus vitiosam lectionem. Praeterea emendationem nostram tuentur alii loci Homerici:

Λ 777 *νῶι δ' ἔπειτα | 'στῆμεν ἐνὶ προθύροισι,*

α 103 *'στῆ δ' Ἰθάκης ἐνὶ δήμῳ ἐπὶ προθύροισι* Ὀδυσῆος

(ubi *ἐπὶ* pro *ἐνὶ* dedit poeta ne bis deinceps eadem uteretur praepositione),

δ 20 *τῷ δ' αὐτ' ἐν προθύροισι δόμων αὐτῷ τε καὶ ἴππῳ | ... 'στῆσαν* (quo loco nescio an poeta non αὐτ'(ε) sed αὐθ'(ι) dederit),

η 4 *'στῆσεν ἄρ' ἐν προθύροισι* (l. a. *προθύρῃσι*),

θ 304 ἔστη δ' ἐν προθύροισι (l. a. προθύρῃσι),

π 12 ἔστη ἐνὶ προθύροισι.

Qui loci inter se collati abunde testantur vix ullum, quod ad sententiam attinet, in poetarum lingua esse discrimen inter dictiones ἐν θύρῃσι et ἐν προθύροισι.

Ergo huc redit res: in duabus locutionibus reperitur εἰνί, at altera evidenti correctione eximi potest e textu, addicentibus partim certe codicibus et veteribus grammaticis. Supersunt duo versus quibus εἰνί θρόνῳ extat: hi vero aut sic servandi sunt aut de coniectura emendandi. Corrigendum autem nobis videtur ἐν θῶκῳ. Quod vocabulum alias apud poetam reperitur:

Θ 439 θεῶν δ' ἐξίκετο θῶκους,

β 14 ἔζετο δ' ἐν πατρὸς θῶκῳ,

ε 3 οἱ δὲ θεοὶ θῶκόνδε καθίζανον,

et ἐν θῶκῳ quam facile in ἐν θρόνῳ, deinde autem — ne versui una deesset mora — in εἰνί θρόνῳ abire potuerit, id multis verbis demonstrare opus non est. Verum igitur arbitramur:

Θ 199: 'σεῖτατο δ' ἐν θῶκῳ,

et O 150: ἔζετο δ' ἐν θῶκῳ.

Loci autem, modo tractati, unde θύρῃσι vocabulum removendum esse demonstrare studui, in mentem mihi revocant cognatam vocem θυρεός, quam item duobus locis in mendo cubare arbitror. Legitur in descriptione antri Cyclopiis. Polyphemus oves cogit in specum, quem deinde claudit ingenti saxo (ι 240 sqq.):

ἐπέθηκε θυρεὸν μέγαν ὑψὸς ἄειρας

ἔβριμον· οὐ κεν τὸν γε δύω καὶ τείκοσ' ἄμαξαι

ἔσθλαὶ τεσσαράκκυκλοι ἀπ' εὐθεὸς ὀχλίσσειαν·

τόσσην ἠλίβατον πέτρην ἐπέθηκε θύρῃσι.

Hic duae res male me habent. Ad metricam artem pertinet prior; nempe θυρεόν vocabulum tres syllabas implet, propter versus tamen numeros in duas est coartandum. Deinde vero ipsum illud vocabulum prolepsin quandam in narratione constituit, quam ab arte poetae alienam duxerim. Vivide pinguntur ea quae Ulixes eiusque comites ante oculos suos fieri viderunt: cum illis cernimus immanem Cyclopem magno strepitu domum advenientem; sarcinam humi proicit, contremiscunt nautae et

in intima antri penetralia se abdunt; exinde conspiciunt eum oves colligentem, feminas a maribus segregantem, tandem vident ut praegrandi lapide correpta obturet speluncae orificium. Haec igitur narratio, simplex mundiciis, graviter corrumpitur si saxum illud statim tali nomine indicatur unde appareat quo consilio id manu prehendam Polyphemus. Argivi ubi arripientem eum vident lapidem, ignorant quid eo sit facturus; posthac demum, cum semel saepiusve ad occludendum antri ostium adhibitum viderint, *θυρεὸν* vocare poterunt rupem illam quae ianuae vice fungitur: nunc vero, ut primum adspiciunt, tali nomine uti nequeunt, neque igitur narrator epicus in hac narrationis suae parte hoc vocabulum recte potest adhibere. *Ἀρρονεβὰν ἰνγεντὲμ λίπιδεμ*, Ulixes dicere debet, Graece igitur:

ἐπέθηκε λίθον μέγαν,

et deinde describitur quantum illud saxum fuerit quo Cyclops antri operculo utebatur. Optime cum hac emendatione concinunt vs. 304 sq.:

*οὐ γὰρ κεν ἄδύναμεσθα θυράων ὑψηλῶν
χερσὶν ἀπάσασθε λίθον ἄβριμον ὃν προσέθηκε.*

Rectissime vero, sive metrum spectes sive narrationis decursum, usurpatum est vocabulum *θυρεός* in posteriore narrationis parte vs. 313:

*δειπνήσας δ' ἄντρου ἐξήλασε πλοῖνα μῆλα,
ῥηιδίως ἀφελὼν θυρεὸν μέγαν,*

ubi nihil igitur mutandum esse apparet. Sed versu 340 denuo removendus est *θυρεός*:

αὐτὰρ ἔπειτ' ἐπέθηκε θυρεὸν μέγαν ὑψὸς' αἰέρας,

nam etsi narratio non obstat quominus hoc loco toleretur vocabulum *θυρεός*, a poeta tamen non adhibitum esse docet metrum; neque oblivisci nos par est, easdem res iisdem verbis describere artis esse epicae. Itaque hic quoque, ut versu 240, *λίθον μέγαν* ut reponamus auctor sum.

Cyclopus terram priusquam relinquam, de alio lapide, qui in festivissima hac narratione commemoratur, observationem proferre concessum arbitror, licet ab argumento nostrae disputatiunculae sit aliena. Discedentium Argivorum navem ingenti saxo, quod ex montis cacumine effregit, coecus petit Polyph-

mus ab Ulixē lacessitus. Proram supervolat lapis, refluus autem aestus navem litus versus urget: protinus remis incumbunt nautae; cum vero bis tantum a litore absunt, Cyclopem denuo alloquitur Ulixēs; quem sic increpant sodales perterriti (494 sqq.):

σχίτλιε, τίπτ' ἰθέλεις ἐρεθίζεμεν ἄγριον ἄνδρα;
ὃς καὶ νῦν πόντονδε βαλὼν βέλος ἤγαγε νῆα
αὐτίς ἐς ἤπειρον, καὶ δὴ Φάμεν αὐθ' ἐλέσθαι.

De ultimo versu, ubi codices habent αὐτόθ' ἐλίσθαι, nuper egi¹⁾; nunc vero consideremus secundum. Qui quam sit ieiunus nemo admonitus non sentit; Nauckium certe non fugit, annotavit enim: „βέλος suspectum.” Haud scio igitur an ὄρος legendum esse suspicatus fuerit. Cautius tamen dixeris: „πόντονδε βαλὼν βέλος verba suspecta”; nam recte quodlibet missile βέλος dicitur, neque igitur est cur vocabulum βέλος per se vituperetur (cf. M 458 ≡ 439 Π 737); sed languet tota sententia; βέλος illud adiectivo addito aliave ratione accuratius est designandum; quod vero ἐν mare torsisse telum dicitur Cyclops, id nihil inservit ad immane eius robur vividius pingendum: sed quale quantumque fuerit telum dici debet. Nisi fallor, βέλος sanum est, πόντονδε corruptum; poeta dederat:

ὃς καὶ νῦν τοσσόνδε βαλὼν βέλος ἤγαγε νῆα
αὐτίς ἐς ἤπειρον,

qui modo ingens illud, quod omnes nostris ipsorum oculis vidimus, torsit in nos telum, quo navem litus versus repulit.

VIII. ΚΤΑΣΘΑΙ — ΚΤΑΜΕΝΑΙ.

O 556 sqq.:

ἀλλ' ἔπε'· οὐ γὰρ ἔτ' ἔστιν ἀποσταδὼν Ἀργείοισι
μάρνασθαι, πρὶν γ' ἢ κατακτάμεν' ἢ κατ' ἄκρης
Φίλιον αἰπεινὴν ἐλέειν κτάσθαι τε πολίτας.

Verba haec sunt Hectoris socium increpantis. *Quid cessas?* — inquit — *nunc hostes invadere decet; non iam eminus pugnatur, sed in ultimo discrimine versatur utraque acies; aut vincendum est nunc aut moriendum.* Hanc fere sententiam inesse verbis, quae liberius verti, apparet; sed quomodo haec, quae contextui

1) Vid. Vol. XVII pag. 220.

unice apta est, elici possit minus perspicitur. Ante omnia observandum est, non accurate, ut grammaticum, Hectorem loqui, sed verba fundere prouti animus ferat commotus, de politiore iunctura sententiarum non nimis sollicitum. Itaque immerito haereat aliquis in particula *πρην*, quae, si ipsa verba urgere velis, sensum non praebet, cum potius ἀλλά requiratur: sin mentem loquentis magis cures quam singula vocabula, huic loco est aptissima; sic enim iungenda sunt et supplenda quae dicit Hector: *non amplius licet eminus pugnare cum Argivis, <neque ullus iam erit pugnae fluis> priusquam aut illi interemti fuerint aut nos.*

Usque ad voculam ἤτε igitur nihil est in vulgata quod suspicionem moveat; nam quod non ἔπει(ο) sed ἔπειν legitur in mss., tralaticius hic est error, ex illo genere de quo antehac fuse egi¹⁾. Sed finis sententiae misere est corruptus; sensus enim, qui aperte requiritur, ex verbis traditis elici nequit. A Graecis ad Troianos bis terque transfertur subiectum sine causa, ita ut lector vel auditor non falli nequeat. Quod qui optime persensit Herwerdenus, ad incitas ut opinor redactus, tertium versum melius abesse et in fine secundi ἤτε ἔχλωναι requiri annotavit. Quod ut prudenter observatum esse (confert versum M 172) libenter profiteor, ita aequo violentius esse remedium non invitus, ut spero, concedet vir sagacissimus. Locum difficiliorem discipulis meis cum considerandum proposuissem, fuit qui πεσείν (vel potius πεσέμεν) coniceret pro ἔλέειν; sic per se non vituperandus esset versus ultimus, et penultimo apte esset oppositus; quapropter nolui silentio premere lenem hanc et ingeniosam coniecturam; attamen nego veram esse, quoniam ne sic quidem omnia bene procedunt, mutatur enim etiamnunc subiectum. *Non iam eminus dimicandum est cum Argivis:* haec postquam dicta sunt, expectatur verbum cuius subiectum non sint Troiani sed Argivi; quod reciperabis simulque ultimum versum sanabis, si infinitivos κτάμεναι et κτάσθαι inter se locum permutare iuseris; nihil enim restat quod vituperetur in hac, quam veram ducimus, lectione:

οὐ γὰρ ἔτ' ἔστιν ἀποσταδὸν Ἄργείοισι

1) Vid. Mnemos. a. 1886 p. 335 seq.

μάρνασθαι, πρὶν γ' ἢ κατακτάσθ' ἢ κατακτ' ἄκρης

Ἴλιον αἰπεινὴν ἐλέμεν κτάμεναι τε πολίτας:

non amplius eminus dimicare licet cum Argivis (i. e. iam cominus cum Argivis est decertandum), donec aut interempti fuerint aut ipsi Troiam ceperint civesque iugularint.

IX. ΔΕΔΡΕ — ΕΔΡΕ.

Notus est locus in libri Σ initio, ubi pingitur Achilles post Patrocli mortem immodice lugens et effreno animo indulgens moerori. Antilochus autem adstat manusque prehendit prostrati. Hactenus vere omnia ad vitam sunt expressa; at cum additur (Σ 34):

δεῖδρε γὰρ μὴ λαίμδν ἀπκμήσειε σιδήρῳ,

spurium esse hunc versum certatim observatum est a recentioribus criticis, quorum rationes succincte exposuimus in editionis nostrae annotationibus. Ex animi sententia assentimur; fortasse autem vix operae pretium est emendare quae non sint genuina, attamen liceat indicare vitium quod non interpolatori, qui molestum hunc versum confinxit, videtur tribuendum esse, sed posteriore demum aetate irrepsisse. *Metuebat* dicere voluit is, quisquis fuit, cui hexameter hic debetur: ergo non perfecto *δεῖδρε* debuit uti sed aoristo; scribendum est igitur, prima versus littera deleta:

ἔδρε γὰρ μὴ λαίμδν ἀπκμήσειε σιδήρῳ.

Quae emendatio viam indicat ad corrigendum alterum locum, eumque certo certius a vetere poeta compositum, Ω 358, ubi de Priamo dicitur:

σὺν δὲ γέροντι νόος ἕρτο, ἔδρε δ' αἰνῶς,

immo *ἔδρε*, ut aoristum excipiat aoristus. Hoc loco hiatus in causa fuit cur corrumperetur aoristi forma rarior, quam tamen ultra omnem dubitationem esse positam ostendunt loci quales sunt:

E 568: ἄβη δὲ διὰ προμάχων· περὶ γὰρ ἔδρε ποιμένι λαῶν.

I 433: δάκρυ' ἀνκρήσας, περὶ γὰρ ἔδρε νηυσὶν Ἀχαιῶν.

Vid. etiam P 666, χ 96 etc. — Contra emendationem nihil valet

Quinti Smyrnaei auctoritas, qui V vs. 282 utitur aoristo *ἰδεῖδιον*; hinc id unum efficitur Quinto antiquiorem esse errorem. Veri vestigia superesse videntur in Hesychii glossa: *εἶδειεν*] *ἰφοβεῖτο*; pro *ει* scribe *ι*, et recte erit observatum: *εἶδιεν* (sic enim scribendum est si negligitur digamma) idem valere quod *ἰφοβεῖτο*.

In transitu corrigam locum Hesiodaeum simili vitio inquinatum. Theogoniae vs. 399 legitur:

τὴν δὲ Ζεὺς ἴμιησε, περισσὰ δὲ δῶρα δέδωκεν.

Non ferendum esse perfectum *δέδωκε*, aoristum enim requiri, post alios viderunt viri docti Scheer et Rzach; non tamen cum illis scripserim *δῶρ' ἀπέδωκε*, quoniam *reddere* et *tribuere* non eodem redeunt; multoque minus cum aliis editoribus admiserim hiatum vere ridiculum *δῶρα ἴδωκε*; neque denique, quae Flachii (Dialect. Digamma des Hesiod. p. 20 sq.) est opinio, vocem *δῶρα* corruptam duxerim, sed poetam dedisse arbitror *δῶρά τοι ἴδωκε*:

περισσὰ δὲ δῶρά τ' ἴδωκε.

Pronominis forma, quae elisione erat premenda, hic ut alibi corruptelae extitit causa.

X. DE VERSU T 298.

Posterioris aetatis esse querelas Briseidis, quae libri T vs. 282—302 leguntur, optime intellexit Heynius, et hodie consentiunt fere critici. Singula quae huc conferunt indicia post alios enumerare inutile duco, sed unum adiciam quod nondum, nisi fallor, in luce fuerat positum. Nempe quod Briseis versu 298 dicit, Patroclum sibi aliquando promississe, fore ut Achilli iustis nuptiis iungeretur, id quam alienum sit a moribus aevi heroici nemo non sentit; concubinarum enim loco sunt captivae mulieres, non fiunt *κουρίδιαι ἄλοχοι*. Unde tamen mirifica haec Briseidis verba desumserit interpolator indicare posse mihi videor. In errorem eum duxit locus libri noni, ubi Achilles de Agamemnonis iniquitate queritur (I vs. 334 sqq.):

*ἄσσα δ' ἀριστήεσσ' ἰδίδου γέρα καὶ βρασιλεῦσι,
τοῖσι μὲν ἔμπειρα κείτ'· ἐμίθεν δ' ἀπὸ μούνου Ἀχιλλῶν
εἴλετ', ἴχει δ' ἄλοχον θυμαρέα. τῆ παριαύων
τερπέσθω etc.*

Quae Achillis verba quid significant haud sane obscurum est; dicit: *ceteris principibus constant sua γέρα, meam vero praedae partem, captivam quae mihi cesserat mulierem, Agamemnon abstulit. Quamquam domi habet ille uxorem legitimam quacum corpus misceat.* Redeunt igitur haec ad Plautinum illud: *quid meam illi tactio est?* Ego innuptus sum iuvenis, ille dudum uxorem duxit; suam foveat, mihi relinquat servam meam, qua delector. De *Clytaemnestra* igitur dici vocabulum ἄλοχον, et voculam δέ, quae praecedit, valere *attamen, quamquam*, certum est; neque a vera explicatione nos deflectere debet observatio, Clytaemnestram non in castris ante Troiae moenia degere, neque igitur suo marito belli tempore *λίχος καὶ εὐνήν πορσῦναι* posse: — talia enim non curat animus ira flagrans et quaelibet iurgia cupide arripiens quibus adversarium lacessat. Sententiam tamen non perspexerunt illi qui pro *ἔχει δ'* scribebant *ἔχειν*, quam lectionem commemorant scholia; haec enim lectio nasci non potuit nisi *Briseidem* Achillis ἄλοχον dici putarent lectores, ut haec verborum esset sententia: *michi soli ex omnibus Argivis surripuit caram uxorem ut ipse eam haberet.* Hoc igitur errore ¹⁾, quem foverunt sequentes versus (340—344) male explicati, obstrictus is, qui Briseidis querelam libro T infersit, ieiune admodum finxit Patroclum suasisse amico ut concubinam dilectam iusto matrimonio sibi iungeret ubi primum in patriam redux foret; Achillem sodali aurem praebuisse, et gravissima igitur ira exarsisse cum cara illa amica, quam iam uxoris fere loco haberet, sibi abriperetur, et illo nomine eam designasse quo postmodo ornare secum constitisset.

Quae quam insulsa sint probe sentio, attamen sic demum detegitur origo loci, alioquin obscura. Si vero constat, ex male intellecto versu libri I, quem ipsum inter recentiores Iliadis partes critici summo consensu referunt, fluxisse Briseidis verba supra allata, inde certius etiam efficitur recenti admodum interpolatori deberi querelam illam quae dudum proscripta fuerat.

1) Inter recentiores Barnesius, Clarkius, Iordanus in eundem inciderunt errorem; quos qui nuper refutavit Paulus Cauer (in Mus. Rhcn. 1889 p. 356 sq.) haud scio an minus tamen recte sic dividenda censent verba huius sententiae: *είλετ' ἔχει δ' ἄλοχον θυμάρια, τῆ* etc.

XI. NUM DELPHINUS APUD HOMERUM PISCIS DICATUR.

Achilles ubi stricto gladio in Scamandri alveum insiluit ibique ictus ingeminans Troianos conglomeratos iugulat, comparatur cum delphino, qui piscium agmen litoris sinu inclusum occupat. Poetae haec sunt verba (Φ 22 sqq.):

ὡς δ' ὑπὸ δελφίνου μεγακήμεος ἰχθύες ἄλλοι
 Φεύγοντες πιμπλάσι μυχρὸς λιμένος ἑυδρμου,
 δεδριότες, — μάλα γάρ τε κατεσθίει ὄν κε λάβῃσι, —
 ὡς Τρῶες ποταμοῖο κατὰ δεινοῖο ἴεθρα
 ἴπτῶσσαν ὑπὸ κρημονύς.

In scholiis observatur, delphinum igitur, animal calido sanguine praeditum, quod inter cetacea referendum est, a poeta piscem ipsum quoque dici, sed ex poetica libertate id satis excusatum videri et apud alios quoque poetas fieri. Non habeo equidem quod contra observem, neque profecto hodiernum lectorem decet oblivisci veteres cantores multarum rerum minus fuisse peritos historiamque naturalem certe non ita accurate habuisse cognitam: aliud denique esse carmen heroicum, aliud enchiridium omnium rerum quae sciri possint vel etiam nequeant. Quapropter nostro iure ridemus grammaticos poetam sive carpentes sive defendentes, quod leonem masculum catulos suos comitantem finxerit P 134 Σ 318; indignamur autem Aristophanis intempestivam doctrinam, cum suavissimam imaginem δ 336 ab eo corrumpi videmus, ne poeta ignorasse videatur id quod grammaticus ex Aristotele didicerat, cervas non plures hinnulos parere sed singulos; ridemus ipsum Aristotelem κῶπες pro σκῶπες ε 66 rescribentem, et Ptolemaeum Euergetam regia nec tamen palmaria coniectura σίου pro ἰου ε 70 corrigentem, ne poeta scilicet noctuas interdum volantes videretur finxisse aut violas in humidis pratis florentes. Attamen non sine causa addubitare mihi videor loci nostri lectionem traditam; nam etiamsi sumas, id quod per me licet, poetam pro magno piscium genere habuisse delphinos, restat tamen in hoc versu nescio quid languidi etiei. Apto epitheto pingitur praedator rapax, *μεγακήμεος* enim vocatur: iure igitur expectamus fore ut etiam praeda, cui terrorem ille incutit, suum sibi adiectivum tributum habeat, et vix a me impetro ut credam nihil nisi inutile illud *ἄλλοι* a poeta esse additum,

licet non ignorem ad defendendum hoc pronomen afferri posse
versum N 64, de accipitre

ὅς βᾶ τ' ἀπ' αἰγίλιπος πέτρης περιμήκεος ἀρθείς (?)
δρμήσῃ πεδίοιο διωκόμεν' ὄρνεον ἄλλο.

Locum autem consideranti commode in mentem venit versus
quidam Sophocleus, in quo defendendo et interpretando olim
multus fui ¹⁾, Aiac. 1297, ubi de Cretae rege Catreo Teucer dicit:

σὺ γὰρ φίλιαν ἐφῆκεν ἑλλοῖς ἰχθύσιν διαφθοράν.

In observationibus autem de hoc versu apud Athenaeum VII
p. 277 d, quae permagni sunt pretii, dicitur Sophocles insolitum
illud piscium epitheton ex Titanomachia desumpsisse, et affertur
versus unde id demonstraretur:

ἐν δ' αὐτῇ πλωτοὶ χρυσώπιδες ἰχθύες ἑλλοὶ
νήχοντες παίζουσι δι' ὕδατος ἀμβροσίου.

Vocabula tamen rariora cum reperimus apud Tragicos, statim
susplicamur non ex Cyclicis carminibus hodie deperditis ea esse
desumpta sed ex ipso Homero. Quapropter mea est opinio, vete-
rem illum cantorem, qui Achillem cum voraci delphino compa-
ravit, ut zoologiae parum curiosus fuerit, delphinos tamen,
quae animalia ad Graeciae litora sunt pervulgata, probe notos
habuisse optimeque scivisse non veros hos esse pisces ²⁾, sic
autem loco nostro cecinisse:

ὧς δ' ὑπὸ δελφίνος μεγακῆτος ἰχθύες ἑλλοὶ
φεύγοντες πιμπλάσι μυχοῦς λιμένος εὐόρου etc.,

et hinc igitur cum Sophoclem tum Titanomachiae auctorem
ἑλλεύς suos pisces habere. Apertum autem est quam similia sint
sono: ἰχθύες ἑλλοὶ φεύγοντες πιμπλάσι etc. et ἰ. ἑ. νήχοντες παίζουσι.
Quam coniecturam egregie confirmat versus in Hesiodico Scuto
212, ubi δελφίνες persequuntur ἑλλοπας ἰχθύς. Lubrici
autem et veloces humidoque splendore coruaci pisces dici videntur
ἑλλοὶ vel ἑλλοπες, et aptissime igitur adhibitum est hoc adiec-
tivum in comparatione Homerica ad pingendos pisciculos, qui
dnm terrore perculsi per undas dilabuntur ut hostem inhiantem
effugiant, veluti micantes igniculi transfulgent inter fluctus
gyrisque argenteis aequora sulcant.

1) De Aiac. pag. 164.

2) Ne anguillae quidem piscibus accenseatur φ 203:

τὸν μὲν ἄρ' ἐγγέλυς τε καὶ ἰχθύες ἀμφοτέρωτο.

Ἰχθύες autem ἄλλοι commonefaciunt me τοῦ αἰόλου ὄφραως, qui in versum famosum M 208 irrepsit. Troiani dum hostem invadunt, supervenit omen: aquila a serpente, quem unguibus raptat, morsa praedam mittit, quae in mediam Troianorum aciem delabitur:

Τρῶες δ' ἐρρίγησαν, ἐπεὶ ἴδιον αἰόλον ὄφιν
κείμενον ἐν μέσσοισι, Διὸς τέρας αἰγιόχοιο.

Quaeritur quid sit iudicandum de prioris versus exitu, in quo vox ὄφιν trochaeum implere debet. Ex Homero aliunde nihil subsidii peti potest, nam non nisi hoc uno loco vocabulum ὄφιν adhibuit, alias serpentem constanter dicit δράκοντα; sic in versibus qui proxime praecedunt legimus:

ἔρως γὰρ σφιν ἐπήλθε . . .

Φοινήμεντα δράκοντα φέρων δνύχεσσι πέλωρον.

Apud Hesiodum tamen (Theogon. 334 alibi) extat ὄφιν, sed ibi brevem habet syllabam priorem, ut apud ceteros omnes. Neque quicquam huc facit Antimachi quidam versiculus in scholiis ad Aristophanis Plut. vs. 718 servatus (Antimachi fr. 78), ubi Τήνου δφιοέσεως legimus; nam quod adiectivi δφιοέεις prima syllaba illic producit, inde non sequitur etiam substantivi ὄφιν syllabam priorem olim longam fuisse; nisi forte ex verbis Φιλίω vel ἴδης ἠνεμοέσεως, ut hoc utar, efficere voluerit aliquis vocabulum ἄνεμος longam habere syllabam primam. Metricae hae sunt productiones, ut γεαρνός, ὀλεσίκραπος, Πολυδάμας, ἀπονέσθαι, Πριπμίδης etc., quales centenae apud Homerum occurrunt¹⁾.

Multo gravius foret Hipponactis testimonium, si fides habenda esset Tzetzae, vocem ὄφιν trochaei loco apud illum adhibitam fuisse referenti in scholiis ad Lycophr. 424 (fr. Hipponact. 49 Bergk), ubi sex choliambos affert quorum hic est ultimus:

ἦν αὐτὸν ὄφιν τῶντικνήμιον δάκην (G. Hermannus δάκην).

At quam levis sit Tzetzae auctoritas apparet ex contextu; nam si integra sunt quae ille attulit Hipponactis verba, in versu 1 huic poetae κακὸμῆχῶνε tribuendum est: quisquis autem tales nugae aspernatur, ne ὄφιν quidem illud temere accipiet; patet enim parum accurate Hipponactis verba a Tzetza allata esse;

1) Non assentior igitur viro docto G. VOORINS, Grammatik des hom. Dialektes p. 24 sic scribenti: „unter die physiologisch zu erklärenden Längungen ist wohl zu stellen: ὄφιν M 208, Ζήφυρή η 119;“ nam posterioris certe vocabuli primam syllabam non vi litterae aspiratae φ sed metri causa produci certum videtur.

fortasse non *ἔφικε* sed *οὐφικε* i. e. *δ' ἔφικε* dixerat: certe articulum necessarium potius esse quam inutilem contextus docere videtur.

Quid igitur fiet loco Homerico? Nihil prodesse quae ad explicandum metrum insolitum afferebantur vidimus; itaque aut recondita quadam de causa longam esse vocis *ἔφικε* syllabam priorem statuamus necesse est, aut, nisi corruptum esse locum concedas, assentiendum erit veteribus grammaticis, qui *μειουρον* hunc vocarunt hexametrum et vel singulare poetae artificium egregiamque venustatem hic detegere sibi videbantur, quam aemulati posteriori hexametros in iambum excurrentes data opera fecerunt, de quibus consuli potest Christius in libro de Arte Metrica ² § 268.

Hodie nemo est, opinor, qui credat poetam metrum ultro corrupisse ut versus numeris insolitis pingeret serpentem caudam quassantem spirasque ducentem; sed video esse qui vi ictus et adspiratae litterae *φ* satis excusari censeant syllabam priorem vocis *ἔφικε* productam. Hi igitur faciunt cum deterioribus illis codicibus, qui *ἔπφιν* exhibent, componere autem solent vocabula *σκύφους* et *σκύφος* priore longa adhibita in Panyasis versu apud Athenaeum p. 498 d:

σκύφους αἰνύμενος θαμέας πότον ἠδὺν ἔπιπεν

et in Hesiodi fragmento ibidem (fr. 193 Rzach):

πλήσας δ' ἀργύρεον σκύφον Ἴφίρε, ἴδωκε δ' ἄνακτι.

Adde *βρόχον* trochaei loco numeratum Theognid. vs. 1099:

βρόχον ἀπορρήξας· σὺ δ' ἐμῆς φιλότητος ἀμαρτάν.

Sed vides in primo et tertio horum versuum syllabam, quae insolite producitur, hexametri initio esse collocatam, quo loco etiam *διά, ἐπεὶ* et similia poetae epici ponere ausi sunt; secundus autem versus, quem syllabam *σκυ-* in *thesis* productam habuisse credere durum est, fortasse olim fuit: *σκύφον δ' ἀργύρεον πλήσας*. Neque vocalem *υ* nominis *σκύφος*, quae anceps aliquando esse potuit, cum brevi vocali *ο* vocis *ἔφικε* recte conferri puto. Ignorari autem origo vocabuli *ἔφικε* mihi videtur; nam cum *videndi* radice *ΟΠ* cohaerere, quod plerumque statuitur, ut crederem a me impetrare non potui.

Omnibus igitur perpensis non dubito quin merus error nos ludificet in versu Homerico; quid tamen dederit poeta pro certo affirmare nequeo. In mentem mihi venit:

Τρῶες δ' ἐρρίγησαν ἐπεὶ ἔφιν ἔριδον ἑλλόν (aut αἰνόν),

cui tamen coniecturae nihil tribuo. Fortasse vocabulum, latinae voci *anguis* ex asse respondens, olim hic lectum fuit, nempe *ἔχλις*, quam antiquiorem fuisse formam vocis *ἔχλις* propter substantivum *ἔχχελυς anguilla*, quod inde derivatum est, suspicet aliquis. An licet uti observatione Plutarchi in vita Demosth. c. 4, τὸν Ἐφριν ἐνιοὶ τῶν ποιητῶν ἄρξαν δομαζούσιν? quam neque ab illo neque de nihilo fictam esse ex Herodot. VI 77 et Anecd. Bekkeri p. 442 apparet. Sed, ut dixi, certi nihil hic definitio.

XII. ΑΧΛΥΣ — ΑΗΡ.

Quomodo *ἀήρ* et *ἄχλυσ* apud Homerum inter se differant, post Alexandrinos summa cura exposuit Naberus 1). *Ἄηρ* prohibet ne quis videatur, *ἄχλυσ* prohibet ne quis videat; *ἀήρ* est nubes qua dii celant heroes ut aliorum eos oculis eripiant, *ἄχλυσ* est caecitas quam hominum oculis incutiunt ne cernant id quod latere eos volunt. Hinc igitur damnari quae O 668 sqq. leguntur, ubi *νέφος ἄχλυσ* de *pulveris turbine* dicitur, acuta est Aristarchi observatio; eadem autem de causa ferri nequit locus η 39 sqq., ubi de Ulixē Phaeacum urbem intranti legimus:

τὸν δ' ἄρα Φαίηκες ναυσικυτοὶ οὐκ ἐνόησαν
 ἔρχόμενον κατὰ γάστρῳ διὰ σφέρας· οὐ γὰρ Ἀθήνη
 εἶα' εὐπλόκαμος, δεινὴ θεὸς, ἣ ῥά τοι ἄχλυν
 θεσπεσίην κατέχευε φίλα Φρονέουσ' ἐνὶ θυμῷ.

Nam *ἄχλυν* si Minerva Ulixi offudisset, non Phaeacum oculis eum surripuisset sed caecum reddidisset ipsum. Quod diu ante hodiernos criticos persensit vir ingeniosus inque Homero multum versatus, Zenodotum dico; quapropter legebat ille: ἢ σφισσιν *ἄχλυν θεσπεσίην κατέχευε*, sic omnia recte procedere ratus; nam si Phaeacibus dea videndi facultatem adimit, Ulixes eos latere poterit dum adit Alcinoi regiam. At fugerat Zenodotum, sic huius quidem loci verba vitio aperto liberari, sed ipsum locum nunc pugnare cum iis quae modo narrabantur; versu enim 14 legitur:

καὶ τότε Ὀδυσσεὺς ὄρτο πόλινδ' Ἴμεν· ἀμφὶ δ' Ἀθήνη
 πολλὴν ἠέρι' ἔχευε φίλα Φρονέουσ' Ὀδυσσῆι,
 μή τις Φαιήκων μεγαθύμων ἀντιβολήσας
 κερτομέοι τε γέπασσι καὶ ἐξερέοιθ' ὅτις εἶη.

1) Vid. *Mnemos.* a. 1855 pag. 204, a. 1884 pag. 199. *Quaest. Homer.* p. 138.

Nube igitur cava involutus Ulixes urbem adit perque plateas procedit, ipsam denique intrat regiam (vs. 139 sq.):

αὐτὰρ ὁ 'βῆ διὰ δῶμα πολύτλας δῖος Ὀδυσσεὺς
πολλὴν ἤέρ' ἔχων, ἣν τοι περιχεῦεν Ἀθήνη,

ubi autem in domus penetralia adque ipsum focum pervenit, supplex amplectitur genua reginae, (vs. 143):

καὶ τότε δῆρ' αὐτοῖο πάλιν χύτο θέσφατος ἀήρ.

Quorsum igitur ἀχλὺς illa quam civium oculis non Homerus sed Zenodotus offudit? Num parum sibi fidit ipsa Minerva, neque satis densam fore nubem illam credidit ad occultandum heroem nisi simul oculis caperentur urbis incolae? Mihi supra quam dici potest icium hoc videtur, itaque facio cum Aristarcho Zenodoteam illam sive lectionem sive — quod veri duco similis — coniecturam reicienti.

Quid igitur fiet? Si servatur ἀχλὺς, repugnat hic locus dictioni Homericae aliunde cognitae et damnandus est igitur; si Zenodoteum σφισίν recipitur, pugnat locus cum contextu itemque igitur est damnandus. Num igitur assentimur Kirchhoffio Fickio aliis, qui versus 39—42 ex carminis compage resecurerunt? Non ego; corruptum enim duco locum, non spurium. Nempe in verbis ἦ ῥα (HEPA) latitat id ipsum quod requirimus vocabulum, ἠέρα; abiecta autem voce ἀχλύν, quae hinc aliena est, versus finem sic redintegrandum censeo:

θρηνὴ θεός, ἠέρα δέ τοι

θεσπεσίην κατέχευε.

Nihil autem insoliti habere particulam δέ sic productam, aut vuculas monosyllabas δέ τοι versum claudentes, evincunt versiculi satis crebri, qui excurrunt in θυγατέρα γῆν, πατέρι γῶ, πόσει γῶ, οὐδέ τί πώ μοι (A 542), ἀλλ' ὁ μὲν οὐ τοι (α 262), τὸν δὲ προτὶ τοι (ω 347) etc. Simillimum autem exitum habet Φ 6:

τῆ ῥ' οἷ γε προχέουτο πεφυζότες, ἠέρα δ' Ἦρη
πίτνα πρόσθε βαθεΐαν.

Magis igitur placet nostro loco δέ τοι quam γάρ τοι, quod tamen erunt fortasse qui praeferant. Vertendum est denique: *densam autem nubem ei circumfuderat.*

NOTULAE CRITICAE AD SILIUM ITALICUM.

SCRIPSIT

J. S. VAN VEEN.

(Continuantur ex Vol. XVII pag. 377).

V. 26: — — — stabatque (sc. Aurora) *nitens* in limine primo.

Rupertius ad verbum *nitens* adnotat: „nitens ore, nitida, pulchra, nisi malis *pedem figens*, ut apud Verg. Aen. II. 380”. Mirum in modum fallitur vir doctus, quippe qui oblitus sit in verbo deponenti (nitor, nisus sum, niti) vocalem i produci, in verbo, quod est *nitere*, contra corripì.

47: Haud secus ac vitreas sollers piscator ad undas,
Ore levem patulo texens de vimine nassam,
Cautius interiora ligat, — — — — —

In verbo *cautius* me offendere libenter confiteor; quid sibi velit in hoc verborum contextu, non assequor. Vix dubito, quin Silius scripserit *artius*. Quod cum rescriptum est, pulcherrime inter sese opponuntur *os patulum* et *interiora artius ligata*. Cf. praeterea Verg. Aen. II. 146; Ovid. Fast. III. 306.

64: — — pressamque ad colla bipennem
Incerta cervice ferens, altaria liquit (sc. taurus).

Incerta cervice auctore Rupertio significat: „vulnere non certo et letali accepto”. Apud Verg. Aen. II. 224 res similis narratur hisce verbis:

— — — fugit cum saucius aram
Taurus et *incertam* excussit cervice *bipennem*.

Quare fortasse et hoc loco apud Nostrum reponendum est *incertam*. Cf. etiam Sil. V. 297: umbonem *incerto* detersit futilis

ictu; Ovid. ex Ponto IV. 4. 31: colla boves niveos *certae* prae-
bere *securi*. Sed loci, quales sunt Sil. X. 153, 155, 457, ali-
quatenus vulgatam defendunt.

191: Horresco *ut pendente* malo, ceu ductor ad arma

Exciret Tyrius.

Vulgo legitur *excitet*, quod propter metrum genuina lectio esse
nequit. Codd. Col. et Oxon. exhibent *exciret*, quod multis exemplis
vindicant N. Heinsius et Drakenborchius. Quae cum omnia ob-
iecto, quod dicitur, iuncta sint, hic vero verbum absolute posi-
tum sit, in mentem mihi venit pro *exciret* verbum intransitivum
substituendum esse. Scribendum mihi videtur *eriret*, ut apud
Verg. Georg. IV. 67: sin autem *ad pugnam erierint*. Praeterea
cum suspicarer pro *ut pendente* legendum esse *impendente*, hanc
coniecturam a N. Heinsio et Rupertio occupatam esse vidi.

220: Ipsa, facem quatiens ac *flavam* sanguine multo

Sparsa comam, medias acies Bellona pererrat.

Flavam iam N. Heinsio displicebat. Expectaveris aliud verbum
in Bellonae, atrocissimae illius deae, descriptione atque hoc
epitheton languidissimum. Varia viri docti emendandi gratia
protulerunt: N. Heinsius *ravam*, Burmannus *foedam*, Bentleius,
Schraderus et Lefeburius *furvam*, Bothius ingeniosius quam
aptius *adflatam*, Rupertius *fulvam*. Addere possis *saevam* vel
effusam (pro *acflavam*) ut apud Sil. 1. 93; Verg. Aen. IV. 509;
Georg. IV. 337; Ovid. Met. XIII. 688; Ep. 7. 70: *effusis* san-
guinolenta *comis*; Val. Fl. II. 42; Luc. 1. 443 et passim alibi.

287: Stabat fulgentem portans in bella bipennem

Cinyphius; socerique miser Magonis inire

Optabat pugnam ante oculos, spe laudis, Isalces.

Cinyphius nomen proprium non est, sed cum voce *Isalces* iungen-
dum est = Libycus. Cf. vs. 296: *acre in Cinyphio*. Quae cum
ita sese habeant, distinctio maior post *Cinyphius* tollenda videtur.

353: — — — — ferrumque e corpore cantu

Exigere et somnum tacto *misisse* chelydro

Anteibat cunctos.

Pro *misisse* N. Heinsius coniecit *immisisse*, quod probari possit. Minus etiam a codicum scriptura recedit, quod equidem substituere velim, *iniecisse*.

357: Ipse olim antiquo primum Garamanticus Hammon

Scire *pater* dederat Synhalo, — — — — —

Melius legi mihi videtur *patri* — *Synhalo*. Pater = proavus occurrit apud Sil. V. 395; XI. 178; Verg. Aen. III. 107, 168, 180. Cf. praeterea vs. 364 sq. huius libri: *vetustum* — *patrem*. Idem et N. Heinsio in mentem venisse video.

363: Haud levior fama Synhalus Garamantica sollers

Monstrata augebat studio multaue vetustum

Hammonis comitem *numerabat* imagine patrem.

Verba: „multaque Hamm. com. *numerabat* imag. *patrem*” Ernesti sic explicat: „Inde ab illo proavo vetusto multas imagines h. e. multos avos et maiores numerabat”. Quod si verum est, utique dicendum erit poetam vix obscurius atque invenustius loqui potuisse. Accedit, quod *numerare* fere ridiculum videtur, cum constet hunc Synhalum tertium demum ab illo fuisse. Expectaveris tale verbum, quale est *colere*. In mentem mihi venit *venerabat*, quod legitur apud Plaut. Trucul. 463, forma antiqua pro recentiore verbo deponenti. Sic *venerari* quoque saepius ponitur, ut Ovid. ex Ponto I. 2. 51; Tac. Agr. 46: *memoriam alicuius venerari*. Sed meram coniecturam appellasse contentus sum.

401: Ante omnis iaculo *tacitas* fallente per *auras*

Occumbit Bogus, — — —

Tacitas per auras parum placet. Quod Rupertius laudat V. 446: *tacitâ* per nubila *pennâ*, id ipsum per se optime dicitur, sed nihil valet ad hunc dicendi modum tuendum. Melius laudaveris Stat. Theb. II. 89:

Nox ea, cum *tacita* volucer Cyllenius *aura*

Regis Ehionii stratis adlapsus, — —

sed illic N. Heinsius teste Burmanno legebat *hora*. Longe melius mihi legi videtur: *faciles per auras*, ut apud Ovid. Ep. 17. 45: *facilemque* move moderatius *auram*.

462: — — — quo (sc. Murrano) non alius, cum bella silerent,

Dulcius *Oeagrius* pulsabat pectine nervos.

Significantius, opinor, iungitur *Oeagrio* — *pectine* (*Oeagrus* Orphei fuit pater). Minime enim nervis, sed potius pectine (i. e. manu, qua pecten regitur) summa ars exprimitur. Cf. Stat. Ach. II. 443; Silv. I. 3. 101; Theb. VII. 631; Hor. Carm. I. 26. 11.

469: Palantes nam dum sequitur (*Tauranus*), pervaserat altam

In silvam et priscae reclinis ab ictibus ulmi

Terga tuebatur trunco frustra *relictos*

Tauranus comites suprema voce ciebat.

Locus parum dilucidus. Utros sequatur T., Romanos an Carthaginienses, non apparet. Quodsi Silius dicere voluit *Tauranum* Carthaginienses persecutum esse, difficile intellegitur, cur arbore se texerit. Sin autem cum ceteris Romanis in fuga erat, verbum *relictos* quin corruptum sit, vix dubito. Lenziem hoc verbum sic accepisse video: „quos secutus, sed nondum adsecutus erat”. Fortasse praestiterit *relictus* atque sic locus intellegendus est: *Tauranus* cum comitibus fugiens, *relictus* ab iis se tegit arbore, quo hostium tela effugiat. Schraderus, qui pro *Tauranus* conicit *Taurinus*, hunc locum non intellexisse se confitetur.

582: — — — patriaeque alimenta senectae

Ducere suspenso per *stagna iacientia* lino.

Recte viri docti animadverterunt epitheton *iacientia* hoc loco languere. Rupertius conicit *potentia* vel *virentia*, quae, quamvis ipsa per se satis probari possint, tamen a librorum scriptura *iacientia* (quod Col. teste Heinsio habebat) et *latentia* (quod libri L. F. O. V. exhibent, quos H. Blassius optimos putat) nimis recedunt. Equidem olim suspicabar rescribendum esse *latentia*, verbum de locis sollenne, sicut apparere potest ex Verg. Aen. II. 94; VIII. 87: *tacita* unda; X. 227: *tacitis* undis; Sil. III. 451; VIII. 400; XV. 616. Sed nunc vereor quicquam mutare collatis locis, quales sunt Luc. III. 524; V. 434, 443; Val. Fl. III. 732; IV. 726 et quos praeterea Drakenb. ad hunc locum laudat. Videant acutiores.

VI. 73: — — — — — cum membra cubili
 Evolvens *non* tarda Marus — vetus ille parentis
 Miles et haud surda tractarat proelia fama —
 Procedit, — — —

Quod correxisse video Barthium *iam* pro *non* (propter senectutem), id et mihi iamduddum in mentem venerat. Sed nunc nescio, an vulgata potius sit retinenda. Sic enim accipi potest Marum „sine ulla mora” surrexisse, ut *non tarda membra evolvens* haud ita raro apud poetas usu dictum sit pro *celeriter m. e.* Tunc utique nihil mutandum est.

144: Hic studio laticum, quorum est haud prodiga tellus,
 Per ripas laeti *saevis* consedimus arvis.

Verbum *saevis* tam mihi quam aliis corruptelae suspicionem movit. N. Heinsius conicit *riguis*; num recte, vehementer dubito. Drakenborchius, laudans vs. 153, sic explicat: „in quibus saevus serpens morabatur”. Olim putabam legendum esse *lactis* . . . *arvis* atque in verbo *aeris* (quod restat litera *s* dempta) mendum latere. Sed nunc in emendando meliorem viam ingredi mihi videor, cum *lactis* retineo, quod verbum coll. vs. 144 optime h. l. convenit. Pro *saevis* levissima mutatione reponendum videtur *sacris*, ut Sil. IV. 355. Verg. Aen. III. 57. Sil. VI. 203; VIII. 100. Literas *e* et *e* sescenties confundi notissima res est.

204: Sic dirum nobis et lamentabile monstrum
 Effugisse datur.

N. Heinsius suspicabatur *vix*. Sed nihil mutandum videtur. *Sic* h. l. significat: dum Aquini artus depascebantur. Cf. vs. 203.

362: Et *remis* dictet sonitum, pariterque relatis

Ad numerum *plaudat* resonantia caerulea tonsis.

Locus ad intellegendum difficillimus. Cum ipse *κελευστής* non remigaret, Rupertius conicit: ad numerum <ut> *plaudant* (sc. *remi*); Bothius, cum timeret, ne discrimen inter remos emissos et reductos non satis perspiceretur, pro *remis* reposuit *rectis* (i. e. *directis*). Fortasse utraque coniectura adhibita sic interpungendum est:

Et *remis* dictet sonitum pariterque relatis,

Ad numerum <ut> plaudant resonantia caerulea, tonsis.
Tunc iunguntur *relatis* et *tonsis*.

467: Iustitiae rectique *dator* (i. e. Iuppiter), qui cuncta gubernas. Merito viri docti offenderunt in verbo *dator*. Perperam Drakenb. laudat Verg. Aen. l. 734, ubi Bacchus *laetitiae dator* appellatur. Nam sicut Bacchus dare laetitiam dicitur, minime tali sensu h.l. Iovem dare iustitiam et rectum dici posse, quis est quin videat? N. Heinsius suspicabatur *sator*, Rupertio inter alia in mentem venit *Stator* (coll. Cic. Catil. I. 33; Vell. Patere. II. 131), quod, quamvis sanum sensum praebeat, tamen mihi parum arridet. Nisi fallor, Silio restituendum est *auctor*, quod verbum et apud alios et imprimis apud Ovidium passim hoc sensu occurrit.

473: Sic nobis rerum exitio desistite honorem
Tendere: tot bellis totque *annis* fregimus aevum:
Nunc etiam vinclis et longo carcere torpent
Captivo in senio vires.

Verbum *tendere* sine dubio spurium est. N. Heinsius conicit *pendere* (quod probat Schraderus) vel potius *vendere*. Num recte nescio. Quod vs. 474 legimus *annis* fregimus aevum, corruptelam olere mihi videtur. Vix dubito, quin rescribendum sit *armis*, quod, quamvis a *bellis* haud ita multum discrepet, huius loci sensui aptissimum est. Accedit quod haec verba a librariis confundi solent; cf. Sil. XI. 145; Luc. VII. 421 cett. Silium non vereri duas res similes vel fere similes iungere, inter alia multa exempla etiam perspicui potest ex huius libri vs. 522 sqq. Huius loquendi modi specimen occurrit apud Verg. Aen. I. 545:

Nec pietate fuit nec bello maior et *armis*.

Postremo *bella* et *arma* sic eleganter congruunt cum *vinclis* et *longo carcere* (vs. 475).

560: Ast aliae, laceris *caentes* crinibus, alta
Verrunt tecta Deûm.

Iure in verbo *caentes* haesisse video Schraderum; quid vero legendum putaret, non dixit. Expectaveris tale quale est *attonitae*, quod verbum et Lucanus, cum similem rem narraret, posuit. Neque ego quicquam, quod satisfaceret, invenire potui.

619: Hic, circumspectis nulli *depreusus* in armis,
Laudatusque Iovi, Fabius, mirabile quantum
Gaudebat, — — —

Verbum *depreusus* ab interpretibus parum recte acceptum mihi videtur. Cellarius et Rupertius explicant: „interceptus, oppressus“. Equidem censeo h. l. intellegendum esse sensu paulo rariore, quo legitur apud Stat. Silv. IV. 4. 74 = *aequatus*, *aequiperatus*. Hoc dicere voluisse Silius mihi videtur: Nemo Fabio par fuit in caute prudenterque bello gerendo.

706: Adde Ticini spumantes sanguine ripas,
Et nostrum Trebiam et Trasimenni litora Tusci
Clausa cadaveribus: — — —

Verbum *clausa* non admodum placet. N. Heinsius coniecit *plausa*. Mihi in mentem venit *densa* reponendum esse. Cf. Sil. III. 492; Verg. Aen. X. 178; Ovid. Am. III. l. 32; A. A. III. 691; Met. XII. 247; Fast. II. 253; VI. 411, 502; Val. Fl. II. 367; III. 484. Perfacile *densa* in *clausa* corrumpi potuit, cum constet litteras *d* et *cl*, *n* et *u* passim in codicibus permutari.

Praeterea aliquot alienae emendationes et coniecturae minime spernendae mihi videntur, quas h. l. enumerare mihi libet:

V. 147: *spumantia* (N. Heinsius), quod et mihi in mentem venerat; 161: *flumen* (Rupertius), quod et ego conieceram; 171: *hic* (N. Heinsius); 238: *geminique corusca* (Lefeburius); 278: *commaculat* (Bothius), quod et ego conieceram. Cf. Verg. Ecl. 8. 47; Tac. Ann. I. 39; 499: *aptatam* (Rupertius); 573: *adsperit* (Burmannelus); 660: *lacvi* (N. Heinsius).

VI. 14: *ruerat* (N. Heinsius); 21: *nece magnanima. puer* (Thilo); 32: *mole* (N. Heinsius); 125: *illam* (idem prob. Rupert.); 160: *dape, quae pro lateque* (L. Bauerus); 162: *ab aestu pro pastu* (N. Heinsius); 194: *cingentibus* (idem); 319: *campum inque* (Rupertius); 338: *pone* (L. Bauerus); 371: hic versus cum Bothio post vs. 376 transferendus mihi videtur; 413: *arcere amplexus pater* (Rupertius); 456: *quasque* (idem); 470: *sit* (c. libb. dett. Schraderus et Bothius); 571: *redeuntum* (Dausqueius et N. Heinsius); 645: *laetis* (N. Heinsius), cf. VIII. 456; 649: *dites* (Lefeburius), cf. vs. 650.

DE PARTICULAE TAMEN SIGNIFICATIONE ANTIQUIS-
SIMA AD CICERONIS PERE TEMPORA IN
LATINITATE CONSERVATA.

SCRIPSIT

H. T. KARSTEN.



Iam satis constat inter omnes etymologos coniunctionem *tamen* eiusdem esse radicis demonstrativae, unde derivata sint *tam tantus talis tot tum tunc -te (is-te) -ta*. Neque eius significationem ab origine diversam fuisse a comparativa particula *tam*, satis tuto statuitur, si conferimus Graecorum ὅμως, Francogallorum *tout de même* (quod comparavit Bréal), Anglorum *even*, nostrum *evenwel*, quibus adversativis omnibus subest comparandi notio, nec minus si attendimus ad ea quae ex Verrio Flacco de nostra particula tradidit Festus p. 360, ubi legimus haec:

„*Tamen* in carmine positum est pro *tam* ... At antiqui *tam* etiam pro *tamen* usi sunt, ut Naevius:

„quid si taceas? dum <te> videat, *tam* etiam sciat, quid scriptum sit.

„Ennius: illae (ille L. M.) meae *tam* potis pacis potiri.

„Titinius: „Bene cum facimus, *tam* male subimus, ut quidam perhibent viri. Item: quamquam estis nihili, *tam* ecaster simul „vobis consului”¹⁾.

Ex primis Festi verbis Ritschellius, Op. 4. 405, paulo levius sic conclusit: „Wenn als eine alte Form *tamen* bezeugt

1) Adde Donatum, qui ad formulam Terentianam in Ad. 2. 4. 14 „ne tam quidem”, annotavit: „tam pro tantum an tam pro tamen?”

„wird, (die dan durch weitere Verkürzung zu dem mit gleicher „Bedeutung noch in *tametsi* vorhandenen *tam* wurde), so ist das „doch nichts anderes als das abgestumpfte *tamen*, welcher „Aussprache sich nur in diesem Falle auch die Schrift accommodirte, was sie in andern nicht that“. Ritschelio adstipulatus est Schuchardt (de Latin. vulg. l. 116 sq.), sed redarguerunt eius opinionem Corssenus (Stud. crit. p. 272 et de voc. L. Lat. I 245 adnot.) atque Ribbeckius, qui in libello de partic. Latin. p. 27 sqq. cum Corsseno opinatur *tam* esse Accusativum femininum radice demonstrativae pronominalis, eamque formam anteriorem esse alteri *tamen*. De significationis autem mutatione et de suffixo *en* ita disseruit: „Aus einer energischen Hinweisung entwickelte sich unter Umständen, bei „Erwägung verschiedener Seiten, Gesichtspunkte, Thatsachen, „die schärfere Betonung des einen Punktes im Gegensatz zu „den andern, und so wurde *tam* Adversativpartikel... „Dass man nun eben die Betonung eines solchen gegensätzlich „gemeinten Hinweises noch ausdrücklich durch Hinzufügung „eines besonderen Elementes zu sichern suchte, und „dass die so gewonnene Formel nach und nach in den fast ausschliesslichen Besitz der adversativbedeutung kam, jenes einfache demonstrative Adverbium aber auf seine ursprüngliche „Sphäre beschränkt blieb, ist ganz plausibel. Nur erkenne ich „in dem angehängten *en* nicht mit Corssen l. l. p. 279 eine „Locativform vom Pronominalstamm *i-*, noch auch den hinweisenden Accusativ *em*, sondern den wohl zu unterscheidenden „anregenden Ausruf *en*“.

Quae extremo loco Ribbeckius asseruit de natura suffixi *en*, ea linguisticis iudicanda relinquo, sed facio cum iis, quae praemisit de voculae significatione et natura demonstrativa. Nam, si mentem eius bene perspexi, in sententia Plautina ex Captivis, 2. 3. 33, quam exempli gratia promo: *Istuc ne praecipias: facili memoria memini tamen*, habemus in posteriore membro expressum indicium (eine energische Hinweisung) illius quod contrarium est priori. Recte. Etenim quae nemo praecipit, solemus oblivisci; quodsi nihilominus meminimus, id expresse indicandum est.

Cum hac definitione, quam Ribbeckius deduxit ex vocis

etymo, convenit aliquatenus concisa explicatio, quam Madvigius dedit ex vocis usu apud Ciceronem (de Fin. p. 287): „refertur particula ad tacitum intellectum (Erwägung „verschiedener Seiten e. q. s. apud Ribb.) et concessionem „contrarii eius, quod ante positum est”. Scilicet Madvigius ex usu classici sermonis „concessionem” appellavit, quod ab initio fuerat expressum indicium ¹⁾.

Ribbeckius autem (l. l. in adnot.) in Plautina formula *tam gratias*, quae est humaniter recusantis, eandem particulam paulo aliter circumscripsit, per comparationis ellipsin, hunc in modum: *tam gratia est, quam si accepissem quod offers*, provocans ad Horatii vs. Ep. 1. 7. 18: *tam teneor dono, quam si demittar onustus*. Ex hac igitur ratione versus ille Plautinus ita esset explicandus: *Istuc ne praecipias: tam memini facili memoria, quam si praecipias*. Suffragantur huic interpretationi alii quidam vs., veluti Amph. 1. 1. 45. *Verum quasi adfuerim, tamen simulabo atque audita eloquar*, i. e. simulabo atque audita eloquar *tam, quam si adfuerim*. Cf. etiam Pers. 1. 1. 11. *Sed quasi lippo oculo me erus meus manum abstinere non quit tamen*.

Haec autem altera explicatio superiorem non infringit, sed explet. Fieri enim nequit „tacitus intellectus contrarii” (die Erwägung verschiedener Seiten ... des einen Punktes im Gegensatz zu den andern) nisi per comparationem, qua mens loquentis utitur vix sibi conscia, sed quam nostris oculis representat interpretatio posterior.

Iam inquirendum est, num pristinae illius particulae significationis etiam nunc luculenta vestigia supersint in scriptoribus Latinis, quae vestigia haud scio an nemodum dedita opera persecutus sit. Si quis fecerit, spero fore ut communis nostra opera his studiis prosit, nam res non nullius est momenti et ad etymologiam et ad interpretationem scriptorum. Ac primum videamus de usu Plautino. Sed priusquam explanamus usum ipsius coniunctionis, dicendum est de formula *tam gratias* atque recensendi sunt loci Plautini, ubi legitur *tam* pro *tamen*.

1) Convenit hoc loco commemorare quae habet Priscianus p. 99 Hertz: „Adversative sunt quae adversum convenienti significant, ut *tamen, quamquam, quamvis, etsi, etiamsi, saltem*”. Cf. etiam Gr. Lat. VIII p. 88. 29 et p. 169.

Tam gratias.

Assentior sane iis qui in hac formula *tam* habeant pro mero demonstrativo, quamquam nec Ladewigii explicatio satisfacit, qui putat particulam pronuntiatam fuisse cum congruenti manuum motu „wodurch angezeigt wurde, wie sehr Jemand für etwas „danke“ (Z. f. A. W. p. 1070), cui adstipulatus est Holtze (Synt. p. s. L. 1. 228), nec Ribbeckiana illa, quam supra rettuli.

Legitur formula his locis.

Men. 2. 3. 11 Er. *Eamus intro ut prandeamus.* Men. *Bene vocas: tam gratias.*

Pseud. 2. 4. 23 Char. *Quin tu si quid opust mi audacter imperas.* Pseud. *Tam gratias.* Bene sit tibi, Charine: *nolo tibi molestos esse nos.*

Stich. 3. 2. 18 Epignomon, invitatus ad coenam, recusat his verbis: *Locatast opera nunc quidem: tam gratias.*

Nimis intenti, ut opinor, versui ex Menaechmis neglexerunt interpretes in Pseudulo et Sticho sequi aut anteire sententiam recusantem: *nolo tibi molestos esse nos* et *locatast opera nunc quidem*, ita ut in his vss. *tam gratias* nihil per se neget, sed potius additum sit ad levandam recusationis asperitatem. Hinc autem usu venit, ut ipsa formula nude posita recusationis speciem iuderet (ut nostrum „dank u zeer“, „danke sehr“, dum Francogalli et Anglici addunt negationem „merci, non“, „thank you, no“), et hac ratione usurpata est in Menaechmis, ubi tu suppleas *non eo intro*.

Tam pro tamen.

Supra vidimus Verrium Flaccum legisse *tam pro tamen* apud Naevium Ennium Titinium. Eandem formam servavit Ambrosianus in Plauti Sticho l. l. 42 sqq., ubi reliqui l. l. exhibent *tamen*:

Et si illi improbi sint, atque aliter

In nos faciunt quam aequomst, tam pol

nostris omnibus cauze opibus

nostrum officium meminisse decet.

Porro optimi l. l. BCD in Merc. prol. 33

quia,

*quae nihil attingunt ad rem nec sunt usui,
tam amator profert saepe adverso tempore;*

ubi arbitrarie cum Ritschelio Götze et Löwe ediderunt *ea amator.*

Praeterea ex coniectura Bothii novissimi editores nunc receperunt *tam* in Merc. 4. 3. 32 et in Epid. 4. 2. 18, sed utrobique vix recte. In priore loco cum Lysimachus uxor litigabunda rogavit de captiva, quam sibi asportavit:

non tu scis quae sit illaec?

ille certum responsum evitans sic reponit secundum libros:

Immo iam scio.

Iam si nihil usus esset iam non dicerem.

Pro *iam*, Bothe et Götze *tam*, quod falsam habet veritatis speciem. Sic enim Lysimachus fateretur, se dicturum esse quae sit illaec, quia iam usus sit. At vero in sqq. nequaquam dicit quae sit, sed cur eam adduxerit, itaque corrigendum censeo: *Eam, si n. u. e., iam non ducerem.*

Ussing proposuit *nam*.

In Epidico AB adversante metro habent:

Si non volt. Equidem hac invita tamen ero matris filia.

Bothe et Götze *tám* ero cum hiatu. Muellerus *ta* ex repetitione ortum putans lepide correxit *invita meae ero m. f.* Denique in Poen. 1. 2. 73, ubi libri praebent *quibus ego tamen abstineo manus*, Bothius correxit *quis ego tam* vel *quis tamen*. Götze et Löwe perperam omittunt *tamen*.

Igitur *tam* pro *tamen* satis certa auctoritate legitur tantummodo in Mercatoris prologo et in Sticho.

Veniamus ad ipsam coniunctionem *tamen*. In quo duo praemonenda sunt. Primum hoc. Antiquos homines vix sibi conscios fuisse demonstrativae significationis, quam nos doctrina moniti agnoscimus. Tum hoc quoque observandum est, non casu factum esse, ut in iis vs. in quibus insint certissima vestigia pristinae illius significationis, particula plerumque posita sit in fine sententiae, quippe quo loco magis effertur vis et *ἐπίπυσις* demonstrandi. Ubi autem notio demonstrativa cessit adversativae, plerumque in priorem sententiam retracta est coniunctio. Denique prorsus vulgo evanuit notio demonstrativa vel compara-

tiva, ubi praecedit sententia per *quamquam quamvis licet*; minus, ubi praecedunt *si etsi tametsi utut*.

Tamen in fine sententiae.

Sentitur maxime prisca significatio in his vss.

- Capt. 1. 2. 84. *cum calceatis dentibus veniam tamen* = tam, quam si non opus sit calceatis dentibus.
- „ 2. 3. 33. *Istuc ne praecipias: facili memoria memini tamen.*
- „ 2. 3. 44. *Dicito te . . . beneque ero gessisse morem in tantis aerumnis tamen* = tam in aerumnis quam in rebus secundis.
- Cas. 1. 1. 17. *Chaline, non sum oblitus officium meum* (ut ruri curem): *praefeci rure recte qui curet tamen* = tam, quam ego curarem.
- „ 2. 7. 4. *Quid opus est* (ut me suspendeam), *qui sic mortuus equidem tamen* = tam, sine suspensio.
- Memorable est *Lambinum* in neutra sententia tulisse adversativam coniunctionem, quam traxit ad seqq. interpungens post *curet* et post *mortuus*.
- Mil. 1. 1. 48. *At nullos habeo scriptos: sic memini tamen.*
cf. Capt. 2. 3. 33.
- „ 3. 2. 52. *Quaeso tamen, tu meam partem, infortunium si dividetur, me absente accipito tamen* = tam absente, quam praesente me.
- „ 4. 8. 31. *Bene quaeso inter vos dicatis et amice absenti tamen* = tam absenti, quam praesenti.
- Cum his confer:
- Amph. 1. 3. 44. *Cum absim me ames, me tuam absentem tamen.*
Codd. *metuam te a. t.*, correxit Camerarius.
- Cas. prol. 62. *Sciens eius mater dat operam absenti tamen.*
Cf. v. 20 *absentes tamen prosunt praesentibus*, et vs. in Amph. 2. 2. 195 sq. qui tamen insiticius videtur.
- Pers. 3. 1. 36. *Ego nunc, quod non futurumst, formido tamen* = tam, quam futurum.
- Stich. 5. 4. 50. *Unam amicam amamus ambo: mecum ubi est, tecum est tamen* = tam, quam mecum.

Minus sentitur demonstrativum in his vss.:

Cas. 2. 4. 23. *Abin hinc ab oculis? — Invitus me vides, vivam tamen.*

Locum perlegenti facile apparebit pro inepto vivam mecum corrigendum *ducam* scil. puellam.

Epid. 2. 2. 57. *Nec sat exaudibam, nec sermonis fallebar tamen.*

„ 3. 4. 83. *Non reddis? — Neque fides neque tibias... — Abiero, flagitio cum maiore post reddes tamen = tam, quam nunc.*

Merc. 4. 3. 21. *Resciscam tamen. ibid. 28 dicundumst tamen.*

Mil. 3. 1. 165. *Culpant (dapes) et comedunt tamen.*

Pers. 4. 4. 87. *Sapienter loqueris, atqui me miseret tamen.*

Pseud. 1. 4. 12. *Quae nusquam nunc sunt gentium, inveniam tamen.*

Rud. II 6. 49. *Utinam fortunam nunc ego anatinam uterem, cum exivissem ex aqua arcerem tamen.*

Non p. 406 ad h. l.: *tamen* significat *statim*.

„ 4. 3. 75. *Cerritus sum. — At ego elleborosus: hunc (vidulum) non amittam tamen.*

„ 4. 4. 80. *Vidi petere miluom, etiam quom nihil auferret tamen.*

Ita libri. Schöll. mire: *vidi p. m. etiam corvum: n. aufert t. Legendumne petere etiam carnem, nihil aufert t.? In Aul. 2. 4. 36 pulmentum deripuit miluos.*

„ 4. 5. 4. *Ego hodie qui neque speravi neque credidi, is improvise filiam inveni tamen.*

„ 4. 5. 11. *Nondum egressum esse cum, id miror tamen.*

Stich. 5. 5. 4. *(Mulier) bene cum lauta tersa ornata est, infesta est tamen.*

Trin. 2. 4. 16. *Nequaquam argenti ratio comparet tamen.*

„ 2. 4. 63. *Oculum ego ecfodiam tibi si verbum addideris. — Hercle quin dicam tamen.*

Superiori rationi proxime accedit *tamen* iuxta verbum suum sub finem sententiae positum, in his vss.:

Capt. 3. 4. 71. *Istinc loquere, si quid vis: procul tamen audiam = tam, quam prope.*

Pers. 1. 3. 59. *Posterius istuc tamen potest = tam quam nunc.*

Poen. 1. 2. 73. *Etiamne ut ames eam, quam nunquam tetigeris?*

— *Deos quoque edepol et amo et metuo, quibus tamen abstineo manus* = tam, quam a puella.

Minus sentitur demonstrativum in his:

Ba. 4. 7. 6. *Eho tu . . . dixisti id aurum ablaturum tamen per sycophantias?*

Stich. 5. 1. 3. *Ego proviso Sagarinum, qui nihilo citius veniet tamen hac gratia.*

Nemo non sentit in hac constructione particulae plus etiam inesse pristini demonstrativi (*nihilo c. v.* tam quam, i. e. aequae ac si non provisam), quam in ea quae postea in usu fuit *nihilo tamen citius*.

„ 5. 4. 20. *Sed amica mea et tua dum comit, dum se exornat, nos volo tamen ludere inter nos.*

Omittunt editores inde a Lomanno nostro coniunctionem. Fortasse tamen alia ratione subveniendum est huic versui et superiori corruptissime translato. *Tamen* est in ABCD. Si recte se habet, ad adverbium *interea* significatio accedit, et explicandum est: ludere *tam* volo, quam si adesset. Cf. infra Cas. 4. 2. 1.

„ 5. 2. 40. *Atqui edepol sunt res, quas propter tibi tamen suscepsi.*

Truc. 4. 9. 9. *Nisi quia timeo tamen ego, ne quid peccarim sciat.* Ita legendus videtur locus corruptus.

Tamen in priore sententiae parte.

Pristina ratio agnoscitur in tribus vss.:

Cas. 4. 2. 1. *Si sapitis, uxor, vos tamen coenabitis, coena ubi erit cocta; ruri ego coenavero* = coenabitis tam, quam si ego adessem.

Stich. 2. 3. 28. *Sine suffragio populi tamen aedilitatem hic quidem gerit* = tam, quam cum s. p.

„ 5. 3. 6. *Inter illud tamen negotium meis curavi amicis* = tam, quam si extra negotium essem.

Obscurata est fere in reliquis:

Asin. 1. 1. 46. *Meam uxorem, Libane, scis qualis siet?*

Respondet servus: *Tu primus sentis, nos*

tamen in pretio sumus. Locus variis coniecturis temptatus, sed nondum sanatus.

- Aul. 3. 6. 3. *Tamen meo quidem animo aliquando facias rectius, si nitidior sis filiae nuptiis. Mera ad-versativa coniunctio.*
- Ba. 4. 9. 67. *Chrysale, ades, dum ego has perlego. — Nihil moror, neque scire volo. — Tamen ades.*
- Capt. 3. 4. 82. *Nihili facio (quae dixit), tamen adibo.*
- Men. prol. 11. *Atque adeo hoc argumentum graecissat: tamen non atticissat.*
- Mil. 3.1.152. *Tamen id, quod odio est, faciendum est cum malo atque ingratis.*
- „ 3. 2. 52. *Quaero tamen e. q. s. cf. supra.*
- Most. 1. 3. 22. *Vel falso tamen laudari multo malo quam vero culpari.*
- Pers. 1. 1. 48. *Quicquid erit recipe te ad me: quaero tamen ego item sedulo.*
- Pseud. 1. 2. 27. *Numqui minus ea gratia (i. e. quia plagis retunsi estis ut securis) tamen omnium (vestrum) utor opera.*
- „ 5. 2. 20. *Tamen das? At negabas daturum esse te mihi.*
- Stich. 1. 2. 42. *Quom tamen absentes viros perinde habetis, quasi praesentes sint.*
- Trin. 1. 2. 49. *Si id non feceris, atque id tamen mihi lubeat suspicari.*
- „ 1.2.172. *Quae neque fuerunt neque sunt, tamen illi sciunt.*
- „ 2. 1. 34. *Sunt tamen ... quos tibi obnoxios fecisti.*

Si — tamen. Nisi — tamen.

In huiusmodi sententiis coniunctio refertur etiam ad „tacitum intellectum” et positionem contrarii eius quod antea positum est, h. e., si praecedat membrum hypotheticum per *si*, ad explicandum *tamen* tacite cogitandum est membrum hypotheticum per *nisi* vel *si non* et contra. Hinc fit, ut in iis locis in quibus utrumque forte membrum, condicionis positio et negatio, ex-

pressum sit, nihil sit supplendum, quoniam demonstrativa et comparativa constructionis natura sponte sua pellucet. Huiusmodi igitur sententia quam maxime valet ad pristinam particulae significationem demonstrandam et interpretandam.

Duo tantum loci tam luculenti in Plauto inveniuntur:

Mil. 2. 3. 35. *Nunc si indicium facio, interii: si laceo, interii tamen.*

Libri omittunt alterum *interii*, quod merito supplent omnes editores. *Tamen* = tam, pariter.

Rud. 2. 7. 11. *Iuppiter te perdat et si sunt* (tuas istas mulieres) *et si non sunt tamen* = tam.

Notandum *tamen* in fine positum utriusque sententiae, ut etiam in

Rud. 5. 3. 5. *Si quidem hercle Iovis fuit* (vidulus) *meus est tamen.*

Proxime accedunt:

Truc. 2. 7. 14. *Nam hoc adsimilest quasi de fluvio qui aquam derivat sibi. Nisi derivetur tamen omnis aequa aqua abeat in mare* = tam abeat, quam si derivetur. *Aequa* debetur coniecturae Spengelii pro librorum lectione *ea*. Si rectum est, per abundantiam est additum obscurata comparativa notione coniunctionis *tamen*, ut in *Persa* 1.1.48 habemus *tamen . . . item*.

Capt. 2. 1. 28. *Nam si erus tu mi es atque ego me tuom esse servum adsimulo, tamen viso opust cautost opus ut hoc sobrie sineque arbitris . . . agatur.*

Nihil contrarii est iuter utramque assertionem, nam qui simulat ei certe cauto opus est. Explico: tam viso opust, quam alias.

Demonstrativum nondum prorsus evanuit in quibusdam horum versuum:

Capt. 2. 2. 47. *Haec tu eadem si confiteri vis tua ex re feceris, quae tamen scito scire me ex hoc* = tam, quam si confitearis.

Cas. 4. 2. 16. *Qui amat, tamen hercle, si esurit, nullum esurit.*

- Cist. 1. 1. 68. *Si autem non est* (quod doleat), *tamen hic dolet* = tam, quam si est.
- „ 1. 3. 4. *Quod si tacuisset, tamen ego eram dicturus.*
- Curc. 1. 1. 5. *Si intercedit dies, tamen est eundem.*
- Pers. 3. 1. 34. *Tamen, si daturus non est, ... quanta adficitur miseria.*
- Poen. prol. 51. *Sin odio sit, dicam tamen.*
- Stich. 5. 4. 13. *Si nunc bibimus, tamen efficimus pro opibus nostra moenia.*
- Truc. 4. 3. 58. *Situlam si bibit, sive adeo caret temeto, tamen ab ingenio improbus.* Ubi Seyffardt cum hiatu *tam ab ingeniosior improbus.*

Etsi tamen, tam etsi.

In scriptura alterius particulae sibi non constant editores. Brix et Götz modo scribunt *tam etsi*, modo, si prorsus concessiva est coniunctio, *tametsi*. Lorenz semper *tam etsi*, et sic ego. Primum quia boni l. l. ubique, ni fallor, exhibent *tam etsi* vel *tam et si*, tum quia semper fere est disyllabum neque *m* in media voce extruditur, denique quia propria vis demonstrativi *tam* in multis exemplis perspicua est.

- Amph. 3. 3. 22. *Audis quae dico tam etsi praesens non ades* = tam audis, quam si adsis. B *tam et si*. Fleckeis. *támetsi*. Götz *támetsi*.
- Curc. 2. 2. 9. *Tam etsi non novi, dabo tibi operam* = tam dabo, quam si noverim. Götz *tam etsi*.
- Poen. 5. 2. 124. *Tacito, sis, reddas* (bona filio), *etsi hic habitabit tamen* = tam, quam si non habitabit.

Bothe miratus coniunctionem in fine positam *tamen* traxit ad sqq.

- Pseud. 1. 3. 15. *Tam etsi occupatus, moramur.* Götz et Löwe *tam et si*.

Periit fere demonstrativum in his:

- Amph. prol. 21. *Pater huc me misit ... tam etsi scibat.* B *tam et si*. Götz Löwe *támetsi*.
- Aul. 4. 10. 38. *Tametsi fur mihi est, molestus non ero.* — *tametsi* trisyllabum.

- Capt. 2. 2. 71. *Ne patri tam etsi unicus sum, decore videatur magis . . .*
- „ 3. 5. 84. *Etsi pervivo usque ad summam aetatem, tamen breve spatium est . . .* Brix Schöll et si.
- Curc. 4. 2. 18. *Eum rem fidemque perdere tam etsi nihil fecit aiunt.*
- Men. 1. 1. 16. *Numquam fugiet, tam etsi capital fecerit.*
- Mil. 3. 1. 149. *Tam etsi dominus non invitus patitur, servi murmurant.*
- „ 4. 5. 11. *Postremo tamen, etsi istuc mihi acerbum est, . . . saltem id volup est.*
- Poen. 1. 2. 130. *Proba mers facile emptorem reperit, tam etsi in abstruso sitast.* G. L. *tam etsi.*
- Pseud. 1. 5. 56. *Age, loquere quidvis tam etsi tibi suscenseo.* G. L. *tametsi.*
- Stich. 1. 3. 51. *Eos omnes tam etsi hercle haud indignos iudico . . . nil moror.*
- „ 1. 1. 41. *Quamobrem ego te hoc, soror, tam etsi es maior, monco.*

Quamquam, utut, licet — tamen.

In his sententiis adversativum prorsus oppressit demonstrativum, etiam in fine sententiae.

- Amph. 1. 2. 29. *Quamquam, ut iamdudum diri, rescisset tamen Amphitruo rem omnem.*
- Cas. 2. 7. 69. *Quamquam hoc tibi aegre est, tamen fac adures.*
- Cist. 3. 3. *Quamquam invita te carebo, animum ego inducam tamen . . . ut.*
- Poen. 1. 1. 68. *Quamquam cupido in eorde versatur, tamen tibi auscultabo.*
- Stich. 5. 4. 40. *Quamquam gravatus fuisti, non nocuit tamen.*
- Amph. 1. 1. 244. *Ut lubet . . . fac. Verum, utut es facturus, hoc quidem hercle haud reticebo tamen.*
- Cist. 1. 1. 110. *Utut erga me est meritus, mihi cordi est tamen.*
- Merc. 3. 2. 15. *Verum, hercle, postremo, utut est, non ibo tamen.*
- Asin. 3. 3. 27. *Licet laudem Fortunam: tamen ut ne Salutem culpam.*

Docent hi loci primum hoc, constructionem per has particulas, postea satis vulgarem, rariorem fuisse Plauti tempore, ac prorsus deesse apud eum *quamvis* . . . *tamen*. Tum hoc quoque declarant, *quamquam* synonymum esse *totū utut* et significare proprie *quomodocumque* (Stolz-Schmalz Gram. Lat. § 263 „in „welcher Hinsicht auch nur immer“), atque ante-paenultima exempla, quae seligo ob *tamen* in fine positum, ita esse explicanda: „*quaecumque* fuerunt tua gravamina: *non nocuit* „(tibicini bibere cyathum) *tam, quam tu timebas*“; et: „*quaecumque* fuerunt eius merita erga me, *miki cordi est tam, quam si* „optime sit meritus“.

Quom — tamen.

Bis legitur in una comoedia:

- Most. 3. 2. 8. *Quom usquequaque umbrast, tamen sol semper hic est.*
 „ 4. 1. 1. *Servi qui, quom culpa carent, tamen malum metuont.*

At tamen, sed tamen, verum tamen.

Particulae *at sed verum* iam apud Plautum cum coniunctione *tamen* in unam quasi particulam adversativam coaluerunt, positam plerumque ab initio sententiae.

- Cas. 2. 4. 20. *Attamen miki obtinget sors.*
 Pers. 5. 2. 54. *Attamen — Non „attamen“.* Sic recte editores. *Libri non tamen.*
 Amph. 1. 1. 83. *In fugam sed tamen nemo convertitur.* Libri habent *Sed fugam in se tamen n. c.* et ita Hermannus. Ussing *Sed fugam in sic tamen n. c.* Recte, ni fallor, nam *sed* in his sententiis semper ab initio ponitur.
 Asin. 2. 2. 72. *Sed tamen tu nempe eos asinos praedicis vetulos.* In hoc et seq. loco *sed* reditum indicat ad propositum paulisper omissum.
 „ 2. 4. 88. *Fortassis: Sed tamen e. q. s.*
 Cas. 2. 5. 40. *Nam omnes mortales dis sunt freti: sed tamen vidi ego dis fretos saepe multum decipi.*
 Merc. 5. 4. 55. *Non miki credis? — Immo credo: sed tamen metuo miser.*

- Pers. 4. 4. 88. *Sed tamen, virgo, quae patrias tua, age mi actutum expedi. Redit ad propositum.*
- Stich. 1. 2. 97. *Sed tamen volo intervisi. Propera atque actutum redi.*
- Truc. 4. 4. 14. *Sed tamen cogitato mus pusillus quam sit sapiens bestia.*
- Ba. 4.8.151. *Nihil moror triumphum: verum tamen accipientur mulso milites.*
- Cist. 2. 1. 26. *Neque opes nostrae tam sunt validae quam tuae: verum tamen haud metuo, ne iniurandum nostrum quisquam culpitet.*
- Men. 2. 1. 28. *Hoc enim verbo esse me servum scio... verum tamen neque contineri quin loquar.*
- Pers. 3. 1. 15. *Verum tamen, quamquam res nostrae sunt, pater, pauperulae, modice et modeste est melius vitam vivere.*
- Rud. 3. 6. 52. *Verum tamen ibo ei advocatus ut siem.*
- Trin. 3. 2. 70. *Neque censeo (me dictatorem esse): verum tamen is est honos homini pudico meminisse officium suum.*

Separatim leguntur coniunctiones in his exemplis:

- Merc. 2. 2. 50. *Quin non obiurgo? — At ne deteriorem (me) tamen hoc facto ducas.*
- Mil. 2. 6. 79. *A me insipienter factum esse arbitror, quom rem cognosco: at non malitiose tamen feci.*
- „ 3.1.214. *Meminero. Sed quid meminisse id refert rogo ego te tamen.*
- Pers. 1. 1. 11. *Sed quasi lippo oculo me erus meus manum abstinere haud quit tamen.*
- „ 4. 4. 52. *Sed ego te malo tamen eum ipsum adire.*
- Pseud. 5. 2. 13. *Haud male mones: sed dic tamen.*
- Amph. 1. 1. 45. *Fugiebam... Verum quasi adfuerim tamen simulabo atque audita eloquar.*
- „ 1.1.244. *Ut lubet... fac... Verum, utut es facturus, hoc quidum hercle haud reticebo tamen.*
- Aul. 2. 1. 8. *Verum hoc, frater, unum tamen cogitato.*
- Men. 5. 2. 19. *Et illi (mariti) quoque haud abstinent saepe*

culpa: verum est modus tamen, quoad pati uxorem oportet.

- Merc. 3. 2. 15. *Verum hercle postremo, utut est, non ibo tamen.*
 Truc. 4. 3. 58. *Non vinum viris moderari, sed viri vino solent, qui quidem probi sunt: verum animi insultam si bibit, sive adeo caret, tamen ab ingenio improbast.*

In his omnibus usus coniunctionis non differt a vulgari adversativo, attamen alii loci aliis certiora vestigia asservantur pristini demonstrativi, veluti

- Merc. 5. 4. 55 = *sed miser metuo tam, quam si non crederem.*
 Ba. 4. 8. 151 = *verum accipientur mulso tam, quam in triumpho.*
 Mil. 3. 1. 214 = *rogo ego te tam, quam si non meminerim.*

De Pers. 1. 1. 11 et Amph. 1. 1. 45 (*quasi . . . tamen = tam quam si*) iam vidimus supra p. 309, et de Amph. 1. 2. 244. Merc. 3. 2. 15. Truc. 4. 3. 58 sub *utut et si — tamen.*

Et tamen, quo toties usus est Cicero in Epistolis, apud Plautum non inveni, nisi loco supra laudato e Mil. 3. 1. 165. *Culpant et comedunt tamen.*

Igitur de coniunctionis usu Plautino sic concludo.

Legitur bis etiam pristina forma *tam* et ita quidem ut verti possit vel demonstrative (aeque, pariter) vel adversative.

Viginti septem loci *tamen* praebent in fine positum, quod minus minusque usitatum apud posteriores, atque in duodecim ex his prorsus aperta est significatio particulae antiquissima. Neque autem in reliquis constructionum generibus haec usquam prorsus oblitterata est. Perspicitur maxime, ubi praecedat sententia per *si* vel *etsi*, magisque obscurata est post *quamquam utut licet quom* (nam *quamvis — tamen* non est Plautinum) et in *ad sed verum tamen*.

TERENTIUS.

Tamen in fine positum.

Certa demonstrativi vestigia habemus in his vss.

- Add. 1. 2. 30. *Sineres nunc facere . . . potius quam . . . alieniore aetate faceret tamen = tam, quam nunc.*

- Eun. 2. 2. 12. *Omnia habeo, neque quicquam habeo: nihil cum est, nihil deficit tamen* = pariter.
 " 5. 2. 27. *Nam si ego digna hac contumelia sum maxime, at tu indignus, qui faceres, tamen* = indignus tam, quam ego digna.

Adversativum habemus in hoc vs.

- Eun. prol. 24. *Exclamat furem non poetam fabulam dedisse et nihil dedisse verborum tamen.*

Tamen in media fere sententia.

- Andr. 5. 3. 10. *Adeo impotenti esse animo ut praeter voluntatem patris tamen hanc habere studeat* = tam, quam cum voluntate patris.
 Heaut. 1. 2. 33. *Atque haec sunt tamen ad virtutem omnia.*
 " 3. 2. 1. *Ilac illac circumcurta: inveniundum est tamen argentum.*
 " 3. 3. 44. *Cliniam orat, sibi uti id nunc det: illam illi tamen post daturum.*
 " 5. 1. 60. *Quot incommoditates hac re accipies, nisi caves? Difficilem ostendes te esse et ignosces tamen Post, et id ingratum.*
 " 5. 3. 44. *Metuas, ne ab re sint tamen omissiores paulo.*
 Phorm. ¹⁾ 5. 3. 8. *Ac rebus vilioribus multo tamen talenta bina. — Hui! In claudio vs. Bentley delevit multo, Fleckeisen tamen, quo equidem aegre careo.*

Tamen ab initio positum.

- Ad. 1. 2. 61. *Tamen nonnihil molesta haec sunt mihi.*
 " 1. 2. 65. *Tamen vix humane patitur.*
 " 2. 2. 11. *Ubi illinc spero redieris, tamen hoc ages* = tam, quam nunc.
 " 2. 1. 35. *Tamen tibi a me nulla orta est iniuria.*
 " 4. 2. 14. *Age, tamen ego hunc amovebo.*
 Andr. 1. 4. 4. *Tamen eam adducam?*
 " 4. 1. 9. *Et timent et tamen res premit denegare.*

1) Adde Phorm. 2. 3. 26. *Ain tamen, carcer e coni. Bentleyi. Cdd. tandem.*

- Eun. 5. 3. 23. *Pater licet pauca? — Quid dices mihi? — Tamen, simo, audi.*
- " 1. 2. 90. *Tamen contemptus abs te.*
- Heaut. 2. 3. 105. *Perge modo porro, tamen istuc ago.*
- Hec. 1. 1. 14. *Tamen pot' iniuriunst.*
- " 3. 1. 15. *Tamen nusquam ausus sum recusare eam, quam mihi obtrudit pater.*
- " 3. 5. 33. *Quod potero faciam, tamen ut pietatem colam.*
- " 5. 4. 34. *Licetne scire ex te ...? — Non licet. — Tamen suspicor.*

Omnes hi loci referunt coniunctionis usum adversativum, etiamsi in quibusdam satis pelluceat demonstratio, veluti in Ad. 2. 2. 11; 4. 2. 14. Andr. 1. 4. 4; 5. 3. 10 et 5. 3. 23.

Si —, Etsi tamen, tam etsi.

- Ad. 5. 9. 27. *Paulum id autem est? Si multumst, tamen faciundum = tam, quam si paulum.*

Cum forma etiam significatio antiqua optime servata est in

- Eun. 2. 1. 9. *Memini tam etsi nullus maneat.*

Proxime accedunt

- Andr. 5. 2. 23. *Ego te iam commotum reddam. — Tamen etsi hoc verumst? Tamen = tam, quam si falsum.*
- Heaut. 1. 1. 67. *Ambo accusandi. Etsi illud inceptum tamen animi et pudentis et non instrenui = tam animi pudentis et n. i., quam contrarii.*

Vulgaris est constructio in his:

- Eun. 2. 3. 25. *Tam etsi bonast natura, reddunt curatura iunceam.*
- Heaut. 2. 1. 13. *Etsi is quoque suarum rerum sat agitat, tamen habet bene et pudice eductam.*
- Phorm. 2. 3. 60. *Etsi mihi facta iniuriast, verum tamen potius quam lites secter ... abduc hanc.*
- " 2. 3. 81. *Metuit hic nos tam etsi sedulo dissimulat.*

Quamquam, utut, quantaquanta — tamen.

Quamquam — tamen semel modo legitur in Terentio (nam Eun. 1. 2. 90 sqq. huc non pertinet) et *quamvis — tamen* deest omnino ut apud Plautum.

Heaut. 1. 1. 1 sq. *Quamquam haec inter nos nuper notitia admodum est . . . Tamen vel virtus tua . . . facit.*

In locis per *ut* — *tamen* persentimus etiam nunc demonstrativum:

Heaut. 1. 2. 26. *Ut ut erat, mansum tamen oportuit.* Scil. tam si parens bonus, quam si iniquior.

Phorm. 3. 2. 46. *Sed ut ut haec sunt, tamen hoc faciam.*

„ 5. 8. 10. *Quantaquanta haec mea paupertas est, tamen . . . curavi.*

Cum — *tamen* semel legitur in

Heaut. 4. 3. 34. *Ut, cum narret senex vester nostro, esse istam amicam gnati, non credat tamen.*

Attamen, sed tamen, verum tamen, et tamen.

Praemittendus est unus locus ex

Ad. 4. 5. 53. *Iam peccatur primum id magnum, magnum, at humanum tamen = magnum, at humanum pariter.*

In reliquis, sive coniunctim sive separatim leguntur, una est coniunctio adversativa.

Ad. 2. 1. 20. *Non innueram (ut impingeres) verum in istam partem potius peccato tamen.*

„ 4. 4. 17. *Sensi illico id illos suspicari, sed me reprehendi tamen.*

Andr. prol. 11. *Non ita sunt dissimili argumento, sed tamen dissimili oratione sunt.*

„ 4. 1. 13. *At tamen, ubi fides? si roges, nihil pudent.*

„ 4. 2. 28 sqq. *Dave, at tamen . . . At tamen, si quid.*

Eun. 1. 2. 93. *Verum tamen potius quam te inimicum habeam, faciam ut iusseris.*

„ 3. 1. 22. *Verum unus tamen impense (mihî invadebat).*

Heaut. 1. 1. 36. *At istos rastros interea tamen appone, ne labora.*

Phorm. 4. 2. 25. *Verum pono esse victum eum: at tandem tamen non capitis ei res agitur, sed pecuniae.*

Hec. 3. 5. 15. *Ille reviviseet iam numquam, et tamen utrum malis scio.*

Qui locus unus habet *et tamen*.

Rarissimus usus est *toū verumtamen* post *etsi* in Phorm. 2. 3. 60 cf. supra, ubi *verum*, h. e. in veritate, et *tamen* prorsus coaeruerunt.

Igitur apud Terentium in hac quoque ut in aliis rebus rariora et magis evanida sunt vetustioris linguae vestigia quam apud Plautum. *Quamvis* — *tamen* non magis usurpatum quam ab illo.

De reliquorum autem Scenicorum usu hac in re vix certi aliquid statui potest propter fragmentorum paucitatem et ieiunitatem. Vidimus ex Festi loco Naevium Ennium Titinium edidisse *tam* pro *tamen*, quod bis deprehendimus etiam in Plauto, neque non facile est in illorum versibus supra citatis suppeditare membrum correlativum per *quam*, quod respondeat demonstrativo *tam*.

Praeterea in fragmentis haec inveni:

Nonius p. 191: Naevius Lycurgo

Sed quasi amnis cis rapit, sed tamen inferu flectitur.

Ita libri. Luc. Mull. p. 282 sic q. a. cita ruit, s. t. in fluxu fl.

Particulam sic explicandam reor: *sed flectitur tam*, quam amnis.

In Pauli epitome p. 29 citatur ex Naevii Tarentilla locus de meretricum astutia, in quo post alia legimus haec:

Cum alio cantat, at tamen alii suo dat digito litteras.

At *tamen* significat nimirum *at tam* i. e. *at simul*; unde orta significatio *at nihilo minus*.

Non. p. 475: Pacuvius Chryse

Inveni, opino, Orestes uter esset tamen.

Fragmentum brevius quam ut certi quid statuatur, quamvis positio particulae in fine demonstrativam indicare videatur. His si addo ex longiore fragmento Caecilii Statii apud Gellium II 23 hos vs.: *Is demum miser est, qui aerumnam suam nequit occultare. Ferre ita me uxor et forma et factis facit; Si taceam tamen indicium sim.* (= tam, quam si eloquar), et eiusdem apud Nonium p. 297:

Abi intro atque istaec aufer: tamen hodie extollet nuptias.

(tamen = pariter),

habemus fragmenta, in quibus vis vocis antiqua nondum prorsus periit. Reliqua omnia, quantum admittunt certam interpre-

tationem, vulgarem usum referunt. Citabo numeros editionis Ribbeckianae primae.

- Pacuvius 46. *Tamen etsi metuo picta de pluma plagam.*
Interpretatio dubia.
- " 206. *Di me etsi perdunt, tamen esse adiutam*
expetunt.
- " 244. *Cedo tamen pedem tuum lymphis flavis.*
- " 293. *Et tamen affirmato animo mitescit metus.*
- " 305. *Quamquam aetas senet, satis tamen habeam*
virium ut te ara arceam.
- Accius 89. *Tamen et staturae gracilitudo propemodum et*
luctus facit ne dubitem.
- " 330. *Tamen haud fatiscor quin tuam implorem*
fidem.
- Juventius 1. *Gaudia sua si omnes homines conferant unum*
in locum, tamen mea exsuperet laetitia.
- Turpilius 159. *Tamen oculi longa intercapedine adpetunt cu-*
pide intui.
- Titinius 119. *Etsi tacebit tamen gaudebit sibi promitti iam*
oreas.
- Afranius 125. *Quamquam istaec malitiosa non tam calleo,*
tamen sefellis.
- " 319. *Tamen animo ordire oportet paula paululum.*
- " 346. *.. sedit uterum, non ut omnino tamen ...*
- Novius 43. *Quia supellez, quae non utitur, emitur tamen.*
Etiam hic *tamen* = *tam*, quam quae utitur.

Addo ex Annalibus Ennii (Luc. Mül.) fragmenta manca duo et unum vulgaris structurae:

323. *Unum surum ferre tamen, defendere possunt.*
446. *Tamen induvolans secum abstulit hasta.*
527. *At Romanus homo, tamen etsi res bene*
gestast, corde suo trepidat.

In fragmentis Lucilii nullum est quod non praebeat adversativam significationem, nisi quod demonstrativi vestigium superest in hoc:

- XXVIII 7. *posterioribus στοιχείοις, si id maluerit, privabit*
tamen.

Reliqui loci sunt hi:

- I 20. *non tamen aetatem, tempestatem hanc scelerosi miferentur.*
- I 37. *munus tamen fungi et muros servare potis sint.*
- III 24. *caupona hic tamen una Syra.*
- III 41. *armamenta tamen, malum, velum, omnia servo.*
- IV 39. *quod si nulla potest mulier tam corpore duro esse, tamen ... ei manus ubertim lactanti in sumine sidat.*
- V 8. *quo me habeam pacto, tametsi non quaeris, docebo.*
- V 44. *verum unum cecidisse tamen ... constat.*
- LX 4. *a primum longa brevis syllaba. Nos tamen unum hoc faciemus.*
- XVI 1. *publicitus vendis tamen atque extrema ligurris.*
- XXVII 17. *tamen aut verruca aut cicatrix medius papulae differunt. pro medius Muellerus naevis.*
- XXVII 56. *si non tamen ad te hoc redibit, tu hoc carebis commodo.*
- XXIX 23. *colligere auxilium, tametsi indigna ut feram.*
- XXX 14. *summatim tamen experiar rescribere paucis.*
- XXX 23. *sed tamen hoc dicas quid rest, si nocnu molestumst.*

Antiquorum fragmentis subiciam ex C. I. L. vol. I unicum titulum lepidissimum, quem designat ind. Gramm. sub v. *tamen*.

1431. *Hens tu viator lasse qui me praetereis cum diu ambulareis tamen huc veniendum est tibi ...*

Ut ad scriptores integros redeam, videamus de Catone et Varrone. Et Cato, cum in ll. de agricultura vix usquam ratiocinetur, sed semper fere praecipiat et adseveret, nunquam fere coniunctione usus est. Reperi bis:

157. 15 *et ubi exciderit (polypus), tamen aliquot dies idem facito.*

160. fin. *sanum fel (luxum) et tamen cotidie cantato.*

de quibus locis nihil observandum. Atque idem perhibendum de locis Varronianis excepto uno in Satiris Menippeis, qui comparari potest cum Plautinis, ubi ante *tamen* praecedit *quasi*:

ΤΡΙΟΔΙΤΗΣ (p. 233. 10 Riese) *sed, ut equus qui ad vehendum est natus, tamen hic traditur magistro, ut equiso doceat totulum.*

i. e. tam traditur, ut equus.

et altero:

de agricult. III. 16. 28 *adponunt ibi, quo foras hieme in pabulum procedere tamen possint* = tam hieme, quam alia tempestate.

Reliqua loca Varroniana numeris tantum indicabo, si legitur nudum *tamen*; si opponitur vel adponitur alia particula, hanc citabo.

De agricult. I. 1. 4 *neque tamen*. 2. 5 *hic tamen* ib. 15. ib. 23 *tamen* — *quamvis*. 37. 3 *et tamen*. 69. 3 *si* — *tamen*. II. 2. 6 *cum* — *tamen*. ib. 10 *ubi* — *tamen* 3. 6 *quod tamen*. ib. 8 *nisi tamen*. 9. 1. 10. 3 *ita tamen*. ib. 11 *nec tamen*. III. 2. 8 *nec tamen*. 5. 18 *et tamen*. 8. 6 *nec tamen*. 16. 31 *si tamen*.

De lingua latina.

V 9 (A. Speng.) *quodsi* — *tamen*. 94 *si minus* — *tamen*. VI 39 *sed* — *tamen*; *si* — *tamen*. VII 2 *cum* — *tamen*. 3 *si* — *tamen*. 4. 12 *sed tamen*. VIII 28 *cum* — *tamen*. 29 *quod tamen*. 33 *quamvis* — *tamen*. 35. IX. 14 *cum tamen*. 45 *si* — *tamen*. 48 *cum* — *tamen*. 56 *quamvis* — *tamen*. 113 *si* — *tamen*. X. 5 *quamvis* — *tamen*. 49. *quae tamen*. 55 *qui tamen*.

Sat. Men. pag. 111. 7 *cum* — *tamen* 112. 6. 128. 8 *si* — *tamen*.

Lucretius.

Coniunctio in carmine de rerum natura varie maxime adhibita legitur his locis:

<i>tamen</i>	1. 703. 1046; 2. 316. 866. 890. 908; 3. 120 (post abl. abs.); 5. 206. 531; 6. 301. 454. 613. 704. 1204. 1209. 1214.
<i>non tamen</i>	1. 901; 2. 264. 371; 3. 103. 988; 4. 360; 5. 919; 6. 887.
<i>ne tamen</i>	1. 267. <i>nil tamen</i> 3. 843; 5. 915.
<i>nec tamen</i>	1. 299. 329. 345. 843; 2. 201. 469. 700; 3. 231. 238. 736. 857. 1005; 4. 377. 895; 5. 101. 366. 664. 1022; 6. 1063. 1217.
<i>sed tamen</i>	1. 140. 498. 833; 2. 541. 907; 3. 261. 551. 733; 4. 687. 1163; 5. 104.
<i>at tamen</i>	2. 459 (<i>et non ... tamen ... nec tamen</i>); 3. 172. 534 (<i>at ... tamen</i>).
<i>et tamen</i>	1. 1050; 2. 331. 898; 3. 51. 267. 921; 4. 471;

	5. 213. 476. 1123. 1419; 6. 603 (ll. <i>et tamen</i> , sed rectius Bockemüller <i>at tamen</i>).
<i>qui (hic) tamen</i>	1. 302. 880; 3. 966. 999. 1008; 4. 633.
<i>cum tamen (tamen cum)</i>	1. 825; 2. 29. 71. 690; 3. 107. 643; 4. 104. 716; 5. 479. 518. 1086; 6. 140. 678.
<i>ubi tamen</i>	3. 219. <i>nunc tamen</i> 4. 112; 6. 680. <i>si tamen</i> 1. 682.
<i>quamvis ... tamen</i>	1. 547. 588. 599. 621; 2. 178. 644; 3. 307. 407; 4. 303. 426; 6. 603. 622.
<i>quamquam ... tamen</i>	1. 734 sqq. (<i>hic tamen ... quamquam ... tamen</i>); 2. 279; 6. 82.
<i>etsi ... tamen</i>	5. 1155. <i>tamen ... etsi</i> 3. 1016.
<i>licet ... tamen</i>	3. 1089. <i>tamen ... ut</i> (= <i>quamvis</i>) 2. 920.
<i>cum ... tamen</i>	1. 566; 2. 310. 741; 3. 114; 4. 454, 985. 989. <i>tamen ... cum</i> 2. 469; 5. 479. 518.
<i>cum verum ... tamen</i>	2. 696. <i>dum ... tamen</i> 2. 659. 3. 591.
<i>si ... tamen</i>	1. 578; 2. 674; 3. 541. 723. 945; 4. 500, 1053; 5. 83. 196; 6. 59. 321 (<i>si non</i>) 591 (<i>nisi</i>) 1199.
<i>imperativus ante tamen</i>	2. 348. 544.

Hi omnes loci usum et significationem coniunctionis referunt vulgarem.

Inveniuntur autem quinque loci in Lucretio, in quibus *et tamen* ita adhibetur, ut priori sententiae nihil opponatur, sed novum argumentum subiungatur, utque valeat fere Lucretianum *praeterea* vel *denique*. De his locis strictim disputavit Munro ad 5. 1175. Sunt autem hi:

1. 1049.

Quare etiam atque etiam suboriri multa necessesit.

*Et tamen ut plagae quoque possint suppeterere ipsae,
infinita opus est vis undique materiai.*

Quare respicit argumenta ante posita, quae demonstrant copiam primordiorum h. e. *vim materiai* infinitam esse debere. Tum sic pergit „*et tamen* i. e. *nec minus*, vel *pariter* infinita vis materiai „opus est, ut ipsae quoque plagae possint suppeterere”.

4. 805.

*Nonne vides oculos etiam, cum tenuia quae sunt
cernere coeperunt, contendere se atque parare,*

*nec sine eo fieri posse ut cernamus acute?
Et tamen in rebus quoque apertis noscere possis,
si non advertas animum, proinde esse quasi omni
tempore remotum fuerit longaeque remotum.*

„Nonne vides, ut cernamus *tenuia*, nos oculos intendere et quasi parare? *Nec minus* vel *pariter* in rebus non tenuibus, sed *apertis* manca est observatio, nisi advertamus animum.“

Bockemüllerus utrobique requirens oppositum et hunc locum et superiorem male interpretatus est immiscens aliena omnia ¹⁾.

5. 763.

Cur

*tempore eodem aliud nequeat succurrere lunae
corpus vel supra solis perlabier orbem,
quod radios interrumpat lumenque profusum?
Et tamen ipsa quo si fulgit luna nitore,
cur nequeat certa mundi languescere parte,
dum loca luminibus propriis inimica per erit?*

Bockemüller pro *et tamen* male correxit *et tumida* arguens sic: „zu einem solchen Gegensatze (per *tamen*) ist wie die „Uebergänge im vorhergehenden zeigen, keine Veranlassung“. Sane oppositio nulla est, nam denuo *tamen* argumentis citatis novum addit, quod ad lunae defectiones explicandas *non minus* est idoneum.

5. 1090.

*Fulmen detulit in terram mortalibus ignem
primitus, inde omnis flammarum diditur ardor:
nulla videmus enim caelestibus inlita flammis
fulgere, cum caeli donavit plaga vapore.
Et ramosa tamen cum ventis pulsa vacillans
aestual in ramos incumbens arboris arbor,
exprimitur validis extritus viribus ignis, ...
mutua dum inter se rami stirpesque teruntur.*

Ignis origo duplex est; oritur ex fulmine, *et tamen* h. e. nec

1) In priore loco *et tamen* *sqq.* sic explicat: „und selbst in dem Falle, dass gegen meine Annahme eine Drehung der Luftkugel nicht statt findet“ e. q. a. In posteriore sic: „trotz dieser auch äußerlich sichtbaren Spannung, welche der Lehrer erzwingen kann“. Nihil horum legitur in textu.

minus vel *pariter* exprimitur si rami arborum conteruntur. Assentimur igitur hic quoque Bockemüllero adnotanti „es fehlt ein Gegensatz“, sed nequaquam censenti locum temptandum esse coniectura (*aut rimosa abie!*).

5. 1170.

*His igitur sensum tribuebant propterea quod
membra movere videbantur
aeternamque dabant vitam, quia semper eorum
suppeditabatur facies et forma manebat,
et tamen omnino quod tantis viribus auctos
non temere ulla vi convinci posse putabant.*

Numinum aeternorum ac potentissimorum opinio derivatur ex insomniis, in quibus videbant mortales *facies egregias mirando corporis actu* (1168 sq.). His tribuebant *sensum*, quia movebantur, *aeternam vitam*, quia facies semper eadem manebant, *et tamen* h. e. *nec minus* eximiam potentiam (*non ulla vi convinci posse*) ob ingentem corporis auctum viresque.

Bockemüller denuo correxit *et famam omnino*.

In his duo sunt quae sane miramur.

Primum hoc, poetam particulam, sexcenties pro adversativo a se adhibitam, derepente paucis locis usurpasse significatione prorsus diversa. Alterum hoc, nullum huius usus exemplum inveniri apud Plautum, antiqui sermonis testem locupletissimum.

His autem dubitationibus oppono hoc: negari aut occultari non posse in paucis his locis significationis differentiam a reliquis omnibus, cum tantopere in oculos incurrat, ut fuerint, qui ideo eos emendandos esse censuerint. Tuur hoc addo: *et tamen* = *nec minus* adhiberi in argumentatione concinna, quae abhorreat a scenicis deverbis et canticis. Quod igitur deest in Plauto, nihil impedit quominus statuamus *et tamen* pro *nec minus praeterea*, usurpatum fuisse in sermone familiari, unde etiam fluxit in Marci Tullii epistolas ad Atticum, uti mox videbimus.

Ceterum pristinum vocis usum agnosco quoque in his vs.

6. 527.

*Cetera quae seorsum crescunt seorsumque creantur,
et quae concrescunt in nubibus, omnia, prorsum
omnia, nix, venti, grando, gelidaeque pruinae,*

*et vis magna gelii, magnum duramen aquarum,
et mora quae fluvios passim refrenat euntis,
perfacilest tamen haec reperire animoque videre
omnia quo pacto fiant quareve creentur,
cum bene cognoris elementis reddita quae sint.*

Munro tamen sic explicat: „notwithstanding their number and „variety they may yet be all readily explained.” Equidem vero puto, hic quoque pellucere significationem demonstrativam: „perfacilest tam haec reperire quo pacto fiant, quam illa, quae „supra enumerata sunt.”

Mediae significationis vestigia habemus in huiusmodi locis:

1. 120

*An (anima post mortem) pecudes alias divinitus insinuet se,
Ennius ut noster cecinit.
Etsi praeterea tamen esse Acherusia templa
Ennius aeternis exponit versibus idem.*

et 5. 16

*namque Ceres fertur fruges Liberque liquoris
vitigeni laticem mortalibus instituisse,
cum tamen his posset sine rebus vita manere.*

Utroque loco in oppositione leviore tamen fere convenit cum etiam.

Superest locus difficilis in

2. 859

*Cetera, quae quum ita sunt tamen ut mortalia constant
— molli lenta, fragosa putri, eava corpore raro —
omnia sint a principiis sciuneta necessent.*

Negat odorem, sonitum, frigus, calorem, cetera huiusmodi qualitates esse primordiorum immortalium, cum ea ita sint ut mortalia constant. In his vix locus est adversativae coniunctioni. Purman primum versum expunxit; alius pro *quum ita sunt* coniecit *comitant*. Bockemüller cogitatione supplevit oppositum sic: *quae sunt in rebus, ita tamen sunt, ut mortalia constant*. Munro sic: „all these whatever they are, however much they „differ, are yet of such sort as to be liable to death.” Cum vero nulla iusta oppositio intelligi posse videatur, nec vero tamen h. l. idem sit quod *pariter, non minus*, locum corruptum esse censeo. Legendumne *tota ut mortalia constant* h. e. prorsus

mortalia? Cf. Munro ad l. 377 et Weissenborn-Müller ad Liv. III 36. 7.

Ciceronis Epistolae ad Atticum.

Usum particulae Ciceronianum omnino persequi a proposito meo alienum est. Cum vero in Epistolis ad Atticum nonnumquam ita usurpata sit, ut non abhorreat a vetustiorum consuetudine, has omnes perscrutatus referam quid invenerim.

Legitur in Epistolis, si bene numeravi, locis 432, hunc in modum:

In fine fere sententiae legitur *tamen* locis 4; ab initio 22; secundo ab initio loco 136 (et quidem praecedente pronomine 89, praecedente nomine, verbo, particula 37); in media fere sententia 6; praeterea *sed tamen* invenitur locis 103; *et tamen* 25; praecedente negatione 27; *verum tamen* 16; *at tamen* semel (III 19. 2, ubi Wesenberg ac); *si — tamen* 14; *etsi — tamen* 48; *etiamsi — tamen* 4; *tametsi — tamen* semel (I 18. 4); *quamquam — tamen* 18; *quamvis — tamen* 2 (XII 23. 1, XIV 13. 2); *cum — tamen* 11; *ut — tamen* semel (I 15. 2).

Secundum ea quae supra vidimus apud Plautum et Lucretium, demonstrativa significatio imprimis in iis locis investiganda erit, ubi coniunctio legitur in fine, et ubi exhibetur *et tamen*.

In fine legitur in his sententiis:

I 16. 2 (Hortensius) *non vidit illud, satius esse illum in infamia relinqui ac sordibus quam infirmo iudicio committi, sed ductus odio properavit rem deducere in iudicium, cum illum plumbeo gladio iugulatum iri tamen diceret*. Id est: *tam plumbeo quam ferro*. Compara exempla Plautina supra a me citata.

I 17. 10 *Munitur quaedam nobis ad retinendas opes nostras tuta, ut spero, via, quam tibi litteris satis explicare non possum, significatione parva ostendam tamen*.

Hic forma magis quam constructio enuntiati antiquum usum in memoriam revocat; nam Cicero procul dubio ita cogitavit: „etiamsi non explicare possum, *tamen* ostendam”.

Idem valet de tertio loco: XV 10. 2 *Multo inde sermone querebantur . . . Decimumque graviter accusabant. Ego negabam oportere praeterita: assentiebar tamen*. Nec minus de quarto XVI 3. 4: *Litteris tuis satis responsum est; nunc audi quod, etsi intelligo*

scribi necesse non esse, scribo tamen. Nihilominus facile etiam nunc erui potest prisca constructio: „scribo *tam*, *quam* si necesse esse intelligerem.”

Ut autem in his locis pristini usus vestigia, quamquam non evanida, tamen leviora sunt, ita Lucretianae rationi prorsus respondent hi loci:

VII 3. 10. *Venio ad Piraea, in quo magis reprehendendus sum, quod homo Romanus Piraea scripserim, non Piraeum — sic enim omnes nostri locuti sunt — quam quod in addiderim; non enim hoc ut oppido praeposui, sed ut loco, et tamen Dionysius noster et, qui est nobiscum, Nicias Cous, non rebatur oppidum esse Piraea.*

Et tamen coniungit asseverationes Ciceronis et Dionysii Niciaeque, quae nequaquam sunt contrariae, sed prorsus similes: Piraeum non esse oppidum, sed locum, ideoque *in* praeponendum. Manutius, cui uni interpretum scrupulum movit adversativa coniunctio, ne oppositio deesset, adnotavit: „*et tamen*: contra sententiam tuam”, i. e. Attici, quasi praecederet hoc: „quod tu verum esse negas”. Nos autem, Lucretianis exemplis moniti, *et tamen* vertimus „nec minus” vel „similiter.”

IX 1. 4. *Nam Scipio vel in Syriam proficiscitur sorte vel cum genere honeste vel Caesarem fugit iratum, Marcelli quidem, nisi gladium Caesaris timuissent, manerent, Appius et eodem timore et inimicitiarum recentium; et tamen praeter hunc et C. Cassium reliqui legati, Faustus pro quaestore: ego unus cui utrumvis licet.*

Bootius noster locum ita enarravit: „His verbis rationem „reddit cur odia hominum (*improborum* § 3 i. e. *Caesarianorum*) „in se accenderet: *nam* aliis (Scipioni, Marcello, Appio, C. Cassio, legatis et proquaestori) res integra non erat, sibi uni vel „manere vel Pompeium sequi licebat.”

Igitur *et tamen* coniungit homines eiusdem condicionis, quibus omnibus proficiscendum erat cum Pompeio. Salva sententia scribi potuerat: denique *praeter h. et C. C. reliqui* e. q. s. Levis oppositio est in causis, cur abirent; illi propter odia, hi propter munerum officia. Idcirco videtur scripsisse *et tamen*.

X 6. 1. *Meas cogitationes omnes explicavi tibi superioribus literis, quocirca haec sunt breves, et tamen quia festinabam etiam occupatior.*

Boot: „pro inepto *et tamen* recepi Malaspinæ etiam” et sic

quoque Wesenberg. Olim Iunius delevit *tamen*, quippe debitum repetitioni eiusdem voculae in praecedenti enuntiato. Ego cum Munro ad Lucr. V 1177 tueor vulgatam, quia *et tamen* h. l. revera valet idem quod *etiam*, *nec minus*. Attamen hic quoque subest, ut in IX 1. 4, levis oppositio, cum scriptor epistolae ita cogitasse videatur: „*et, etiamsi* non omnes cogitationes explicassem, *tamen* haec breves essent, quia festinabam.”

X 8. 6. *Hoc verens in hanc tarditatem* (proficiscendi ad Pompeium) *incidi. Sed assequor omnia, si propero: si cunctor, amitto; et tamen, mi Attice, auguria quoque me incitant quadam spe non dubia.*

Habes denuo utramque rationem. Comparativam hanc: „Incitat me quod assequor omnia si propero, s. c., a.; nec „minus me incitant auguria.” Adversativam, quae subest: „*etiamsi* illis causis non commovear, *tamen* me incitant quoque „anguria.” Additur autem *quoque* ut in Lucr. 4. 805, quia notio *etiam* in *et tamen* usu adversativo paene evanuerat.

XII 19. 2. *De sponsu, si quid perspexeris; et tamen, quid procuratores Cornificii dicant, velim scire.*

Locum illustrent quae leguntur in 14. 2: *Quod scribis a Iunio te appellatum, omnino Cornificius locuples est, sed tamen scire velim, quando dicar spondisse et pro patre anne pro filio, neque eo minus, ut scribis, procuratores Cornificii . . . videbis.*

Apparet, quod plenius rogatum fuerat in priore epistola, brevius amico in memoriam revocari in hac, nempe ut sciscitetur de sponsione pro Cornificio Ciceroni imputata (*quando, pro quo*), atque simul ut appellet procuratores Cornificii quid dicant de hac re. Iungit autem nostra epistola utrumque praeceptum per *et tamen*, quod altera egregie interpretatur per *neque eo minus*, quam interpretationem in reliquis etiam locis adhibendam esse cognovimus. Neque non assentientem haberemus Corradium, qui ad h. l. olim adnotavit: *et tamen: velim quoque scire.*

XII 42. 1. *Nullum a te desideravi diem litterarum, videbam enim quae scribis, et tamen suspicabar vel potius intelligebam nihil fuisse quod scriberes.*

I. e. „non postulavi „ut ad certum diem litterae mihi a te „redderentur” (Gron.), videbam enim, quae scribis, „te scilicet

esse occupatissimum" (Mānut.), et praeterea suspicabare.q.s.' Eadem ratione atque in X 6.1 causae primariae, cur non expectet litteras, altera asseritur.

XIII 2.1. *Tuas litteras hodie expectabam, nihil equidem ut ex iis novi — quid enim? — verum tamen —. Oppio et Balbo epistolas deferri iubebis, et tamen Pisonem, sicubi, de auro.*

Quaestio de auro tangitur etiam in seqq. epistolis et XII 5, 2, sed nihil inde certi efficitur. Hoc tantum patet, nihil eam commune habuisse cum epistolis Oppio et Balbo deferendis. Igitur *et tamen* copulat res diversissimas, inter quas nullum etiam oppositionis vinculum: „cures de epistolis, nec minus de auro." Bootius sibi constitit, cum hic, ut in X 6.1, corrigeret *etiam*. Peerlkampius eodem teste suasit: *Admonebis Pisonem.*

XVI 15.1. *Noli putare pigritia me facere, quod non mea manu scribam, sed mehercule pigritia — nihil enim habeo aliud quod dicam —, et tamen in tuis quoque epistolis Alexim videor agnoscere.*

Locus comparandus cum X 8.6. Delitescit significatio comparativa: „et tam quam tu in meis, ego in tuis", magisque sentitur adversativa: „etiamsi aliam excusationem non haberem, tamen tuo exemplo defendere me possem."

Ne autem nugae venditasse videar de significationis discrimine in *et tamen* observando, subiciam nonnullos locos, ubi mera adversativa luce clarius appareat.

V 10.5. *Aristo, apud quem eram, nam Xenonem ... Quinto concesseram* (i.e. degit apud fratrem), *et tamen propter vicinitatem totas dies simul eramus.*

VII 17.2. *Minus honeste nunc quidem* (scil. multa Caesari conceduntur) *violata iam ab illo republica illatoque bello, quam si olim de ratione habenda impetrasset, et tamen vereor ut his ipsis contentus sit.*

XIII 22.3. *Ego et librarios tuos culpa libero neque te accuso, et tamen aliud quiddam ad te scripseram.* Boot recte: „scripseram quasi culpam in te conferrem."

XIII 42.1. *Rogas, inquit, cui iter instet, et iter ad bellum, idque cum periculosissimum tum etiam turpe? Quae vis igitur? inquam. Aes, inquit, alienum; et tamen ne viaticum quidem.*

Reliqua huius particulae exempla in Ciceronis operibus alii, si tanti est, conquirant et excutiant. Equidem his supersedeo, nisi quod silentio non premenda sunt ea, quae citavit Madvigius ad librum de fin. II 84. Sensit vir acutissimus aliquid inesse in illis locis, quo a vulgari ratione discedant propriaque interpretatione indigeant, quam paucis verbis sic expressit: „Refertur particula ad tacitum intellectum et concessionem contrarii eius quod antea positum est.” Nempe hoc commune habent omnes, ut desit expressum enuntiatum, cui opponatur sententia adversativa, utque illud nonnumquam satis facile, sed haud raro ambigua tantum coniectura suppleri possit. Hinc fuerunt, qui hos quoque locos emendandi conatibus sollicitarent. Ex mea autem sententia omnes pertinent ad genus modo a me tractatum, verum ita, ut alii apertius, alii obscurius et quasi magis e longinquo usum demonstrativum particulae referant.

Exigam exempla a Madvigio citata ad normam supra positam. Fin. II 84. *Satis est tibi in te, satis in legibus, satis in mediocribus amicitii praesidiis; iam contemni non poteris; odium autem et invidiam facile vitabis; ad eas enim res ab Epicuro praecepta dantur. Et tamen tantis vectigalibus ad liberalitatem utens etiam sine hac Pyladea amicitia multorum te benevolentia praeclare tuebere et munies.*

Codices interpolati exhibent *Et tamen non tantis*, qua ratione corrector oppositum, quod desiderabat, inferciri posse credit, locum sic interpretans: „et, etiamsi tantis vectigalibus ad libertatem non utaris, tamen e. q. s.” Madvigius autem tacitum intellectum contrarii supplet hoc: „etiamsi illa, quae dixi, defecerint.” Fieri potest ut Tullius quoque ita cogitaverit. At tamen memor locorum, quos antea recognovimus, sententiam sic potius explicandam esse opinor: „Et tam (= et non minus) quam his praesidiis ab Epicuro oblatis, praeclare te tueberis et munies multorum benevolentia etiam sine hac Pyladea amicitia, cum utaris tantis vectigalibus (granariis tuis Puteolanis) ad liberalitatem.”

Graviores etiam molestias praebet particula in

II 15. *Satisne igitur videor vim verborum tenere, an sum etiam nunc vel Graece loqui vel Latine docendus? Et tamen vide ne, si ego non intellegam, quid Epicurus loquatur, cum Graece, ut*

videor, luculenter sciam, sit aliqua culpa eius, qui ita loquatur, ut non intelligatur.

Madvigii regulam applicantibus, ut inseratur concessio contrarii illius quod antea est positum — positum est autem, se non docendum esse Graece vel Latine loqui —, oritur tale monstrum: „Et, etiamsi Graece loqui vel Latine docendus sim, tamen vide ne Epicuri culpa sit, si ego non intelligam, cum Graece luculenter sciam i. e. cum Graece non docendus sim.” Tantum abest, ut ulla sit antithesis in sententiis Tullianis, ut posterior conclusionem potius contineat ex priore faciendam. Igitur *et tamen* nulla ratione ferendum, nam aequae absona esset versio *et praeterea* v. t. q., atque locus corrigendus est levissima transpositione hunc in modum: *Et vide ne, si . . . loquatur, cum Graece tamen* e. q. s.

Ex reliquis locis quos indicavit Madvigius, citabo tantum memorabilem illum in Catone maiore § 16.

Atque haec ille egit septemdecim annis post alterum consulatum, cum inter duos consulatus anni decem interfuissent censorque ante superiorem consulatum fuisset: ex quo intellegitur Pyrrhi bello grandem sane fuisse: et tamen sic a patribus accepimus.

Tacitene hic cum Madvigio cogitandum „et, etiamsi hinc non intelligeretur, tamen”, an fatendum nullam revera oppositionem esse in his, nec quicquam immutatum iri sententiarum conexum, si e. g. legeris: *et sic etiam a patribus accepimus?*

Quo luculentius autem appareat aliquid interesse inter *et tamen* conjunctive et adversative adhibitum ex his ipsis libris describam duos locos, ubi antithesis vel lippo in oculos incurrit.

I 51. *Quae autem tanta ex improbis factis ad minuendas vitae molestias accessio potest fieri, quanta ad augendas cum conscientia factorum, tum poena legum odioque civium. Et tamen in quibusdam neque pecuniae modus est neque imperii nec libidinum celt.*

III 15. *Equidem soleo etiam, quod uno Graeci, si aliter non possum, idem pluribus verbis exponere. Et tamen puto concedi nobis oportere, ut Graeco verbo utamur, si quando minus occurret Latinum.*

Inter hanc adversativam particulae rationem et superiorem illam demonstrativam medium locum occupant ii loci, quos praeterea citavit Madvigius I 11 et 15, II 21 et 64. Cato mai.

21, in quibus omnibus dominatur significatio vulgaris, sed non prorsus obliterata est altera.

Igitur sic statuendum est de particula *et tamen*. Quamquam ea plerumque adversative usurpata est, mansit tamen significationis ambiguitas ita, ut modo tantum comparet et coniungat, modo etiam leniter opponat. Nos nunc quidem hoc discrimen eiusque originem probe dignoscimus; veteres id vix plane perspexerunt et consuetudine magis quam conscientia ducti utriusque significationis exempla exhibuerunt.

De reliquis constructionibus per *tamen* nihil addam nisi hoc. Saepe quoque apud Ciceronem sentiri priscam comparationem in *si — tamen*. Veluti in his:

IV 14 extr. *Si nihil habebis, tamen scribas aliquid* = tamquam si habebis.

XI 14. 2. *Si socios essem habiturus, quos putavi, tamen esset consolatio tenuis* = tam, quam si non haberem.

XI 16. 3. *Si recipior ab iis, quod vides non fieri, tamen... quid agam, non reperio* = tamquam si non recipior.

XIV 4. 2. *Si nihil novi, nostro more tamen ne patiamur intermitteri litterulas* = tam, quam si quid novi.

XVI 14. 2. *Alia eorum ratio est, et, si non est, tamen videtur* = tam alia videtur, quam si est.

Cum coniunctionis nostrae usum Caesarianum persequi non nimis operosum esset, huius quoque commentarios excussi, sed in neutro opere adhibitum repperi nisi particulam vulgari significatione adversativa. Notabilis autem constructio est in b. c. 3. 17, ubi *nihilominus tamen* coniuncta leguntur, quod fieri demum potuit, cum in *tamen* notio comparativa, quae latet etiam in *nihilominus*, prorsus esset obscurata. In sequenti capite, ubi legitur: *conatus tamen nihilominus est aliis rationibus de pace agere*, alteram particulam alterius glossema est affirmare ausim.

Ceterum legitur *tamen* in b. Gallico fere 90 ies, in civili 40 ies, in Hirtii libro 30 ies, idemque usurpavit nonnumquam *quamquam — tamen*, pro quo Caesar *etsi* (rarius *tametsi*) *tamen* (8 ies) semelque *ut — tamen* b. g. 3. 9. 6, *tamen — ut* b. c. 3. 17.

Restat ut dicam de Sallustio et de Cornelio Nepote.

Usus Sallustianus sic se habet: In coniuratione Catilinaria coniunctionem adhibuit 18 ies. In his 6 ies *tametsi — tamen*, bis *cum — tamen*, ceterum *non tamen* sim., *quod tamen*, *sed tamen* (61. 3), *verum tamen*. In bello Iugurthino particula legitur semel et 50 ies. In his *tametsi — tamen* 11 ies, *quamquam — tamen*, quod deest in altero opusculo, 15 ies, *etiamsi — tamen* semel (10. 7), *cum — tamen* semel (6. 1), *si — tamen* ter. Reliquus usus vulgaris est, nisi quod non habet *sed tamen*, contra bis *et tamen*. In Historiarum fragmentis legitur *quamquam — tamen* ter, *cum — tamen* semel, *et tamen* semel, nudum *tamen* bis.

Describam locos per *et tamen* in quibus nunc etiam quasi echo audiatur pristinae significationis.

Iug. 39. 2. *Ob ea consul Albinus ex delicto fratris invidiam ac deinde periculum timens senatum de foedere consulebat, et tamen interim exercitui supplementum scribere.*

Ibid. 49. 5. *Inter virgulta equi Numidaeque consederant, neque plane occultati humilitate arborum, et tamen incerti quidnam essent.*

Hist. 3. 67. *Quaestorem suum G. Thorunium, ex quo praesente vera facillime noscerentur, miserat et tamen interim cum volentibus numero quattuor (millium ad castra pergit).*

Sentimus originem adversativae in his; narrantur res inter se quadam tenus contrariae, quae tamen una simulque facta esse dicuntur.

Ex Cornelii vitis hoc tantum adnoto eum cum Caesare et Sallustio abstinuisse a *quamvis — tamen*, contra in deliciis habuisse *etsi — tamen*, 20 ies adhibitum, cum omnino coniunctio apud eum legatur 42 ies. *Quamquam — tamen* bis invenitur Arist. 1. 2 Alcib. 6. 3; *si — tamen* semel Phoc. 1. 3. Denique passim habet *non, sed, cum, qui tamen, sim.*

Denique Catullus et Tibullus coniunctionem adhibuerunt vulgari ratione, uterque 16 ies; sed apud neutrum invenitur *etsi, tametsi, quamquam, quamvis, ut — tamen*. Catullus 68. 135 scripsit *tamenetsi*. Lygdamus ab usu Tibulliano abhorret in tribus: coniunctionem habet in fine versus 1. 6 *seu mea, seu fallor, cara Neaera tamen*; scripsit *et tamen* 4. 11 et *quamvis — tamen* 6. 56.

De nostra igitur particula ita concludo.

Erat antiquitus nec forma nec significatione diversa ab adverbio *tam*, cuius indoles est demonstrativa et modalis.

Modi autem, quem demonstrat, natura vel quantitas exprimi potest:

- 1^o gestu quodam vel vocis intentione, *δεικτικῶς*, e. g. Casina 4. 4. 31 *quid tu ergo hanc quaeso tractas tam*.
- 2^o per sententiam consecutivam, *tam — ut*, cuius exempla in promptu sunt.
- 3^o per comparisonem, e. g. Miles 4. 1. 37 *quae te tam quam oculos amet*. Cic. Att. 7. 3. 10 *tam est oppidum Sunium, quam Piraeus*; et cum sententia condicionali, Most. 2. 1. 55 *tam quam si intus nemo natus in aedibus habitet*. Cur. 1. 1. 51 *tam pudica est quasi (= quam si) soror mea sit*.
- 4^o per sententiam oppositam, quae vicem tenet comparisonis eamque implicatam continet.

Veluti qui dicit: *istuc facili memoria memini tam, quam si mihi praecipias: ne igitur praecipias*, eandem rem nulla varietate exprimere potest brevius sic: *istuc ne praecipias, facili m. m. tam*, cum auditor sponte sua suppleat, *quam si praecipias* (cf. Capt. 2. 3. 33). Pro *si taceo, interii tam, quam si indicium facio*, nullo discrimine dicas: *si indicium facio, interii: si taceo, tam* (cf. Mil. 2. 3. 35).

Ex hac igitur dicendi ratione temporum lapsu sensim prodiit propria coniunctio adversativa, quae mox externa quoque specie a demonstrativo discerni coepta est, sive quod primitiva particula iam trifariam audiebatur, *tam, tamen, tamen*, et posteriores formas concessit iuniori, sive quod post demum coniunctio suffixum assumpsit. Iam vero pristinae significationis memoria non statim erasa est, sed satis diu permansit, et in quibusdam constructionibus ad Ciceronis usque tempora nec non fortasse postea retenta est.

Scrib. Amstelodami m. Ian. 1890.

PHARSALICA.

SCRIPSIT

P. H. DAMSTÉ.

Lucani editio ante hos duos annos in lucem prodiit ¹⁾, quam vir doctus Heitland prolegomenis tam copiosis tam doctis ac lectu iucundis ornavit ut iam eius praefationis causa hic liber omnibus, qui Pharsaliae operam dare cupiunt, praeter ceteros sit adhibendus penitusque cognoscendus. Eorum quae de poëta nota sunt, nihil non tam eleganter quam docte expositum videbunt.

Ipsam poëma, ab Haskinsio viro docto notis Brittanice scriptis lucide illustratum, cum perlegerem, hoc iterum iterumque dolebam editorem textus emendandi ne periculum quidem fecisse, sed in rebus criticis semper et ubique Weisii sententiam citare, eius editoris dico, de cuius praefatione hanc sententiam Heitland protulit: „Weise's preface is surely one of the worst compositions that ever made pretence to judgment or learning". At tamen editor, qui tam penitus poëtam noverit tamque diu in eo sit versatus, is erat cui ea provincia summo iure mandaretur; neque eorum poëtarum Lucanus est quibus tironum animi imbui soleant, sed sunt iuvenes iam proveciores quibus Haskins editionem suam destinavit, quos quantum aera lupinis distent iamiam scire oporteat.

Qua de causa critica provincia in Lucani editione prorsus iacere non debuerat.

1) M. Annaei Lucani Pharsalia edited with english notes by C. E. Haskins, with an introduction by W. E. Heitland. 1897.

Quod quem in modum factum sit, exemplis nonnullis docebo.

Aliorum codicum mss. lectiones fere nusquam memorantur, deteriores hic illic in textum sunt receptae, ut est I. 341: *non cum duce* pro *non me duce*, II. 306: *liceret* pro *liberet*, II. 697: *pendentes* pro *pandentes*, III. 630: *descendit* pro *desedit*, III. 664: *prensarent* pro *pressarent*, IV. 230: *pugnantibus aequa et* pro *pugnabitis aequa*. Sed, IV. 232: *foedera* pro *funera*, IV. 286: *mobile* pro *nobile*, IV. 616: *infundit* pro *infudit*, V. 76: *emicuit* pro *eminuit*, V. 430: *ut primum* pro *et primum*.

Emendationes virorum doctorum non nisi raro citantur: frustra quaero ad I. 589 Grotii *misto*, III. 475 eiusdem *innixa priori* III. 564 Io. Rutgersii *percussae capta*, quae meo quidem iudicio memoratu dignissimae sunt. Contra IV. 806 *ferre*, quod codices mss. nonnulli praebent, ab editore ex Cortii coniectura profectum dicitur.

Restant loci permulti ubi a vulgata lectione textus discrepat neque certiores fiunt lectores unde diversas suas lectiones editor hauserit, e. g. II. 79: *immensum — lumen* pro *immensam — lucem*, II. 185: *effundit* pro *effodit*, IV. 147: *mortis* pro *Martis*, IV. 199: *gramineis fluxere fociis* pro *gramineis luxere foci*, IV. 706: *presso* pro *prenso*, IV. 727: *tuto* pro *toto*, V. 218: *muta* pro *multa*, V. 426: *tortos* pro *totos*.

Sed etiam in verbis poëtae interpretandis editor, Grotii aliorumque curis plerumque neglectis, saepius ea Weisio accepta rettulit, quae viris doctis aetatis superioris debentur. Cuius rei documenta ea affero quae vir doctus annotavit ad I. 218. II. 276. 408. 566. III. 168. 205. 235. 306. 328. 419. 516. IV. 57. 278. 462, quae omnia in Schrevelii editione anni 1669 iam leguntur.

Sunt illae maculae quas editor, ceteroquin de Lucano optime meritis omniumque laudibus dignissimus, vellem sustulisset.

Liber enim qualis est multis aliis de causis Pharsaliae editiones vetustiores facile antecedit neque dubito quin quivis lector gratias debitas doctis editoribus sit habiturus.

In quorum numero cum et ipse haberi cupiam, hasce annotationes, quas mihi in legendo collegi, tanquam grati mei animi documenta doctis viris dedicatas volo.

Omnibus calamitatibus, quas bella civilia Italiae tulerunt, descriptis haec sequuntur:

I. 30: non tu, Pyrrhe ferox, nec tantis claudibus auctor
Poenus erit:

Haskins: I am unable to find any other instance of the use of *auctor* with the simple dative instead of genitive.

Quare mecum lege *auctus* servata aliorum codicum mss. lectione *erat*, ita ut clades populi Romani, quibus Hannibal auctus est, minores fuisse dicantur calamitatibus quas civilia bella Italiae tulerunt. Cf. Hor. Sat. I. 6. 11: et vixisse probos amplis et honoribus auctos.

260: rura silent mediusque tacet sine murmure pontus.

Haskins: *silere* and *tacere* seem to be here used indifferently.

Minime credo, sed est altera lectio *iacet*, cui me defensore non opus erit.

Ad *medius* haec scripsit: It is not easy to see the point of the epithet: the transition is very abrupt from the woods and fields to the open sea. The line is taken from Theocr. II. 38: *ἠνίδε σιγῆ μὲν πόντος σιγῶντι δ' ἀῆται*, in which there is no word answering to *medius*.

Legendum puto: rura silent *mutusque iacet* sine murmure pontus.

303: non secus ingenti bellorum Roma tumultu
concutitur quam si Poenus transcenderet Alpes
Hannibal. implentur valido tirone cohortes:

Haud facile adducar ut *Hannibal* a Lucano scriptum esse credam. Mihi constat aliud quoddam vocabulum Poeni nomine, quod a lectore in margine ascriptum deinde in textum irrepserit, loco detrusum esse. Id vocabulum cohortium epitheton fuisse verisimile mihi videtur.

314: scilicet extremi Pompeium emptique clientes
continuo per tot sociabunt tempora regno?

Editor ad *extremi*: this must refer to the distant kings in Africa and the East who were under the influence of Pompeius: at the same time it is not easy to see how they could be said to prolong the power (regnum) of Pompeius, which would be

done by his partizans at Rome, to whom also the word *empti* would apply better. However if these are meant *extremi* appears inexplicable, and *extremi* and *empti* are so closely coupled together that they cannot refer to two different classes.

At significat *extremi*, ut saepe: infima de plebe, pessimi.

Liv. XXII. 29: qui nec ipse consulere nec alteri parere sciat, eum *extremi* ingenii esse.

678: quo feror, o Paeon? qua me super aethera raptam
constituisti terra?

Legendum est *super aequora*, collato vs. 686 ubi eadem matrona exclamat:

dubiam super aequora Syrtin
arentemque feror Libyen e. q. s.

II. 21: sic funere primo
attonitae tacuere domus, cum corpora nondum
conclamata iacent nec mater crine soluto
exigit ad salvos famularum bracchia planctus:
sed cum membra premit fugiente rigentia vita
voltusque exanimes oculosque in morte micantes
necum est ille dolor sed iam metus: incubat amens
miraturque malum.

Editor ad *micantes*: „This is Oudendorp's conjecture for the *minaces* of the MSS. He refers to Stat. Theb. V. 216, where *oculis tremens* is used of a dying man. Bersmannus with one MS. reads *iacentes*, Weise *natantes* after Cortius.”

Sed iam Grotius, ut video, *iacentes* legit, haec addens: „ita manuscripti, non *minaces*, quod huic loco minime convenit.”

Micylli suspicio: *necum est ille metus, sed iam dolor*, quasi dicat, omni iam vitae spe deplorata metum in dolorem abiisse, sane digna erat quae memoraretur.

Neque intelligo quare editor non *primo* adverbium habuerit sed *funere primo* ita potius interpretari conatus sit: „at the beginning of death, i. e. when life is on the point of departing, and the bystanders cannot tell whether death has come or not.”

Sicut nobis Florus II. 9. 16 tradidit, Marius unumquemque

cui non manum porrexerat salutanti interfici iubebat, cuius rei his verbis Lucanus mentionem iniicit:

113: spes una salutis
 oscula pollutae fixisse trementia dextrae.

Proximis deinde versibus complures viros illustres misere necatos commemorat, scilicet et Mucii Scaevolae pontificis mortem haud praeteriens:

126: te quoque neglectum violatae, Scaevola, dextrae
 ante ipsum penetrabile deae semperque calentes
 mactavere focos:

quorum versuum est primus ille in quo iam multum interpretes desudarunt.

Sulpitius haec annotat: te quoque neglectum, id est: te spretum cum ob pontificatum te venerari debuisset.

Grotius, secundum Schrevelium ¹⁾, sensum hinc elicere non potuit atque in hunc modum disseruit: violatae dextrae, id est, datae paulo ante fidei. Vel lege *violatae*, et interpretare, occisum a satellitibus Marii Scaevolam, eo quod Marius illi manum osculandam non dedisset, quod signum erat morti addicentis.

Schrevelius ut puto coniecit: *te quoque in exemplum*.

Bentleius et Cortius legendum censuerunt: *neglectu . . . violatae Vestae*.

Haskins haec scripsit: „If the reading be genuine we must interpret this as Weise does, „passed over by that blood-stained hand,” referring to the *mortis nova signa* of line 115: but this use of the dative for the ablative is exceedingly rare except in the case of persons.”

Lectori tamen illico veniet in mentem non illam esse verbi *violatae* significationem, quod et Haskins intellexisse videtur, qui ad id verbum haec annotaverit: „For *violare* in the sense of staining, equivalent to Greek *μικρῖν*, cf. Virg. Aen. XII. 67: *Indum sanguineo veluti violaverit ostro* si quis ebur: but here the addition of *ostro* makes a difference, and I can find no other instance of *violare* by itself thus used.”

1) Cuius editionem ab Haskinsio non adhibitam esse valde est dolendum. Etiam illam de astronomia adnotationem, quae ad II. 691 legitur, in ea iam invenire potuisset.

Ut equidem credo, omnes illos interpretes in errorem induxit versus supra citatus, ubi de fatali Marii manu sermo est. Sed *violata dextra* in versu 126 non est Marii, sed Scaevolae proavi manus, itaque versus suspectus legendus est:

te quoque *neglecta* violatae, Scaevola, dextrae
et est haec interpretatio: Te quoque mactavere, Scaevola, neglectu violatae dextrae, i. e. nulla ratione habita constantiae in perfendis doloribus, qua nobilis ille proavus tuus in omne tempus sibi populum Romanum devinxit. Cf.

Liv. II. 12: nunc iure belli liberum te intactum inviolatumque hinc dimitto (verba sunt Porsennae).

Ov. Met. III. 712: prima suum misso violavit Penthea thyrsos mater.

Ter. Heaut. 2. 3. 116: neutiquam haec res neglectui est mihi.

Plin. 7. 51: a somno moventium neglectum.

193: vidit Fortuna colonos

Praenestina suos cunctos simul ense recisos,
unius populum pereuntem tempore mortis.

Editor explicat: „a whole people perishing in one death-moment” neque de altera quae est MSS. lectione *noctis* mentionem fecit, quae mihi et multis aliis, ut credo, praestare videtur.

Cato se ipse fato moriturum offert, dummodo civile bellum dii immortales prohibeant:

314: ad iuga cur faciles populi cur saeva volentes
regna pati pereunt?

Recte Burmannus: „melius foret *percant*” itaque emendandum puto, cum nondum manus conseruerint Caesaris Pompeiique copiae.

Pompeius Capuam ut belli sedem habuit

394: haec placuit belli sedes, hinc summa moventi
hostis in occursum sparsas extendere partes,
umbrosis mediam qua collibus Appenninus
erigit Italiam, nullo qua vertice tellus
altius intumuit propiusque accessit Olympo.

Est alia lectio *nulloque a vertice*, alia *nullo quo vertice*, quarum hanc Cortius, illam Burmannus recepit.

Haskins: „If the reading be sound this must be taken, as it is by Weise, as an hypallage for *qua (tellure) nulla tellus vertice*, etc. i. e. than which land none rises higher with its peaks." Mox tamen ea interpretatione reiecta haec dicit: „In any case Lucan means that the Appennines are as high as any mountains in the world."

Quibus verbis adducor ut credam neque hunc editorem neque ceteros poëtae verba bene intellexisse: omnes enim *qua* in verbis *nullo qua vertice* ad substantivum quoddam sive scriptum seu omissum referunt. Habet tamen eandem significationem (*ubi*) vocabulum quam in versu qui praecedit, atque sic interpretandum est:

in Campania ubi Appennini latus umbrosis collibus i. e. modice assurgit, ubi ergo nullis arduis montis cacuminibus tellus elevatur propiusve coelo minatur.

Etiam hoc addam in aliis codd. esse *propiusve*, recte ut credo.

Domitius cohortes Corfinio praemisit qui pontem quod erat ad urbem interrumpent; quod ubi Caesar vidit exclamat:

499: ite simul pedites: ruiturum adscendite pontem.

Haskins Weisii interpretationem citat: „antequam ruat," addens: „This seems not to agree with what was said in 492 infr. that „the bridge was already destroyed."

Non intellexit vir doctus poëtae verba, nam in versu

492: nam prior e campis ut conspicit amne soluto
rumpi Caesar iter

verba *amne soluto* dicta sunt pro *si amnis solutus esset*, eodem modo quo in versu huius libri

231: neuter civilia bella moveret
contentus quo Sulla fuit,

ea est verbi *contentus* vis, ut sit intelligendum: si esset contentus eo quo Sulla contentus fuit.

Domitiani cum antecursoribus Caesaris proelio commisso celeriter a ponte repulsi se in oppidum receperunt ad quod oppugnandum Caesar aggreditur

505: et iam moturas ingentia pondera turres
erigit et mediis subrepsit vinea muris.

Qui sunt *medii muri*? An muri qui urbem cingunt? Vix credo
 Coniicio: *atque imis* subrepsit vinea muris
 cf. III. 489: moliri nunc ima parant et vertere ferro moenia.

Ignarus interim eorum quae Corfinii gesta sunt
 527: arma parabat

Magnus ut immixto firmaret robore partes.

Sed iamdudum valido tirone, ut est in libro I. 305, cohortes
 impletae sunt neque fieri potest ut poeta hoc dicere voluerit
 Pompeium consilium cepisse Domitii copias sibi adiungendi
 antequam pugnam committeret, quod iam postridie esset facturus.

Propterea cum uno cod. Vossiano legendum esse puto *firmavit*.

Metellus trib. pleb. Caesari aerarium effracturo resistens inter
 multa haec obiicit:

125: certe violata potestas
 invenit ista deos: Crassumque in bella secutae
 saeva tribuniciae voverunt proelia dirae.

Grotius cum codd. nonnullis *noverunt* legit, Oudendorp in duobus
 codd. *moverunt* scriptum esse affirmat; Burmannus sibi satisfacere
 non potuit, qui aliquando coniecit: *saeva tribuniciae voverunt*
praemia Dirae, aliquando cogitavit *coverant proelia* retinendum
 esse, sed emendandum *Crassoque*. Haskins sic locum vertit:
 „the tribune's curses called down on him disaster in battle.”

Mihi legendum videtur *movere in*, ita ut haec sit sententia:
 tribuniciae dirae (i. e. Atei trib. pl. execrationes) Crassum, quem
 in bella secutae sunt, in saeva (i. e. ei funesta) proelia moverunt.
 Cf. III. 169: interea totum Magni fortuna per orbem
 secum casuras in proelia moverat urbes.

261: at Tigrim subito tellus absorbet hiatu
 occultosque tegit cursus rursusque renatum
 fonte novo flumen pelagi non abnegat undis.

Aufer tautologiam istam *occultosque legit* mecum scribendo *regit*.

Massilienses ut sibi a partibus liberos osse liceat precati multa
 addunt ad Caesarem a civili bello deterrendum

328: finis adest rerum, si non committitis illis
 arma quibus fas est.

cuius loci interpretatio unice vera haec est: actum iam erit de republica romana, si non cum illis tantum bellum geritis quibus fas est.

Haskins tamen hanc constructionem nimis quaesitam putans, ita disserit: „Perhaps it would be possible to take *rerum* as equivalent to $\pi\rho\chi\gamma\mu\acute{\alpha}\tau\omega\nu$, „troubles,” viz. the civil wars: „the end of our troubles is at hand unless ye entrust arms to those who may lawfully use them,” i. e. if only Romans engage in the civil war they will be so much shocked at finding themselves fighting with their kinsmen that they will insist on bringing about peace.”

At istam interpretationem iure ac merito quaesitam nec non obscuram vocaveris, in nostra vero aliorumque id quod unum insolitum dici potest, praepositionem *cum* ad verbum *arma committere* omissam dico, apud poëtas persaepe occurrit, e. g. Virg. Aen. XII. 60:

desiste manum committere Teucris.

IV. 252: ac velut occultum pereat scelus omnia monstra
in faciem posuere ducum: iuvat esse nocentes.

Editor: *pereat* „went for nothing,” i. e. were no crime. Ultima verba „were no crime” etiam tunc verbum *pereat* recte illustrent, si pro *occultum* legeretur *ostentum*: fac quaeso periculum.

Melius ergo est ea delere vel supponere „were committed in vain.” Recte Burmannus: quasi nullus fructus, nulla delectatio inde rediret.

Afraniani milites de salute iam desperantes in media arma
hostium ruituri sunt, cum Caesar suis

274: tela tene iam, miles, ait, ferrumque ruenti
subtrahe: non ullo constet mihi sanguine bellum:

Absurdum esset si quis putaret *bellum* esse civile bellum, cum et in Massilia oppugnanda et in Hispania multi iam utriusque ducis fautores essent occisi. *Bellum* igitur hic idem significare debet quod *pugna*. Cum autem in codd. aliis *iam nullo* scriptum inveniamus neque ergo sit firma atque integra lectio, emendare velim *non isto*.

Afranii milites illaesi a Caesare dimittuntur hac conditione ut in Hispania maneant belli iam expertes. Eorum sortem poeta praedicat
393: felix qui potuit mundi nutante ruina
quo iaceat iam scire loco.

Editor: *iaceat sc. casurus sit*, „where he is doomed to lie.”

Mellius videtur si dixisset *moriturus sit*.

Optime in Schrevelii editione locus illustratur: „Felices sane hos Afranianos, quibus, cum ceterae omnes mundi partes in ruinam vacillarent, permissum est in sua tellure, lae secreto tutoque tectis, leni perfrui otio.”

Burmanni propositum *lateat* dignum erat quod memoraretur, cui optime sequentia conveniunt:

non proelia fessos
ulla vocant, certos non rumpunt classica somnos.

Ubi Hercules cum Antaeo luctatur, de Antaeo mox defatigato dicitur:

624: tum cervix lassata quati: tum pectore pectus
urgeri: tunc obliqua percussa labare
crura manu.

Ad quae Haskins: „then his legs began to totter smitten by sidelong blows of his opponent's hand.” There seems here to be a confusion between wrestling and boxing, but even if the latter is intended to be described, why should Hercules strike Antaeus on the legs, by doing which he would certainly expose his own body? Addit etiam in pugilari certamine, quo apud Theocr. XXII Pollux et Amycus contendunt, omnes plagas in faciem mentumque directas esse.

At non est sermo de pugilari certamine: luctando alter alterum humi prosternere tentat tellusque viro luctante laborat, ut est in vs. 644.

Sed male intellexit editor verba „tunc obliqua percussa labare crura manu” atque perverse locum interpretatus est.

Significant haec: „Crura (Antaei) tunc Herculis manu supplantata labascebant.” Quod est artificium in arte luctandi notissimum.

Poeta digna se daturum esse dicit praeconia vitae Curionis occisi.
814: haud aliam tanta civem tulit indole Roma,

aut cui plus leges deberent recta sequenti.
 perdita tunc urbi nocuerunt saecula, postquam
 ambitus et luxus et opum metuenda facultas
 transverso mentem dubiam torrente tulerunt:
 momentumque fuit mutatus Curio rerum e. q. s.

Non de *Romae*, sed de *Curionis* indole sermo est. Legendum igitur:
 perdita tunc *iuvēni* nocuerunt saecula.

Locum non sanum esse olim Burmannus sensisse videtur qui
 haec: „nescio etiam an non praestet *Urbis* legere, secula urbis
 perdita nocuerunt Curioni.”

Lentulus et Marcellus consules in Epirum convocaverant
 senatores per belli officia dispersos

V. 9: peregrina ac sordida sedes
 Romanos cepit proceres: secretaque rerum
 hospes in externis audivit curia tectis.

Pro *externis* codd. alii praebent *extremis*, quo servato pro *tectis*
 proponere velim *tescis*. Cf. VI. 41: amplexus fines saltus nemo-
 rosaque tesca.

Non, credo, obloquetur editor, qui *hospes curia* sic verti iubet:
 „a foreign senate house,” addens: *curia* is the place of meeting,
 not, as Weise takes it, the body of senators.

Ubi copiose descriptum est quomodo omnia fata in ore Pythiae,
 ab Appio sollicitatae, luctarentur ut proferrentur in lucem, sequitur

183: talis in Euboico vates Cumana recessu,
 indignata suum multis servire furorem
 gentibus, ex tanta fatorum strage superba
 186. excerpit Romana manu. sic plena laborat
 Phemonoe Phoebō, dum te, consultor operti
 Castalia tellure dei, vix invenit, Appl,
 inter fata diu quaerens tam magna latentem.

Haskins ad *talis*: The point of comparison is not obvious, but
 probably *talis* implies „after such a struggle.” The simile is a
 very strange one, as one prophetess is compared to another.

Pro *talis* in vs. 183 legendum est *qualis*, quod etiam Cor-
 tium iam coniecisse postea videbam, et omnia iam recte cedunt:
 Ut Sibylla, indignata suum oraculum ab omnibus sollicitari, e

ANALECTA CRITICA.

SCRIPSIT

J. C. G. BOOT.

I. M. CATO. Ex eius libro Dierum dietarum de consulatu suo apud Charisium in v. *Necessum* haec citantur: *Eas res non posse sustineri, nisi eo praesidia magna frumentumque. Nam ita dicunt palam necesse esse obcuratum.* Verbi dicunt subiectum esse legatos Pergetum, e Livii narratione XXXIV. 11 certum est. H. Iordanus in M. Catonis quae exstant p. 35 scripsit *necessum esse*, ut haec grammatici observationi responderent, post *frumentumque* cum Meiero in Oratt. Rom. fragm. p. 33 inseruit *mitterentur*, et post *obcuratum* ab eodem restitutum addidit *eamus*. Mihi verba sic scribenda videntur: *Eas res non posse sustineri, nisi misso praesidio magno frumentoque dicunt. Nam ita palam necessum esse obcuratur.* Ultimum verbum debetur Mommsenio estque aptissimum, quum agatur de malo, quod nondum accidit, sed timetur.

II. CICERO de Orat. I. 29 *ut ex pristino sermone relaxarentur animi omnium.* Bakius dubitans possetne sermo praecedente die vel pridie habitus dici pristinus sermo, putabat corrigendum esse *ex hesterno sermone.* Non assentior. Si veteres dixerunt *die pristini* pro pridie, ut tradit Gellius N. A. X. 24, 8, et si Caesar de B. G. IV. 14 *pristini dici* perdidiam appellat quod die proxime praecedenti a Germanis factum erat, illud Ciceroni quoque concedendum arbitror.

ibid. I. 256 *antiquitatis iter* non posse dici *antiquitatis memoriam*, quam Crassus in § 201 nominavit, nemo facile negabit. Qui interpretantur decursionem per antiquitatem, non cogitant inepte eam inter historiam et prudentiam iuris publici et exemplorum copiam poni. Non felices fuerunt in emendando Madvigius, qui Adv. Crit. III p. 89 coniecit *antiq. iterum*, et Th. Stangl, qui in Philologo XLIV p. 752 *antiquitatis vim* correxit. Inter *prudentiam iuris publici et exemplorum copiam* vix aliud laudari potest quam *antiquitatis scientia*.

ibid. II. 60 *ut, cum in sole ambulem, etiamsi ego ob aliam causam ambulem, fieri tamen natura, ut colorer, sic cum istos libros — studiosius legerim, sentio illorum tactu orationem meam quasi colorari*. Non credo inf. *fieri* pendere a v. *sentio*, quod in altero sententiae membro legimus, nec intelligo quid sit *fieri natura*. Scribendum censeo: *fiet tamen aestu*. In altero membro me offendit *tactu*, cui defendendo non inserviunt loci a Pideritio allati, in quibus *solis et lunae tactus* memoratur. Non tangendo illos libros, sed studiose eos legendo Antonius aliquem orationis colorem sumebat. Itaque requiritur nomen, quod vim indicat, quam illa lectio in eius animo exercuit. Id obtineres *impulsu* scribendo. Sed sententiae satisfacit etiam *tractatu*, quo nomine Cicero usus est in libro III. 86; et ita scribendum censeo.

ibid. II. 193. *In hoc genere* (i. e. in scena et in fabula) *saepe ipse vidi, ut ex persona mihi ardere oculi hominis histrionis viderentur spondalia illa dicentis: segregare cet.* Bakius recipiendam censebat Pideritii coniecturam: *ut sua sponte aliena dicentis*, quae mihi valde displicet. Histrion in scena versus recitans non sua sponte loquitur, sed est *actor alienae personae*. cf. § 194. Facilius et, ni fallor, rectius ultima sic corrigam: *sponte aliena illa dicentis*.

ib. II. 251. *Quid enim potest esse tam ridiculum, quam sannio est? Sed ore, vultu, imitandis moribus, voce, denique corpore ridetur ipso.* Sannio non imitatur mores aliorum, sed motus. Ergo non delendae sunt voces *imitandis moribus*, sed corrigendum e Nonio Marcello, ubi haec citantur p. 61 Merc., *imitandis motibus*.

III. CICERO pro Rabirio perduellionis reo.

§ 6. *Nunc quoniam, T. Labiene, diligentiae meae temporis angustias obstitisti, meque ex comparato et constituto spatio defensionis in semihorae circulum coëgisti, parebitur — potestati.* Recte Bakius in Mnemos. vol. VIII p. 189 monuit Labienum potuisse Ciceronis diligentiae in defendendo Rabirio obsistere tempore defensionis coarctando, sed non posse dici hoc eum fecisse temporis angustias. Male ille vitium tollere conatus est scribendo: *diligentiae meae temporis angustiae obsistunt.* Vocativus manifesto indicat utramque sententiae partem ad T. Labienum referri debere. Propterea corrigo: *Nunc quoniam, T. L., diligentiae meae temporis angustias obiecisti meque — coëgisti.*

§ 7 *quo in crimine* (sc. peculatus et tabularii incensi) *propinquus C. Rabirii iudicio clarissimo C. Curius pro virtute sua est honestissime liberatus.* C. Curius erat C. Rabirii sororis maritus. Male illa nomina divelluntur interpositis *iudicio clarissimo.* Nec intelligo quid sit iudicium clarissimum. Intelligerem si scriptum esset *iudicio gravissimo*, ut est ad Fam. XI. 29. 2. Suspicio haec olim in margine addita esse ad explicandum voc. *honestissime.* Praeterea delendum est *in.* Aliquis liberatur crimine vel accusatione, non in crimine. Ergo haec sic scribenda censeo: *quo crimine propinquus C. Rabirii C. Curius pro virtute sua est honestissime liberatus.*

§ 21 *cum denique Q. Scaevola — et animi vim et infirmitatem corporis ostenderet.* Unius M. Aemilii mentio praecedat. Sequuntur L. Metellus multique alii. Postremo additur: *cum denique omnes clarissimi viri cum consulibus essent.* Apparet illo loco male dici *denique.* Pro eo scribendum *deinde*, quod etiam si non praecedat *primum* in enumeratione ponitur. Cf. Handii Tursellinus II p. 245. — Similiter in II de Orat. 58 pro *Denique etiam a philosophia profectus princeps Xenophon*, quum sequantur Callisthenes et Timaeus, usus requirit *deinde.*

III. CICERO ad Atticum IX. 18, 3. *Tu, malum, inquis, actum ne agas.* Cicero fingit haec ab Attico sibi dici, sed quum precibus potius vel blandae exhortationi locus sit, quam in-

dignationi, *malum* perperam hic ponitur. Una littera mutata scribo: *malim*, verbaque sic construenda sunt: Inquies „malim ne tu actum agas”. Quoties Cicero *malum* usurpat ut interiectionem, semper in ea sententia sequitur *iste*. vid. ad Att. V. 20, 1. Verr. act. sec. I. 54, II. 43. Phil. I. 15, X. 18. de Off. II. 53. Unum locum novi, ubi ab illa consuetudine receditur, p. Rosc. Com. 56. De Manutii coniectura ibi legimus: *qua, malum, stultitia fuit Roscius*. Codd. habent *quae*. Fortasse scribendum: *quae, malum, ista stultitia fuit Roscii*.

V. SALLUSTIUS in Catilina 23, 3. Q. Curius Fulviae *maria montesque polliceri coepit*. Summas opes veteres vocabant *auri montes*, ut Terentius in Phormione, v. 68, vel *argenti montes*, ut Plautus in Milite, v. 1065. Eas sibi parare Iuvenalis in Sat. XII. 119 dixit *montibus aurum exaequare*. Omissa auri argenteive mentione Persius in Sat. III. 65 scripsit: *Et quid opus Cratero magnos promittere montes*. Quid moverit Sallustium, ut ea vi *maria montesque* scriberet, non intelligo et suspicor corrigendum esse: *auri montes polliceri coepit*. Postquam *auri in maria* depravatam erat, librarius sequenti nomini *que* adiecit.

ibid. 43, 1. *cum Catilina in agrum Faesulanum cum exercitu venisset*. Hic non est sermo de Faesulis in Etruria, quae nominantur in c. 27 et 30, sed de loco in urbis vicinia. Nominantur quoque Faesulae in Latio apud Florum I, 5, 11. Sed ibi scribendum est *Aesulae*, nomen oppiduli, cuius incolae *Aesulani* inter populos, qui in monte Albano carnem accipere solebant, in Plinii H. N. III. 69 recensentur. Sallustio itaque reddamus, quod scripsit, *in agrum Aesulanum*. Ern. Desjardins, Atlas de l'Italie ancienne tab. 5 *Aesulas* collocavit inter Tibur et Romam.

ibid. 53, 5 *postquam luxu atque desidia civitas corrupta est, rursus res publica magnitudine sua imperatorum atque magistratum vitia sustentabat ac, sicuti effeta parente, multis tempestatibus haud sane quisquam Romae virtute magnus fuit*. Omnia hic perspicua praeter verba *sicuti effeta parente*, ut Iordanus edidit ex uno codice nullius pretii. Obscuriora etiam, quod omnes ceteri codices servarunt *sicuti effeta parentum*, et Cortianum a Kritzio

receptum. *sicuti effetae parentum*. Sallustium scripsisse suspicor: *sicuti in effeta par est*. Roma non comparatur cum muliere partibus exhausta, sed ipsa vocatur *effeta*, quia magnos virtute viros gignere desiit.

Historiarum fragm. I. 45, 18. In oratione Lepidi haec leguntur: *Atque illa, quae tum formidine mercatus sum pretio soluto iure, dominis tamen restituo*, in quibus distinguendis et explicandis editores alii aliam viam inierunt. Cf. Kritzii adnotatio. Jordanus deleto *pretio* iunxit: *quae tum formidine mercatus sum soluto iure*, videturque vocabula *solutio iure* pro ablativo consequentiae habuisse et cum Kritzio explicuisse: „quoniam ius turbatum ac solutum fuit”. Illam ego rationem sequor, sed *pretio* in *praedia* muto, eoque nomine designari puto, quas paulo ante vocavit *possessiones ex bonis proscriptorum*.

VI. VELLEIUS PATERCULUS Hist. Ro. II. 104, 2. Augustus Tiberium Neronem a se adoptatum in Germaniam misit, *ubi ante triennium sub M. Vinicio, aro tuo, cl. viro, immensum exarserat bellum*. In c. 103, 3 legimus Neronem Aelio Cato, C. Sentio consulibus i. e. a. DCCLIV p. u. c. a Caesare Augusto esse adoptatum. Biennio ante P. Vinicius M. F. cum P. Alfeno Varo consul fuit, sed non gessit bellum. Eius pater M. Vinicius, de quo nunc agitur, a. DCCXXXIII consul suffectus fuit, postquam a. DCCXXIV contra Germanos bellum tam feliciter gesserat, ut ei ornamenta triumphalia decernerentur. Ergo, ut recte vidit A. G. Zumptius, Comm. Epigr. p. 38, pro triennio nominari debuerant XXX anni. Velleium scripsisse puto: *ante tricennium*. Si hoc probatur, Velleius antiquissimus auctor erit huius nominis. Forcellinus non laudat priorem Iustiniano Cod. VII. 31. Inveni tamen etiam in Novella Valentiniani tit. XXXVIII § 12 et 13, ubi *tricennium* et *triennium* similiter in codd. permutantur.

ibid. II. 117, 1. — *funestae ex Germania epistolae* — *moram exigit*. In sanando hoc loco luxato multi operam posuerunt, nec tamen omnia in suum locum reposuisse mihi videntur. Alii videant meane restitutio ceteris melior sit: — *funestae ex Germania epistolae* (attulere) *caesi Vari* — *et sex cohortium* (nun-

cium), *velut in hoc saltem indulgente nobis fortuna, ne occupato duce tantum malum* (ingrueret). Post *saltem* sequitur *tantummodo*. Id ex *tantum malum* corruptum et suo loco motum iudico. Itaque post *duce* collocavi. Quae sequuntur: *Sed et causa et persona moram exigit* a Io. Fred. Gronovio in scholis MSS. sic explicantur: „Sed immorandum huic rei paulisper est propter causam, quare tantam cladem acceperimus, et propter Varum.”

VII. SUTTONIUS in Caesare, 41. *Caesar dictator illi tribui*. Magistratus Romani in praescriptionibus edictorum solebant salutem dicere iis, quos alloquebantur. Ergo post haec verba ommissa videtur littera S.

ibid. 78. Caesar dicitur indignatus, quod Pontius Aquila trib. pl. ei non assurrexerat, proclamasse: *Repete ergo a me, Aquila, rem publicam tribuimus*. Deleto ultimo vocabulo scribendum est: *Repetet ergo a me Aquila rem publicam*. Ita melius apparet eum in nomine hominis lusisse.

Aug. 86. Citantur quaedam ex epistola Augusti ad Tiberium: *Tuque dubitas Cimberne Annius an Veranius Flaccus imitandi sint tibi? ita ut verbis, quae C. Sallustius excerpit ex Originibus Catonis utaris? an potius Asiaticorum oratorum inanibus sententiis verborum volubilitas in nostrum sermonem transferenda?* Male Cimber Annius opponitur Veranio Flacco, quum ambo essent ex eodem antiquariorum genere. Uterque opponitur Asiaticis oratoribus, respondentque sibi *Cimberne — an potius*. Ergo haec ita scribenda sunt: „Tuque dubitas Cimberne Annius ac Veranius Flaccus imitandi sint tibi, ita ut verbis — utaris, an potius Asiaticorum oratorum *inanis* sententiis verborum volubilitas in nostrum sermonem transferenda (sit).

ibid. 96. *In Philippis Thessalus quidam de futura victoria nuntiavit*. Omnes codd. praebent: *praesagiente Philippo Thessalus* cet. Post *praesagiente*, ultimum vocabulum praecedentis sententiae, participium omissum credo, verbaque sic integritati restituo: *Eunti Philippo Thessalus quidam futuram victoriam nuntiavit*.

Ner. 34. *Matrem dicta factaque sua exquirentem acerbius et*

corrigentem haecenus primo gravabatur, ut invidia identidem oneraret. Pro inepto *corrigentem* repono *corripientem*, quod verbum Suetonius obiurgandi vi saepe usurpat, ut in hac ipsa vita c. 35 *corripientibus amicis* et c. 39 *Transeuntem cum Isidorus Cynicus in publico clara voce corripuerat.*

VIII. VALERIUS MAXIMUS. VII. 2 ext. 10. Refertur prudens Philippi regis ad Alexandrum filium dictum, qui largitione quorundam Macedonum amorem sibi conciliare studuerat. Sed quae sequuntur foede corrupta sunt, frustra que Perizonius et alii ea corrigere conati sunt. Kempfius hanc archetypi scripturam protulit: *a caritate istud pater avus o Philippus maiore ex parte mercator Graeciae quam victor*, sed de emendatione desperavit. Non nimis a verbis traditis recedere mihi videor sic scribendo: *Auctoritate acite paterna usus est Philippus, maiore ex parte (ipse) mercator Graeciae quam victor.*

IX. 15, 1. Herophilus appellatur *equarius medicus*. Kempfius, dubitans fuerintne apud veteres medici, qui sanandis equis operam impenderent, e Iulii Paridis epitome corrigendum putabat *ocularius medicus*. Scrupulum evellit inscriptio sepulchralis ante X annos Romae reperta editaque in Comm. histor. et philol. Academiae Lynceorum vol. V p. 219.

APOLLODORUS · C · MAR · C · F.

TROMENTINA · MEDICUS

EQUARIUS · ET · VENATOR · SIBI · OLL · II.

IX. FLORUS. I. 10, 3 (I. 4 ed. Iahn) *tunc illa in Romani nominis prodigia atque miracula, Horatius Mucius Cloelia*. Sic est in optimo cod. Bambergensi. O. Iahnus pro *in* scripsit *ni*. Non intelligo. Sine dubio scribendum est *tria*, quod scriptum III facile in generare potuit.

II. 8, 1 (I. 24 in.) *Macedoniam Asia statim et regem Philipppum Antiochus excepit quodam casu, quasi de industria sic adgubernante fortuna ut — imperium procederet*. Freinshemius quodam casu delevit. Io. Fr. Gronovius ad Livium XXX. 30, 5 coniecit: *quadam casum quasi industria sic adgubernante fortunae*, quae ita explicat: „quadam quasi industria fortunae sic regente et ad-

gubernante casum". Mira verborum collocatio vetat, quominus eam coniecturam probem. Ego malim: *quadam casus quasi industria sic adgubernante fortuna*. Genetivus *casus* pendet ab *industria*, dictumque hoc ut I. 8, 1 (I. 2, 8) *quadam fatorum industria*.

X. RUTILIUS LUPUS, de figuris sententiarum II. 1. Demosthenis ex oratione de corona § 42 verba sic Latine redduntur: *Sed nimirum inopinans incidi in causam temporis huius alienam, de qua posterius huic dicendum*. Ruhnkenius pro huic coniecit hic, quod plane otiosum est, Sauppium fuerit, Halmius cum R. Stephano delevit. Vide an potius sic legendum sit: — *de qua post erit mihi dicendum*.

II. 6 ext. *Haec si praesens agit, ut dixi, respublica, quid animi estis habituri, quaero*. Miror Halmium retinuisse indicativum, alienis exemplis a Ruhnkenio defensum. Scribendum: *quid animi sitis habituri quaero*.

XI. AQUILA ROMANUS § 33. Προσπαροδοσις. Verba, quibus rhetor hanc figuram orationis explicat, valde perturbata et interpolata sunt, nec integritati restituuntur deletis cum Gesnero est conexa. Ego sic scripta fuisse suspicor: „Nomen haec figura ex eo accipit, quod idem nomen aut eadem pars orationis in postrema parte membri redditur, unde id membrum aut is ambitus coepit." Quod affertur exemplum nominis in extrema parte repetiti recte se habet, sed repetiti ambitus exemplum claudicat, nisi Halmii supplementum vel simile quid adsciscitur.

XII. FESTUS p. 355 ed. C. O. Muelleri haec leguntur:

„Tuscum vicum ceteri quidem omnes scriptores dictum aiunt ab iis, qui Porsena rege descendente ab obsidione e Tuscis remanserint Romae, locoque his dato, habitaverint; aut quod Volciantes fratres Caeles et Vibenna, quos dicunt regem Tarquinius Romam secum maxime adduxisse, cum coluerint. M. Varro, quod ex Caelio in eum locum deducti sint.

Supplementa, litteris inclinatis scripta, debentur Fulvio Ursino et C. O. Muellero. Aur. Augustinus pro descendente recte reposuit discedente, Niebuhrius pro secum correxit secuti. Sed

verba nondum plane correcta sunt. Ceteris omnibus scriptoribus unus duove opponi debent. In *aut* latet unius nomen, alter est M. Varro. Tum pro *dicunt* — *adduxisse* sententia postulat, ut scribatur *dicuntur* — *adivisse*. Itaque sic corrigo: „Tuscum vicum — locoque *is* dato habitaverint; *Aelius*, quod V. fr. C. et V., *qui dicuntur regem T. Romam secuti maxime adivisse*, eum coluerint; M. Varro, quod ex Caelio — deducti sint.” — Ante *Vibenna* perierunt litterae, quae eius praenomen indicabant. Cum Caele Vibenna, quem Tacitus Ann. IV. 65 in hac re solum nominat, h. l. eius frater, cui fortasse Vib., id est Vibius, praenomen fuit, iungitur. *Aelius* si recte a me restitutus est, idem esse videtur, qui p. 297 in v. *Sobrium vicum* laudatur et p. 572 in v. *Vapula* rursus cum M. Varrone affertur. Saepius laudatur in libris Varronis de lingua latina.

XIII. VERGILIUS. Ecloga II. 71 seq.

*Quin tu aliquid saltem potius, quorum indiget usus,
Viminibus mollique parus detexere iunco.*

Peerlkampius in Mnemosynes vol. X p. 14 *saltem* removit, illud e *lentis* oriri potuisse affirmans, quod nemini, opinor, persuasit. Ego pro *saltem* scribam *salicum*. Salix est lenta et ita vocatur in Ecl. III. 83 et V. 16. Itaque salicum vimina sunt vimina lenta.

Ecl. VII. 23. *aut si non possumus omnes*. Servius adnotavit: „secundum illud dixit: *Non omnia possumus omnes*. Nam debuit dicere: *Aut si ego non possum*.” Legit igitur, quod nos legimus, sensitque difficultatem, sed non sustulit. Peerlkampius l. l. p. 32 dictum putabat pro *si nemo potest*, sed simile exemplum laudare non poterat. At Corydon loqui debet de se solo, non de aliis. Fortasse Vergilius scripsit: *si non possumus omne* sc. carmen, quod praecedat. Omne = totum, ut in Aen. IV. 122 *tonitru caelum omne ciebo*.

Aeneid. I. 108.

*Trea Notus abreptas in saxa latentia torquet,
Saxa vocant Itali, mediis quae in fluctibus, aras,
Dorsum immane mari summo.*

In pulcra tempestatis descriptione v. 102—112 satis erat saxa latentia appellari dorsum immane mari summo. Quicquid additur, elegantiae nocet. Itaque assentior criticis, qui v. 109 delent, nec me movent, quae Ravius in Schediasmate de versibus spuris in l. I Aeneidos, p. 27 in contrariam partem disputavit. Legit versum Quintilianus et vituperat propter mixturam verborum. Sed non scribit esse Vergilii. Potest esse poetae ignoti versus, quem grammaticus male huc intulit.

Aeneid. I. 461 seq.

*Sunt hic etiam sua praemia laudi,
Sunt lacrimae rerum et mentem mortalia tangunt.*

Lacrimae rerum N. Heinsium multosque alios vexarunt, et nemo, quantum scio, genetivi illius rationem probabilem reddidit. Plures coniecturis versum emendare conati sunt. Accedat haec mea:

Sunt lacrimae miseris, mentes mortalia tangunt.

In his *miseris* ponitur pro *miseriis*, ut in V. 269 *taenis* pro *taeniis* optimorum codicum auctoritate nititur. Cf. Lachmaunus ad Lucr. V. 85.

Aeneid. X. 395 seq.

*Te decisa suum, laride, dextera quaerit
Semianimesque micant digiti ferrumque retractant.*

Servius v. 396 de Ennio sublatum monet citans ex eius Annalibus hos versus (v 462 sq. ed. Vahlen):

*Oscitat in campis caput a cervice revulsum
Semianimesque micant oculi lucemque requirunt.*

Si Vergilii est, boni versus malam imitationem appello, proboque iudicium, quod Io. Iac. Hottinger in disputatione de veris atque falsis luminibus eloquentiae sive de recto poetarum iudicio, L. B. 1783, p. 107 seq. de eo tulit

XIII. HORATIUS Epist. ad Pisones, 139.

Parturient montes, nascetur ridiculus mus.

Quotiens hunc versum lego aut citatum video, me offendunt illi montes unum murem parientes. Horatius norat proverbium Graecum ex Aesopi fabula ductum, ὠδίνεν ὄρος· εἶτα μῦν ἀπέτεκεν, vel ut legimus apud Athenaeum XIV p. 616 d, ὠδίνεν

ἄρος, Ζεὺς δ' ἐφοβεῖτο, τὸ δ' ἔτεκεν μὲν. Phaedrus singularem retinuit IV. 22: *Mons parturibat — at ille murem peperit*, eumque secuti sunt Lafontaine Fab. V. 10 et Boileau in arte poetica III. 274: *La montagne en travail enfante une souris*. Cur Horatius pro monte montes dicat nescio, nec eum fecisse credo. Scripsit: *Parturiens mons est*. Ita respondetur quaestioni: *Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?* Parturiens mons est ο: hic est velut mons qui parturit, qui in eo est ut pariat, ex eoque nascetur musculus. Quod omnes boni codices servarunt *parturient*, meae correctioni favet. Participii praesentis cum verbo esse coniuncti si quis exempla requirit, adeat Ciceronem ad Fam. XIII. 12, 2 *Est — a nostris studiis non abhorrens ο*: est is, qui non abhorret, de Leg. I. 31 (*voluptas*) *levitate est et suavitate delectans*, ut Vahlenus edidit secutus vestigia codicis Heinsiani et Livium XXVIII. 44, 17 *Illa longa oratio nec ad vos pertinens sit ο*: illa sit longa oratio eaque quae ad vos non pertineat.

XV. STATIUS. *Silvarum* I. 6, 96 seq.

Iamiam deficio tuoque Baccho

In serum trahor ebrius soporem.

J. J. Cornelissen hunc locum attigit in *Mnemos.* N. S. V p. 282 recteque observavit obscurum esse cuius vinum in verbis *tuoque Baccho* intelligendum sit. Pro iis restitui volebat *Thyoniano*, quo nomine usus est Catullus, 27, 7. Baehrens in editione Teubneriana coniecit: *tuaque, Bacche, Vi serum in trahor ebrius soporem*. Ego malim: *tusque, Bacche*.

XVI. MARTIALIS. *Epigr.* VII. 47. Poeta Licinio Suræ restitutam post gravissimum et paene letalem morbum valetudinem gratulatur. Obscuri sunt v. 5 et 6 et turpiter corrupti. Eos Io. Fr. Gronovius, Nic. Heinsius, alii sanare studuerunt. Koestlinus Heinsii vestigia secutus ita legendos putabat:

Perdiderant iam vota metum securaque flebant

Tristitiam Lachesis, iamque peractus eras.

Non magis haec intelligo, quam quod Schneidewinus edidit:

Perdiderant iam vota metum securaque flebat

Tristitia et lacrimis iamque peractus eras.

Quomodo vota metum perdere possint et flere vellem Heinsius

docuisset, libenterque, si id fecisset, ei condonarem nubem exemplorum, qua illustravit verba *peractus eras* in Adversariis p. 464 seq. Mihi saepius ad hoc epigramma redeunti tandem haec suspicio oborta est:

Prodiderant iam vota metum secumque trahebant

Tristia cum lacrimis, iamque peractus eras.

In his *tristia cum lacrimis* debentur bono codici Anglicano, quo usus est Hadrianus Iunius.

X. 36. Martialis gratias agit amico, qui ei bonum vinum donarat,

Nec facili pretio, sed quo contenta Palerni

Testa sit aut cellis Setia cara suis.

Non *Setia*, sed *seria*, legendum esse monuit vir doctus qui multa adnotavit in chartis annexis exemplari editionis Parisiensis a. 1528, quod est in bibliotheca Academiae disciplinarum regiae, usus hoc argumento: „*Setia* ibi sumi pro *Setino rino* nemo probabit. *Setia* urbs est Campaniae, et praeterea nil denotat. *Seria* vero est vas fictile, in quo veteres vinum et alia asservabant, quae in cellis ponebantur. Vid. Terent. Heaut. III. 1, 51, Plaut. Capt. IV. 4, 9 ibique Taubmannus. Apud Arnobium *seria meri plena* nominatur lib. V” (cf. quoque Persius Sat. II. 11, IV. 29 et Columella XII. 28). Idem vir doctus in XIII. 23 pro *quem Setia misit* legendum putabat: *quam seria misit* et distichon explicat de ficibus Chiis, quae seriolis conditae Romam advehebantur.

Scripti Amstelodami mense Martio anni MDCCCLXXX.

AD CICERONEM.

In Cic. orat. pro S. Rosc. Amer. § 146 leguntur haec:

„Quis unquam praedo fuit tam nefarius, quis pirata tam barbarus, ut cum integram praedam sine sanguine habere posset cruenta spolia detrahere mallet?”

Quis editor a me monitus tam barbarus erit ut non, expunctis verbis *sine sanguine*, Ciceronem sua *integra* habere malit quam iisdem servatis omnem orationi colorem detrahere?

Opponuntur enim inter se atque componuntur: integram — cruenta; praedam — spolia; habere — detrahere; posset — mallet.

Sic in Top. § 69 invenies *integra* et *contaminata*.

Male adhuc locum intellexerant interpretes *integram* praedam totam esse explicantes.

J. B. KAN.

AD PLUTARCHI MORALIA

(ED. BERNARDAKIS)

SCRIPSIT

H. VAN HERWERDEN.

P. 5 A. ἐπὶ δὲ τὰς ἡδονὰς ἑαυτοὺς κρημνίσωσι. Quia verbum simplex κρημνίζειν non habere videtur idoneum auctorem, suspicor ante K initiale periisse simillimum compendium prae-positionis κατὰ et reponendum esse κατακρημνίσωσι, quod compositum frequentis est usus.

P. 5 B. ἤδη δὲ τινες καὶ τῶν νεανικωτέρων ἄπτονται κακῶν μοιχεύοντες καὶ οἰκοφθοροῦντες καὶ μίαν ἡδονὴν θανάτου τιμώμενοι. Aptius mihi videtur καὶ μικρὰν ἡδονὴν κτέ., ut legitur (Coni. Praec. c. 44) p. 144 D τῶν ἀνδρῶν — συγγενομένων ἑταίραις, ἀδικόν ἐστιν ἡδονῆς ἕνεκα μικρᾶς ἐπὶ τοσοῦτο λυπεῖν — τὰς γυναικῆς et p. 183 E ὡς μικρᾶς ἡδονῆς ἕνεκα δοῦλον ἑμαυτὸν ἐκ βασιλείας πεποιήκα, ut alia similia afferre supersedeam.

P. 5 E. πῶστον γὰρ ἐστὶν ἰσχὺς ἀνθρωπίνῃ τῆς τῶν ἄλλων ζῴων δυνάμεως. Solent in tali re Graeci scribere μέγα, πολὺ, οὐ μικρόν, μέγιστον, ἐλάχιστον (cett.), πολλοστόν et πῶστον μέρος, nec facile in his formulis substantivum omittitur. Sic v. c. Mor. p. 874 D recte et ordine legitur πῶστον μέρος αὐτῆς ἡ Φυσικῆ διέξοδος; Vide autem quam facili errore post δυνάμεως a librariis neglecti potuerit μέρος.

P. 7 D. Optime iam LARSENUM, cui saepe in easdem incidi coniecturas, in egregio libro *Stud. Crit. in Plut. Mor.* Hauniaeo 1889, pag. 26, qui hanc scriptiunculam componenti mihi allatus est, emendasse animadverto: τί [τὸ] συλλήβδην αἰρετὸν τί Φευκτόν.

P. 8 D. καθάπερ οὖν ἐν εὐδίᾳ τὰ πρὸς τὸν χειμῶνα προσήκει παρασκευάζειν. Quo pacto Bernardakis tneatur προσήκει pro necessario προσήκει hic et alibi (nam idem vitium passim recurrit, velut p. 11 DE, ubi opponitur δεῖ), prorsus me latet.

P. 9 B. Verba ἴνῃ τῷ παραδείγματι Φωτεινότερον ποιήσω τὸν λόγον, quae Hercher inconsideratius deleuit, manifeste non suo loco leguntur, sed paullo post optime habebunt transposita post ὡσπερ γάρ. Lege ὡσπερ γάρ, ἵνα τῷ (aut dele articulum, aut, si Plutarcho τῷ pro τινί dicere non licuit, lege cum Larsenio ἴν' ἱκανῶ) παραδείγματι Φωτεινότερον ποιήσω τὸν λόγον, τὰ Φυτὰ τοῖς μὲν μετρίοις ὕδασι τρέφεται, τοῖς δὲ πολλοῖς πνίγεται, τὸν αὐτὸν τρόπον ψυχῇ τοῖς μὲν συμμέτροις αὖξεται πόνοις, τοῖς δ' ὑπερβάλλουσι βαπτίζεται.

P. 10 E. ταῦτα μιμῆσθαι καὶ περικνίξειν ἐπιχειροῦμεν. Recte Larsen postulat ἐπιχειρῶμεν, sed praegressum verbum non iniuria in suspicionem vocasse videtur Wyttenbach coniciens ἀπεικονίζειν = ἀπεικάζειν.

P. 11 B. τὸν γὰρ ἀρχιμάγειρον Εὐτροπίωνα γεγενημένον ἐν τάξει πέμψας παραγενέσθαι πρὸς αὐτὸν ἡξίου καὶ λόγον δοῦναι καὶ λαβεῖν. Interpres Latinus ap. Didotium (Xylander) vertit: *Iubebat is (Antigonus sc.) per Eutropionem coquoꝝ principem, qui munus aliquod gesserat, ad se venire Theocritum ac rationes secum conferre.* At manifestum videtur verba „qui munus aliquod gesserat” non dicta esse de internuntio, sed de eo cui rationes reddendae essent, itaque de Theocrito. Consentaneum est igitur verum verborum ordinem turbatum esse. Conicio τὸν γὰρ — Εὐτροπίωνα πέμψας παραγενέσθαι πρὸς αὐτὸν (Antigonum) ἡξίου (Theocritum) γεγενημένον ἐν τάξει <τινί?> καὶ λόγον δοῦναι καὶ λαβεῖν. ταῦτα δ' ἀπαγγέλλοντος ἐκείνου πρὸς αὐτὸν (Theocritum) καὶ πολλάκις <μάτην?> προσιόντος, „εὐ οἶδ'” ἔφησεν ὅτι ὠμόν με θέλεις τῷ Κύκλωπι παραθεῖναι.

P. 13 B. Dicitur de adulatoribus: μιᾶρὸν τὸ Φῦλον, ὑποκριταὶ Φιλίας, ἄγευστοι παρρησίας, πλουσίων μὲν κόλακες πενήτων δ' ὑπερόπται, ὡς ἐκ λυρικῆς (depravatum. Bernardakis λυτικῆς, quod verum esse dubito) τέχνης ἐπὶ τοὺς νέους ἀγόμενοι, σεσηρότες ἔθ' οἱ τρέφοντες γελῶσι, καὶ ψυχῆς ὑποβολιμαῖα καὶ νόθα μέρη βίου, πρὸς δὲ τὸ τῶν πλουσίων νεῦμα ζῶντες, τῇ τύχῃ μὲν ἐλεύθεροι, τῇ προαιρέσει δὲ δοῦλοι. Locum pessime habitum

non sanat neque quod Dübner edidit καὶ <τέννα> τύχης ὑποβολιμαῖα neque quod Bernardakis proposuit καὶ ψευδῆ <καὶ> ὑποβ., non enim intellegitur quo pacto ipsi adulatores εἴταε partes dici potuerint. Aut fallor aut locus laborat lacuna sic fere explenda: καὶ ψυχ<αγωγούντες αὐτοὺς κατὰ τὰ> ὑποβολιμαῖα καὶ νόθα μέρη βίου. Cf. praegressa sub AB et infra pag. 43 F ἐν τοῖς ἀληθίνοις τοῦ βίου μέρεσι μικροὶ καὶ ὑπὸ χεῖρα φαίνονται τοῖς πολλοῖς. Ceterum supplementum non praesto, nam et alia comminisci possis, velut καὶ ψυχᾶς (vel ψυχῆν) <αὐτῶν τρέποντες πρὸς τὰ> ὑποβολιμαῖα κτέ. Sed lacunosus quin locus sit, nullus dubito.

P. 13 E extr. Duabus litteris repetitis corrigo: ἰβουκόλησέ <σέ> ποτε δι' οἰκέτου· τὴν ὄργην κάτασχε.

P. 14 C. τὸ μὲν οὖν πάσας τὰς προειρημένας συμπεριλαβεῖν εὐχῆς ἴσως ἢ παραινήσεως ἔργον ἐστί. Audiri posse ὑποθήκας, quis credat Bernardaki? Speciem certe habet quod dedit Dübner τὰς π. σ. παραινήσεις εὐχῆς ἴσως ἔργον ἐστί.

P. 31 E. δεῖ δὲ μηδὲ τῶν ὀνομάτων ἀμελῶς ἀκούειν, ἀλλὰ τὴν μὲν Κλεάνθους παιδιὰν παραιτεῖσθαι· κατεῖρανεύεται γὰρ ἐστὶν ὅτε προσποιούμενος ἐξηγεῖσθαι τὸ „Ζεῦ πάτερ Ἰδῆθεν μεδέων” καὶ τὸ „Ζεῦ ἄνα Δωδωναίε” κελεύων ἀναγινώσκειν ὑφ' ἑν, ὡς τὸν ἐκ τῆς γῆς ἀναθυμιάμενον ἀέρα διὰ τὴν ἀνάδοσιν ἀναδωδωναίου ὄντα. Deest ludicra prioris loci Homericæ interpretatio, quare vide ne lacuna statuenda post μεδέων. Insuper, quoniam vix duobus tantum locis Cleanthes eiusmodi interpretationi indulsisse putandus est, fieri potest ut fuerit ἐξηγεῖσθαι, <ὡς> τὸ κτέ.

P. 34 F extr. καὶ νῆ Δία τὸ λέγειν ἐφεξῆς „ἄριστε”. Aliquid deesse ad sermonis integritatem bene animadvertit Larsen, qui supplet <ἅπασιν τοιοῦτοις> ἐφεξῆς, sed sufficere videtur <πᾶσιν> ἐφεξῆς, omnibus sine discrimine, tam malis quam bonis.

P. 38 C. οἳ τε πολλοὶ τὰ μικρὰ παιδία καταφιλοῦντες αὐτοὶ τε τῶν ὤτων ἄπτονται καὶ κεῖν x τοῦτο ποιεῖν κελεύουσι. Si recte lusum intellego, ipsi puerulos osculantes horum auriculosprehendunt, hos vero ipsorum (non suas) aures vicissimprehendere iubent. Quod si ita est, Plutarchus scripsit καὶ κεῖν' αὐτοὺς τοῦτο (vel ταὐτὸ) ποιεῖν κελεύουσι.

P. 43 D. τάχα μὲν γὰρ οὐδ' ἄμβιβην κρύπτειν ἄμεινον, ὡς Φησὶν Ἡράκλειτος, ἀλλ' εἰς μίσην τιθῆναι καὶ θεραπεύειν. Suadet

sententia, ut abiecta copula legatur ἄλλ' εἰς μέσον τιθέναι θεραπεύειν, ad curandum. Non enim iuvenis auditor ipse morbum suum curat, sed curandum praebet praeceptorī tanquam medico.

P. 45 extr. ὡς οὐκέτι τοῦ „καλῶς” καὶ τοῦ „σοφῶς” καὶ τοῦ „ἀληθῶς” ἐξαρκούντος, οἷς οἱ περὶ Πλάτωνα καὶ Σωκράτη καὶ Ἱππερίδην ἐχρῶντο σημείοις τῶν ἐπαίων. Praesertim si Socratis nomen recte traditum est nec Plutarchus voluit Isocratē, pro Ἱππερίδην malim Εὐκλείδην.

P. 49 C med. Propter praegressa suppleverim οὐ μικρὸν <οὖν> ἔργον ἐστὶν κτέ.

P. 50 C. ἀλλὰ μὴ, καθάπερ οἱ πολλοί, τοὺς αὐτοληκῦθους τούτους λεγομένους καὶ τραπεζίας καὶ μετὰ τὸ κατὰ χεῖρὸς ὕδωρ ἀκουομένους, ὡς τις εἶπε, κόλακας νομίζωμεν, ὧν ἐν μιᾷ λοπάδι καὶ κύλικι μετὰ βωμολοχίας καὶ βδελυρίας ἢ ἀνελευθερία γίνεται κατάδηλος. Vix sanum videtur ἀκουομένους, quia τὸ ἀκούεσθαι in convivio non solum istorum hominum proprium est, sed quales hic describuntur simulac cibo potuque ingurgitare se coeperunt veram suam naturam aperiant, itaque aptum foret participium, quale est ἀλισκομένους vel ἀπογυμνομένους vel ἀνακαλυπτομένους vel ἀναιδευομένους, sed quid Plutarchus dederit pro certo dicere nequeo.

P. 55 A. τοῦ δὲ κόλακος τοῦτ' ἔργον ἐστὶ καὶ τέλος, αἰεὶ τινα παιδιὰν ἢ πρᾶξιν ἢ λόγον ἐφ' ἡδονῆ καὶ πρὸς ἡδονὴν ὀψοποιεῖν καὶ καρυκεύειν. Cur addatur πρὸς ἡδονὴν (quod pro ἡδέως usurpari solet, ut πρὸς βίαν pro βιαίως et πρὸς ἀνάγκην pro ἀναγκαιώς, al.) non exputo. Crediderim σφάλμα esse librarii propter praegressum ἡδονῆ idem vocabulum repetentis, Plutarchum vero scripsisse ἐφ' ἡδονῆ καὶ πρὸς χάριν. Sic infra sub litt. D iunxit αἰεὶ τὸ ἡδὺ καὶ τὸ πρὸς χάριν εἰωθῶς ὑποκρίκειν et sub E τὸν δὲ συνεχῆ ταῖς ἡδοναῖς καὶ τὸ πρὸς χάριν ἐχρυσαν ἄκρατον αἰεὶ καὶ ἄδηκτον ὀμιλίαν ὑπονοεῖν. Quae corrigendi ratio mihi probabilior videtur quam delere πρὸς ἡδονὴν ut glossema.

P. 59 B. ἐπεὶ δὲ Φεύγοντες τὸν ἐν γέλῳτι καὶ ἀκράτῳ καὶ πέμμασι καὶ παιδιαῖς ἐλεγχον εἰς ὄφρῦν αἴρουσιν ἤδη τὸ πρᾶγμα καὶ κολακεύουσιν ἐσκυθρωπακότες. Expectes propter notum scribendi usum ἐλεγχον, ὄφρῦν αἴρουσιν ἤδη καὶ κολακεύουσιν ἐσκυθρωπακότες, sed sine libris vocabula εἰς et τὸ πρᾶγμα, quae cur quis adderet non satis intellegitur, expungere non audeo.

P. 62 A. καὶ πρὸς ὄδον ἢ πλοῦν ἢ τινα πρᾶξιν ὄρων ἀπομαλ-
κιζόμενον οὐ φήσει κατεπείγειν τὸν καιρὸν, ἀλλὰ ταῦτὸ ποιήσειν
ὑπερθέμενον ἢ πέμφαντας ἕτερον. Nonne soloeci sunt Accu-
sativi plurales sic statim post singularem illati? Si Plutarchus
non admisit hiatum πέμφαντα ἕτερον aut πέμφανθ' ἕτερον, quidni
scripsit ἀλλὰ ταῦτὸ ποιήσειν ὑπερθέμενον ἢ ἕτερον (legitimus
hiatus) πέμφαντα?

P. 86 D. ὡστ' ἄξιον εἶναι δεδιέναι μὴ τῶν θηρίων ἐκλιπόντων
τῷ ἀνθρώπῳ ὁ βίος αὐτοῦ γένηται καὶ ἄπορος καὶ ἀνήμερος.
Quia ἐπιλείπειν, ut *deficere* Latine, Accusativum regit non Da-
tivum, itaque τῷ ἀνθρώπῳ pertinet ad sequentia, apparet pro-
nomini αὐτοῦ nullum esse locum. Quod nisi forte delendum est,
refingendum videtur in αὐθις, quocum non raro confusum est;
quippe etiam in mundi primordiis vita humana fuit θηριώδης
καὶ ἄπορος καὶ ἀνήμερος.

P. 90 A. ἀλλὰ σκοπεῖν τί τῶν ὑπὸ σοῦ λεγομένων ἢ πραττο-
μένων ἢ σπουδαζομένων ἢ CTνότων ὁμοιότητα τῇ διαβολῇ παρ-
σχῆκε κτέ. Optime egregius editor, qui iniquissime nuper trac-
tatus a Wilamowitzio Müllendorffio, si quis alius, bene de
Plutarcho meruit, requirit προσόντων. Nescio tamen an et
sententia et litterarum ductus etiam magis faveant coniecturae
ἢ σοι <προσ>όντων. Nempe praep. πρὸς in vetustis libris
exarata signo tachygraphico, quod videre est apud Gardhausenum
pag. 260, facile cum littera aliqua confunditur aut prorsus
neglegitur.

P. 92 B. ὡσπερ γὰρ οἱ χαριέντες γεωργοὶ τὰ ῥόδα καὶ τὰ ἰα-
βελτίω ποιεῖν νομίζουσι σκόροδα καὶ κρόμμου παραφυτεύοντες
(ἀποκρίνεται γὰρ εἰς ἐκεῖνα πᾶν ὅσον ἐνεστι τῇ τροφῇ ὄριμὸν καὶ
δυσῶδες), οὕτω καὶ ὁ ἐχθρὸς ἀναλαμβάνων καὶ περιέπων τὸ
κακόηδες καὶ βάσκανον, εὐμενέστερον παρέξει σε τοῖς φίλοις εὖ
πράττουσι καὶ ἀλυπτότερον. Quid sibi hic velit περιέπων, i. e.
tractans, fovens, colens, cuius verbi nulla significatio huc qua-
drat, fateor me haudquaquam intellegere. Mutatione propemo-
dum nulla correxerim περιέπων, i. e. *detrahens*, s. *pertrahens*
(scil. ad sese). Exempla dabit Steph. Thes. ed. Dind. s. v.

P. 106 D. „λιμὴν” γὰρ ἔντως Ἰλίδας „ἄν' αἶαν”. Prorsus
me fugit, quid Bernardakis commovere potuerit, ut ne comme-
moraret quidem evidentem emendationem ἀνιᾶν, quam recepit

Duebner. Mors λιμὴν ἀνιάν dicta est a poeta eodem sensu, quo infra p. 108 E alius eandem vocavit ἀπόλυσιν κακῶν. Similiter Critias fr. II 20 somnum dixit τὸν καμάτων λιμένα. Cf. etiam Aesch. Suppl. 466.

P. 106 B ingeniose Larsen ἐνταῦθα γὰρ ἂν τις ἀκούσειε pro ἐλύσειε (sic iam ego *Plutarchea* et *Lucianea*, Traiecti a. Rh. 1877 pag. 5) καὶ τὴν Σωκράτους Φωνὴν τελειομένην pro τὴν οἰομένην κτέ.; quod nunc praefero coniecturae meae (l.l.) τοῦ οἰομένου.

P. 109 F, 110 A. ἀλλ' οἶε σὺ διαφορὰν εἶναι μὴ γενέσθαι ἢ γενόμενον ἀπογενέσθαι; εἰ μὴ καὶ τῆς οἰκίας καὶ ἐσθῆτος ἡμῶν μετὰ τὴν Φθορὰν ὑπολαμβάνεις τινὰ διαφορὰν εἶναι πρὸς τὸν ὄν οὐδέπω κατεσκευάσθη χρόνον. Post hanc demonstrationem ex absurdo turpiter abundare iudicabam in *Plutarcheis* l. l. verba εἰ δ' ἐπὶ τούτων οὐδ' ἐν ἔστι δῆλον ὡς οὐδ' ἐπὶ τοῦ θανάτου πρὸς τὴν πρὸ τῆς γενέσεως κατάστασιν ἔστι διαφορὰ, neque hodie tuto sententiam. Quia tamen Plutarchus est saepe prolixior, non ab ipso scripta esse affirmare non amplius audeo, sed ita certe requiro εἰ δ' ἐπὶ τούτων οὐδεμί' ἔστι (sc. διαφορὰ), δῆλον ὡς οὐδ' ἐπὶ τοῦ θανάτου — ἔστι <τις> διαφορὰ.

P. 110 E. νῆ ΔΓ ἀλλὰ — ἄωρος θάνατος. Fieri nequit ut, quod Larsen affirmat, omnes interpretes et editores latuerit Plutarchum Apollonium quasi interpellantem et verba illa rationibus suis opponentem induxisse. Norunt, ut arbitror, vel pueri hanc vim formulae νῆ ΔΓ ἀλλὰ (et ἀλλὰ νῆ Δ/α), quae cum apud alios omnes tum praesertim apud oratores est frequentissima, sed non solet talibus sententiis, quod hic requirit Larsen, signum alienae orationis appingi, utpote prorsus inutile in re per se manifesta.

P. 116 B. ἔχομεν γὰρ τὸ ζῆν ὡς περ παρακαταθεμένοις θεοῖς ἐξ ἀνάγκης, καὶ τούτου χρόνος οὐδεὶς ἔστιν ὠρισμένος τῆς ἀποδόσεως, ὥστε οὐδὲ τοῖς τραπεζिताῖς τῆς τῶν θεμάτων, ἀλλ' ἄδηλον πῶς ὁ δοῦς ἀπαιτήσεται. Non video quid lucremur scribendo divisim cum Bernardaki ὡς περ παρὰ καταθεμένοις θεοῖς, vitam enim nobis a dis creditam habemus, quamdiu habemus, ἀπὸρ nos, non ἀπὸρ deos. Procul dubio sententia haec est: *habemus enim vitam quasi depositam apud nos a dis fatali quadam necessitate*; quam non lenius restituere possum quam sic: ἔχο-

μεν γὰρ τὸ ζῆν ὡσπερ παρ' ἡμῖν κατατεθειμένον θεοῖς (i. e. ὑπὸ θεῶν) ἐξ ἀνάγκης.

P. 118 D. πολὺ δ', οἶμαι, μᾶλλον τὸν ὑπερτιθέμενον τὰ τῆς ψυχῆς ἀχθεινὰ πάθη καὶ δυσάνθητα πρὸς τὸν ἐπιόντα χρόνον. Melius intellegam τὸν ὑπερτιθέμενον <τὸ θεραπεύειν> τὰ τῆς ψυχῆς κτέ.

P. 118 D. Primus, nisi fallor, monui in Plutarcheis l.l. inter verba Ἀναξαγόραν τὸν Κλαζομένιον et Δημοσθένη τὸν Ἀθηναῖον elapsa esse Periclis et Xenophontis nomina. Nunc video Bernardakis annotare „fortasse supplendum καὶ Περικλέα τὸν Ὀλύμπιον καὶ Ξενοφῶντα τὸν Σωκρατικόν" parum apte me iudice epitheta Olympicum et Soeraticum media inter demotica inserentem. Praestat, quod illic feci, locum sic supplere Ἀναξαγόραν τὸν Κλαζομένιον καὶ <Περικλέα καὶ Ξενοφῶντα καὶ> Δημοσθένη τοὺς Ἀθηναίους καὶ Δίωνα τὸν Συρακόσιον, correcto τοὺς Ἀθηναίους pro τὸν Ἀθηναῖον, quod de industria a librariis in loco lacunoso, ut quodammodo intellegi posset, ita refictum esse noli mirari.

P. 123 C. μάλιστα δὲ τῶν περὶ τὸ σῶμα διαιτημάτων ἐν τοῖς ὑγιεινοτάτοις (in maxima sanitate) ἐπάγοντα τὴν συνήθειαν εὐμενῆ καὶ γνώριμα καὶ οἰκεῖα παρασκευάζειν. Supple καὶ οἰκεῖα <ταῦτα> παρασκευάζειν, scil. τὰ διαιτήματα.

P. 128 B. αἰσχιστα πολλὰς ἡμέρας κείνται καθαιρόμενοι καὶ κατακλασθόμενοι καὶ θωπεύοντες ἰατροὺς καὶ θεραπεύοντες, οἶνον αἰτοῦντες ἢ ψυχρὸν ὕδωρ, ἄτοπα καὶ ἀγεννῆ πολλὰ ποιεῖν καὶ φθέγγεσθαι διὰ τὸν φόνον καὶ τὸν φόβον ὑπομένοντες. Admodum frigere videtur post θωπεύοντες additum verbum debilius θεραπεύοντες, quare vide an Plutarchus scripserit ἰατροὺς τοὺς θεραπεύοντας aut lenius ἰατροὺς καὶ θεραπεύοντας, scil. eos qui continuo curandi causa et ministrandi adsunt aegrotanti (verplegers, ziekenoppassers).

P. 129 A. μηδ' ἔχειν σημεῖα χειμῶνος ἐν αὐτῷ γενησομένου καὶ μέλλοντος. Turpis pleonasmus, sed non melius est P. 325 E μὴ γενέσθαι μηδ' εἶναι et P. 354 B τῆς ἀπλότητος καὶ ἀχρημάτου διαίτης.

P. 129 B. C. κατασβεννύουCIN, quod iure postulat Larsen, iam edidit Duebner.

P. 129 F. ὅθεν ἄριστα λέλεκται „τροφῆς ἀκορίην καὶ πόνων ἀοκνήν καὶ σπέρματος οὐσίης συντήρησιν ὑγιεινότητα εἶναι".

Quo pacto haec impigre laborandi commendatio conciliari possit cum ipsis praegressis, quae a nimis laboribus abhortantur, non optime perspicio. Contextus suadere videtur πόνων ἀοχλησίην. — Paulo ante sub litt. D οὕτω τὰ περὶ αὐτὸν (sc. ἀμαρτήματα) ἐν τοῖς πλησίον εὖ τίθεσθαι (sc. χρήσιμόν ἐστι, quod mente repetendum e capitis initio) καὶ φυλάττεσθαι καὶ μνημονεύειν ὅπως οὐ περιπεσεῖται τοῖς αὐτοῖς κτέ. Non recte *aliena peccata* (cf. ἐπὶ τοῖς ἀλλοτρίοις ἀμαρτήμασιν in praegressis) dicuntur τὰ πλησίον (ἀμαρτήματα), sed corrigendum: οὕτω τὰ περὶ αὐτὸν ἐν τοῖς <τοῦ> πλησίον εὖ τίθεσθαι κτέ.

P. 130 A. πρῶτον δὲ περὶ γυμνασίων φιλολόγοις ἀρμοτιόντων λέγομεν ὅτι, ὥσπερ ὁ Φήσας μὴδὲν γράφειν παραβαλασσίους περὶ δδόντων ἐδίδαξε τὴν χρεῖαν, οὕτω καὶ φιλολόγοις Φαίη τις ἂν μὴ γράφειν περὶ γυμνασίων Quod Bernardakis annotavit περὶ τριοδόντων? non ipsius est, sed Doehneri inventum, qui praeterea cum Wytttenbachio scribi iussit διδάξαι τὴν χρεῖαν. Haec vero verba mendo carent, sed e lectione ΠΕΡΙΟΔΟΝΤΩΝ non efficiendum videtur περὶ τριοδόντων, verum ΤΡΙΟΔΟΝΤΩΝ sine praepositione, quo restituto locum sic verto: *sicut is qui nihil se maris accolis scribere dixerat* (tamen in libro suo) *tridentium usum docuit, ita* cett. Licet proprie supervacaneum videatur philologis de exercitationibus aliquid praescribere, nihilominus id se facere auctor dicit exemplum illius scriptoris secutum. Facillimam corruptelam adiuvit cum praegressum tum sequens praepositio *περὶ*. Larsenum video coniecisse *περὶ τριοδόντων* <ῶν> ἐδίδαξε τὴν χρεῖαν, ne sic quidem male.

P. 134 B. μᾶλλον δ' ὅλως τὴν μὲν πλήρωσιν ὡς κώλυσιν ἀπολαύσεως βαρυνόμενοι, τὴν δ' ἐνδειαν ὡς χώραν ἀεὶ ταῖς ἡδοναῖς παρασκευάζοντες. Quo pacto ipsa vacuitas locus vocari potuerit me latet. Intellegam: τὴν δ' ἐνδειαν, ὡς χώραν διδοῦσαν (sive *maxis ἀεὶ διδοῦσαν*) ταῖς ἡδοναῖς, παρασκευάζοντες.

P. 136 B. εἰς ἀγορὰν ἢ αὐλὴν ἢ τινα πραγματείαν διαπύρου καὶ συντόνου δεομένην σπουδῆς ἐλαυνόμενον. Larsen coniecit ἢ ἄλλην τινὰ πραγματείαν. Vix tamen recte ipsum *forum* et ipsa *aula* audiunt *negotium*, quare malim: εἰς ἀγορὰν ἢ αὐλὴν ἐπὶ τινα πραγματείαν κτέ.

P. 140 F. ὥσπερ τὸ κρᾶμα, καίτοι ὕδατος μετέχον πλείονος, οἶνον καλοῦμεν. Qui in asyndeto recte offendit Hercher,

minus bene post ὥσπερ inseruit γάρ, quod recepit etiam Bernardakis. Non enim ratio his redditur praecedentium sed aliquid novi additur, quare verius corrigas ὥσπερ <τε> τὸ κρᾶμα κτέ. Similiter p. 144 B suppleverim καλῶς <τε> τὴν Ἀφροδίτην ὁ Σοφοκλῆς εὐκαρπον Κυθήρειαν προσηγόρευσε, ubi pergit scriptor in eodem argumento.

P. 146 E. F. ἔρμαιον — μοι γέγονεν ἐνταῦθα λαβεῖν ἄπαντας. Bene animadvertendum Niloxenum non dicere καταλαβεῖν (offendisse), sed iocose λαβεῖν, quod proprium est de captura.

P. 152 A. Occupavit Larsen, quod et ipse animadverti, demonstrare, iniuria Wytttenbachii exemplo Bernardakis ante μετακινήτους contra mentem Plutarchi inseruisse μή, quam felicissimam coniecturam recte sprexit Duebner, qui contra mox postulante sententia optime rescripsit οὕτω γὰρ ἔδει (pro δεῖ) πρῶτον ἀποποιεῖσθαι τὸν Λυκοῦργον κτέ. — Post pauca legitur in codicibus δεύτερος δ' ὁ βίας εἶπεν „εἰ πρῶτος χρῆτο (sc. βασιλεὺς) τοῖς νόμοις τῆς πατρίδος. Stobaei lectio τρόποις induxit viros doctos, ut pro πρῶτος alius aliud conicerent: ἀτίρπτοις Hercher, ἀτρόποις Bernardakis, ἐπιτρόποις Larsen. Mihi, ut candide dicam, verissima videtur librorum Plutarcheorum lectio πρῶτος et intellego „si rex primus (i. e. ante cives omnes) patriae legibus pareat, itaque subditis suis det legum observandorum exemplum.” Cf. infra 155 DE εἶτα προσεπέπεν ὅτι καὶ Λυκοῦργος πρὸς τὸν κελεύοντα δημοκρατίαν ἐν τῇ πόλει καταστήσαι „πρῶτος” ἔφη „ποιήσον ἐν τῇ οἰκίᾳ σου δημοκρατίαν”, ubi πρῶτος (pro quo Duebner πρῶτον didit) recte a Bernardaki servatum esse confirmat locus p. 189 E. — Paulo post p. 152 B εἰ τοὺς ὑπηκόους ὁ ἄρχων παρασκευάσει φοβεῖσθαι μὴ αὐτὸν ἀλλ' ὑπὲρ αὐτοῦ, nescio an deleto ὁ ἄρχων e superioribus mente repetendum sit βασιλεὺς ἢ τύραννος, quod auditur in praegressis Biantis, Thaletis, Anacharsis et Cleobuli sententiis.

P. 155 C. οὐ γὰρ ἂν παίζων ἐπὶ γέλωτι παρέβαλες ἐκεῖνο (solis cursum) τοῖς ἡμετέροις (sc. ἄρμασιν). Verba inepte abundantia ἐπὶ γέλωτι Plutarchi esse dubito.

P. 156 B. ὕφάντης τε γὰρ ἂν οἶμαι χλαμύδα ποιήσαιτο μᾶλλον ἔργον αὐτοῦ καὶ ἱμάτιον ἢ κανόνων διάθεσιν καὶ ἀνέγερσιν ἀγνύθων. Sunt ἀγνύθες, sive λείαι, οἱ λίθοι οἱ ἐξηρητημένοι τῶν στημόνων κατὰ τὴν ἀρχαίαν ὕφαντικὴν (Polluc.) sive οἱ λίθοι οἱ

περιφερεῖς καὶ τετρημένοι ἐν τοῖς ἱσταρίοις (Choerobosc.), a Romanis dictae *pondera*, quibus veteres utebantur ne stamina iusto laxius dependerent et sic confunderentur. Vid. H. BLÜMNER, *Technologie u. Terminologie der Gewerbe u. Künste I*, 1 pag. 127 sqq. Iam vero prorsus me latet quid sibi velit horum ponderum *excitatio* et nescio an Plutarchus scripserit καὶ ἐνερσιν (ἄνερσιν?) ἀγνύθων, quo significetur ponderum imis staminibus *inertio* sive *anperio*.

P. 172 extr. Scribitur de Dario f. Hytaspis: τοὺς δὲ Φόρους τοῖς ὑπηκόοις τάξας μετεπέμψατο τοὺς πρώτους τῶν ἐπαρχιῶν καὶ περὶ τῶν φόρων ἠρώτησε, μὴ βαρεῖς εἰσὶ· Φησάντων δὲ μετρίως ἔχειν ἐκέλευσε τελεῖν τοὺς ἡμίσεις ἕκαστον. Stolidam et incredibilem liberalitatem! At nullus dubito quin librarii subsit error et antiquitus scriptum fuerit: Φησάντων δὲ <μὴ> μετρίως ἔχειν ἐκέλευσε τελεῖν τοὺς ἡμίσεις ἕκαστον. Hoc demum est principis sapientis et liberalis. Voculae μὴ pro οὐ abusus apud sequiores non rara est. Ceterum fieri potest ut verum sit δ' οὐ.

P. 174 B. καθάπερ οἱ τῶν ἀριθμητικῶν δάκτυλοι νῦν μὲν μυριάδας νῦν δὲ μονάδας τιθέναι, τὸ αὐτὸ καὶ τοὺς τῶν βασιλέων Φίλους νῦν μὲν τὸ πᾶν δύνασθαι νῦν δὲ τοῦλάχιστον. Eodem modo dicitur quidem Graece τὸν αὐτὸν τρόπον, sed constanter, si recte memini, <κατὰ> τὸ αὐτὸ.

P. 174 F. Σκίλουρος ὀγδοήκοντα παῖδας ἄρρενας ἀπολιπών, ἐπεὶ τελευτᾶν ἔμελλε, δέσμην ἀκοντίων ἐκάστῳ προτείνων ἐκέλευσε καταθραῦσαι. De homine nondum defuncto absurdus est Aoristus ἀπολιπών (veteres et probati scriptores hac in re usurpant καταλείπειν), nisi repetita littera reponimus Σκίλουρος <δ> ὀγδοήκοντα — ἀπολιπών. Sin minus, requiritur ἀπολείπων, quod tamen propter verborum structuram displicet.

P. 175 D. Necessarium existimo μωρολογ(ήσ)εις, Διονύσιε, nondum enim Dionysius dixerat, et sic demum recte opponitur futuri tyranni responsum μοναρχήσω μὲν οὖν.

P. 178 A. Locus obscurius ab apophthegmatum collectore compositus sic videtur intellegendus: Dionysius faciendo quod narratum est non quidem praenosebat homines sibi insidiaturos, sed his illa tyranni simulatione persuasum erat se illum non latere, itaque nihil adversus eum moliri audebant.

P. 191 B. „Φεῦ τᾶς Ἑλλάδος” εἶπεν (Agesilaus) „ἂ τοσοῦτους ὑφ' αὐτᾶς ἀπολώλεκεν, ὅσοις ἄρκεϊ τοὺς βαρβάρους

νικῆν ἅπαντας." Eadem verba partim emendatius leguntur p. 211 F, ubi servatum est τὰς βαρβάρως (cf. 211 B. extr.), partim corruptius, nam et ἦ ibi est pro ἄ et νικῆν pro νικῆν. Utrobique male legitur τοσοῦτους pro τοσοῦτως et ἀρκεῖ pro ἀρκεί. Minus probo Bernardakin, qui in locis manifeste Dorice scriptis non restituit dialecti proprietates, velut p. 211 C, ubi lege καττὰν pro κατὰ τὰν, Φθασῶ pro Φθάσω, πόλι pro πόλει, ἔκκα pro ἔταν et οἶοί κα pro οἶοι ἄν.

P. 194 E. κομισαμένου δ' αὐτὸν (Pelopidam) τοῦ Ἐπαμεινώνδου, χάριν εἶπεν ἔχειν Ἀλεξάνδρῳ· πεπειράται γὰρ ἑαυτοῦ νῦν μάλιστα οὐ μόνον πρὸς πόλεμον, ἀλλὰ καὶ πρὸς θάνατον εὐθαρσῶς ἔχοντας. Vitiose, sive librarium culpa sive scriptoris ita legitur, πεπειράται dictum est pro πεπειρᾶσθαι.

P. 198 C. χρημάτων δὲ ἀπειρῶν εὐρεθέντων, αὐτὸς μὲν οὐκ ἔλαβε. Expectes οὐδὲν ἔλαβε. Locus excerptus e vita Aemilii Pauli c. 28.

P. 199 F. Dicitur Scipio minor λίτρας ἀργύρου τρεῖς καὶ τριάκοντα μόνας ἐν οὐσίᾳ μεγάλῃ δύο δὲ χρυσίου καταλιπεῖν. Quomodo aliquis in magna opibus dici potest adeo exiguam pecuniae summam reliquisse, cum praesertim dictus sit μηδὲν πρίασθαι μηδὲν ἀποδόσθαι μηδὲν οἰκοδομῆσαι, unde apparere videtur eum non maiores divitias a patre accepisse? Vide igitur ne scriptor dederit ἐν οἰκίᾳ μεγάλῃ, in magna et illustri familia.

P. 200 E. Γάιον δὲ Λικίνιον ἰδὼν προσερχόμενον „οἶδα" Ἴφι „τοῦτον ἐπισημνότερα τὸν ἄνδρα· μηδενὸς δὲ κατηγοροῦντος, οὐ δύναμαι κατηγορῶς αὐτὸς εἶναι καὶ δικαστής". Verius existimo αὐτὸς, idem, i. e. ἄμα, simul.

P. 207 F. Τοῦ δὲ Ἀθηναίων δήμου ἐξημαρτηκέναι τι δόξαντος, ἔγραψεν ἀπ' Αἰγίνης „οἶσθαι μὴ λαυθάνειν αὐτοὺς ὀργιζόμενος, οὐ γὰρ ἄν ἐν Αἰγίνῃ διαχειμάσειν. Duebner voluisse videtur διαχειμάσαι, nam typorum vitio in eius editione legitur διαχειμάσειν, Bernardakis de suo dedit διαχειμάσειεν. Equidem praetulerim διαχειμάζειν nam directa oratio foret οὐ γὰρ ἄν — διεχείμαζον.

P. 208 A. Πείσωνος δὲ τὴν οἰκίαν ἐκ θεμελίων ἄχρι πάσης στέγης ἐπιμελῶς οἰκοδομοῦντος κτέ. Permiare additum πάσης. Si quid est in ea voce genuini, coniecerim ἄχρι στεγῆς πᾶσαν vel τὴν οἰκίαν πᾶσαν.

P. 208 B. Πρὸς δὲ τὸν εἰπόντα, πῶς ἂν τις ἀδορυφόρητος ὦν ἄρχῃν ἀσφαλῶς δύναιτο, „ἐὰν οὕτως" ἸΦη (Agasicles) „αὐτῶν ἄρχῃ, ὡς περ οἱ πατέρες τῶν υἱῶν". Importunum pronomen, quod in praegressis non habet quo referatur, melius abesset.

P. 214 E (75). καὶ πεσόντος (Epaminonda) ἀναστρέψαντες ἀπὸ τῆς Φυγῆς οἱ σὺν Ἀγησιλάῳ ἐΦάμιλλον τὴν νίκην ἐποίησαν, παρὰ πολὺ μὲν τῶν Θηβαίων χειρόνων παρὰ πολὺ δὲ τῶν Λακεδαιμονίων ἀμεινόνων φανέντων. Vix recte Madvig deleri iussit χειρόνων. Nam quidquid hac de re docet historia, h. l. dicuntur occiso Epaminonda Thebani multo deterius, Lacedaemonii multo fortius quam ante pugnasse, itaque Agesilaus cum suis, qui e fuga conversi magnum imperatorem ceciderant ἐΦάμιλλον ποιῆσαι τὴν νίκην, quae iam fuerat Thebanorum et Epaminandae in fugam coniectis Spartanis. Contra deletο χειρόνων locum non amplius intellego.

P. 214 E (77). κρατῶν δ' ἐφ' ἱκανὸν χρόνον (sc. τὸ ἦπαρ) ὑπέφαινε (Agesilaus) διαταγμὴν καὶ προσποιήσιν ἔχειν ἀποροῦντος, μέχρι τῷ ἦπατι συνακκληθέντος ἐτυπώθησαν οἱ τῶν χρημάτων χαρακτῆρες. Verba καὶ προσποιήσιν ἔχειν ἀποροῦντος vix aliud esse videntur quam interpretamentum verborum ὑπέφαινε διαταγμὴν.

P. 220 E (3). Supple: ἢ καὶ πρὸς δεδεικνηκότα μολόντες, εἶπον, ἡξιούμεν (ἂν) πάλιν αὐτὸν δειπνεῖν;

P. 220 F. κηληκτᾶς (unns cod. κηλικτᾶς. Apostolius Prov. XII 5 κηλίστης) suspecta forma pro κηλητᾶς.

P. 221 A. οὔτοι καὶ ἄλλιον θάνατον ἀποθανοῦμαι ὑπὲρ Σπάρτας ἀνδραγαθῶν. Bernardakis deleri iubet θάνατον, quod quis quaeso facillimae sententiae adscripsisset? Quare malim οὔτοι καὶ ἄλλιον θάνατον ἀποθανοῦμαι.

P. 221 B. Ζευξίδαμος, πυνθανομένου τινος διὰ τί τοὺς περὶ τῆς ἀνδρείας νόμους ἀγράφους τηροῦσι καὶ τοῖς νεοῖς ἀπογραφάμενοι οὐ διδάσιν ἀναγινώσκειν κτέ. Mirus verborum ordo pro hoc: καὶ οὐ διδάσιν ἀναγινώσκειν τοῖς νεοῖς ἀπογραφάμενοι.

P. 226 F. Traditum πομάτων (Bernardakis ed. παμάτων) in hoc apophthegmatum scriptore, quem Plutarchi nomen mentiri planissime concedo Cobeto, fortasse servari poterit. Faex enim Graeculorum ita scribebat, ut κλίμα, βάμα alia sim. pro κλίμα, βῆμα sim.

P. 232 C (3). *εἰ μὴ ὠργιζόμενῃ — κατέκτανον ἄνσε.* *Utrum* *Laconum est κατέκτανον, quod epici et tragici usurpant pro ἀπέκτεινα, an potius est librarium σφάλμα non insolitum pro ignotiore ipsis κατέκτανον?*

P. 233 D (25). *πρὶν τινὰ κατὰ κράτος ἰλότων Λακεδαιμονίων οἱ ἔφοροι εἶπον „οἴχεται τὸ πάλαισμα τῶν νέων.”* *Dictum ut (26) μηδαμῶς — ἀνέλγῃ τὴν ἀκονὴν τῶν νέων.* *In marginem autem relegaverim quae (25) sequitur dicti satis perspicui explicatio: οὐκίτι ἔξουσιν ἀνταγωνιστὰς οἱ νέοι.*

P. 234 D (41). *ὡς καταγελῶντές τινες ἔλεγον „ὕπὲρ τοῦ λαμβάνειν τοῦτο πεποιήκει.* *Nullus est Plusq̄sto locus; corrige πεποιήκει.*

P. 234 D (43). *Σπαρτιάτης ἐρωτηθεὶς εἰ ἀσφαλὴς ἢ εἰς Σπάρτην ὁδὸς, εἶπεν ὁποῖος καθίστης· οἱ μὲν γὰρ λέοντες βαδίζοντι ὅσα κα λέωντι (sic recte Bernardakis pro ἀπο καλέοντι), τῶς δὲ λάγως ἐπὶ τῇ σκηνῇ θηρεύομες.* *Corrigendum suspicor ὁποῖος κα βαδίζης.*

P. 235 F (61). *Ἐρωτηθεὶς Λάκων ὁποῖός ἐστι Τυρταῖος ὁ ποιητής, „ἀγαθός” εἶπε „κακάνειν” νέων ψυχάς.* *Quod Bernardakis reposuit κακκονῆν verum esse credam simulatque probaverit Dorienses κονῆν dixisse pro ἀκονῆν.* *Interea equidem praeferam κατακονῆν.*

P. 239 A (31). *Ἔθος ἦν αὐτοῖς μὴ δὲ κόπτειν τὰς αὐλείους ἀλλ’ ἐξῶθεν βοᾶν.* *Praestiterit μὴ κόπτειν.*

P. 240 E (4). *οὐκ ἄπει ἐντεῦθεν οὐδὲ τὰ τῆς γυναικὸς δυνάμενος; Deleatur articulus.*

P. 241 A (2). *Ἄλλη ἀκούσασα τὸν ὕδον ἐν παρατάξει πεσόντα ἔφη· „δειλοὶ κλαίεθωσαν· ἐγὼ δὲ σε, τέκνον, ἄδακρυς καὶ ἰλαρὰ θάπτω τὸν καὶ ἐμὸν καὶ Λακεδαιμόνιον”.* *Quidni, quaeso, haec sic eduntur*

— *πεσόντα ἔφη·*

δειλοὶ κλαίεθωσαν· ἐγὼ δὲ σε, τέκνον, ἄδακρυς

θάπτω τὸν καὶ ἐμὸν καὶ Λακεδαιμόνιον.

deleto manifesto emblemate καὶ ἰλαρά? Distichon enim, ex vero aut ficto epitaphio sumtum, subesse neminem, ut arbitror, latere potuit.

P. 247 extr. *Λυστριδάς ἄγων ναῦς, ἄς Χίμαρρος ἡγεῖτο.* *Quia ex tota narratione apparet mythici huius ducis nomen arte*

cohaerere cum Chimaera, quae est feminina eius nominis forma, dubium esse nequit quin Plutarchus non duplicata consonanti scripserit *Χίμαρος*.

P. 253 D extr. „οὐδὲν ἄλλο πάποτ'” εἶπεν „οὐδὲν ἤρημαι σοι δεομένη”. Mero librarii errore repetitum videtur οὐδὲν, nec cum *Dinsio* refingendum in οὐτ'.

P. 254 B. αὕτη γὰρ (Neaera) ἠράσθη Προμέδοντος Ναξίου καὶ συνέπλευσεν, ὅς ἦν μὲν ξένος τοῦ Ἑψικρίοντος, ἐρσθεισὴ δὲ τῇ Νεαίρα συνήλθε, καὶ τὸν ἄνδρα φοβουμένην ἀπαγαγῶν εἰς Νάξον ἰκέτιν τῆς Ἑστίας ἐκάθισεν. Si genuina haberem verba καὶ συνέπλευσεν, conicerem συν(απ)έπλευσεν, sed propter sequentia ἀπαγαγῶν εἰς Νάξον prorsus otiosa sunt et minus commode interrumpunt verba Προμέδοντος Ναξίου, ὅς, quare ea vocabula delere malim. Neque enim haerendum est in hiatu ante interpunctionem.

P. 261 E. περὶ Ἀριστοδήμον τὸν τύραννον, ᾧ τινες Μαλακὸν ἐπίκλησιν οἶονται γεγονέναι, τάληθες ἀγνοοῦντες. ἐπεκλήθη γὰρ ὑπὸ τῶν βαρβάρων Μαλακός, ὅπερ ἴστιν ἀντίπαις. Necessario, quod iam dixi *Plutarch. et Luc.* p. 10, supplendum ᾧ τινες Μαλακὸν (ἀπὸ μαλακίας) ἐπίκλησιν οἶονται γεγονέναι, in hoc enim errabant, Plutarcho iudice, non in viri cognomine, quod ipsis sequentibus confirmatur. Ductuum similitudo, ut saepe, causa fuit lacunae.

P. 262 C. ὡς ἐβούλετ' ἂν καὶ αὐτὴ γῆν ὑπὲρ τοῦ πατρὸς Φέρειν παρόντος ἢ τρυφῆς συμμετέχειν Ἀριστοδήμῳ. Malim Φορεῖν, quod proprium est de terra allave materie gerenda, ut sub litt. D extr. recte legitur ὁμαλῶς ὀρύττειν ἢ Φορεῖν ἢ καθαίρειν ἠνάγκασε τὸ χρυσίον. Sitne Φέρειν an Φορεῖν legendum ubique pendet ab editoris non a librariorum, qui identidem verbum utrumque confundunt, arbitrio.

P. 263 F (2). πέντε λαμπάδας ἄπτουσιν ἐν τοῖς γάμοις, ἅς κηρίωνας ὀνομάζουσιν; At Latini *cereos* appellant, neque unde Plutarchus suum *ceriones* sumserit novi. An forte dederat κηρίνους, sc. λαμπάδας? Certe κηρίους non ita facile depravari potuit in κηρίωνας.

P. 264 E (5). Διὰ τί τοὺς τεθνάναι Φημισθέντας ἐπὶ ξένης ψευδῶς, κἂν ἐπανέλθωσιν, οὐ δέχονται κατὰ θύρας κτί. Imo vero ἂν s. εἰ ἂν ἐπανέλθωσιν.

P. 265 A. ὄσσα περ ἐν λεχέεσσι γυνὴ τίκτουσα τελεῖται
ταῦτα πάλιν τελέσαντα θύειν μακάρεσσι θεοῖσι.

Praegresso ὄσσα περ in apodosi respondere solet aut τόσσα aut πάντα, quod hic restituendum videtur.

P. 268 A (19). Διὰ τί τὸν Ἰανουάριον μῆνα νέου ἔτους ἀρχὴν λαμβάνουσι; τὸ γὰρ παλαιὸν ὁ Μάρτιος ἡριθμεῖτο πρότερος κτέ. Magis ad rem, ut arbitror, fuerit πρῶτος.

P. 269 A (22). ἢ μᾶλλον ὅτι τοὺς περὶ τὴν Ἰταλίαν αὐτὸς ἀγροῖς καὶ ἀνόμοις χωρμένους ἔθεσις εἰς ἕτερον βίου σχῆμα — μετεκόσμησε. Ineptum est αὐτός, ἴραε, pro quo non male ἀνθρώποις coniecit Abresch, nisi forte praestat legere αὐτούς, deletis ut glossemate verbis τοὺς — Ἰταλίαν, quibus optime carebimus quia praecedunt verba: διαβὰς δὲ (Ianus) εἰς Ἰταλίαν καὶ συνοικήσας τοῖς αὐτόθι βαρβάροις μετέβαλε καὶ γλώτταν καὶ δίκαιαν.

P. 278 F (60). ἢ διὰ τὰ μυθολογούμενα περὶ τοῦ χιτῶνος καὶ τῆς Διανείρας. Si hanc sententiam voluit scriptor, miror eum non aptiore ordine dedisse περὶ τῆς Διανείρας καὶ τοῦ χιτῶνος. Hac igitur de causa suspectam habeo quam toties librarii temere addunt copulam.

P. 283 A. Suppleo: καὶ Φασι <τοῖς> τούτων ἀπογόνοισ ἀποθανοῦσι καὶ κομισθεῖσιν εἰς ἀγορὰν ὑφίστασθαι δῆδα καομένην.

P. 292 D (8). παραθήσομαι δὲ λέξιν μίαν ἐκ τοῦ θεσμοφυλακίου νόμου, πλειόνων οὐσῶν. Post haec verba frustra desideramus eam λέξιν. Quidni igitur editores apposuerunt signum lacunae?

P. 297 A (25). Τίς ἀλάττωρ ἀλιτήριος παλαμναῖος; Deinde explicat scriptor duo priora vocabula, sed de tertio tacet. Quare hunc quoque locum lacunosum esse puto eiusque extremam partem sic legendam esse: ἀλιτήριος δ' ὄν ἀλεύσασθαι καὶ φυλάξασθαι διὰ μοχθηρίαν καλῶς εἶχε <, παλαμναῖος δὲ ***>. ταῦτα, Φησὶν ὁ Σωκράτης, ἐν διφθεραῖς χαλκαῖς γεγράφασι.

P. 301 B (41). ἢ δὲ Γλαυκία Φοβουμένη κατάΦωρος γενέσθαι τῷ Ἡρακλεῖ κατ'έφυγε. Annotat Bernardakis „scribendum videtur aut πρὸς τὸν Ἡρακλῆ cum Herwerdeno aut προσέφυγε cum Wyttenbachio. Hodie nescio fere an utroque, quia lenius, praestet τῷ Ἡρακλεῖ <προσ>κατέφυγε.

P. 303 E. τῶν δὲ Φ** ἀποθνεῖν τινες λέγονται περὶ τὸ Φλοῖον καὶ τὰ ὄστᾱ δείκνυται αὐτῶν. Teste Bernardaki cod. E habet lacunam V litterarum. Praegressa tantum non suppleri iubent τῶν δὲ Φ<υγούσῶν> ἀποθνεῖν κτέ.

P. 307 F. Locus corruptissimus sic supplendus et corrigendus videtur: Κρόνος ἐπιξενωθεὶς γεωργῶ, ᾧ ἦν θυγάτηρ καλὴ Ἐντωρία, ταύτην (Duebner pro ἦν) ἐβιάσατο καὶ ἐτέκνωσεν υἱοὺς Ἰανὸν Ἔμνον Φαῦστον Φήλικα. διδάξας οὖν <τούτους> τὸν τρόπον τῆς τοῦ οἴνου ποιήσεως (pro πόσεως) καὶ τῆς ἀμπέλου <Φυτείας>, nisi scribendum ἀμπέλου<ργίας>, ἤξιωσε καὶ τοῖς γείτοσι μεταδοῦναι. ποιησάντων (pro ποιήσαντες) δ' αὐτὸ [καὶ dele] πίντες (sc. οἱ γείτονε,) εἰς ὕπνον κατηνέχθησαν βαρύτερον τοῦ δέντου· οἱ δὲ πεφαρμακῶσθαι δόξαντες λίθοις βάλλοντες τὸν γεωργὸν (pro Ἰκάριον, quod nomen interpolatum videtur e fabula Graeca de Baccho cap. IX init. Ὁ περὶ τοῦ Ἰκαρίου μῦθος, ᾧ Διονύσιος ἐπεξενώθη· ὡς Ἐρατοσθένης ἐν τῇ Ἡριγόνῃ, quae fabula ipsa ab excerptore aut a librariis omissa est) ἀπέκτειναν· οἱ δὲ θυγατρίδοι (Bernardakis pro θυγατρίδοι) ἀθυμήσαντες βρόχῳ τὸν βίον κατέστρεψαν.

P. 308 C (X extr.) ὡς Κλειτώνυμος ἐν Ἱταλικῶν. Quidni significatur manifesta post ἐν lacuna? Lenissime sed simul incertissime conicias ἐν <ί> Ἱταλικῶν.

P. 380 A (18). ὁ δὲ (Codrus) δρέπανον λαβῶν ἦκεν εἰς τοὺς ἐναντίους ἐν εὐτελοῦς σχήματι καὶ ἓνα Φανεύσας ὑπὸ θατέρου ἀνκρέθη. Requiritur aut ὕφ' ἐτέρου aut ὑπὸ δευτέρου.

P. 311 A extr. Οὐαλερία — ἐρασθεῖσα — τοῦ πατρὸς τῆ τροφῶ ἀνεκοίωσεν· ἡ δὲ τὸν δεσπότην δόλῳ ὑπῆλθεν, εἰπούσα ὡς αἰδεῖται κατ' ἕψιν μίσεσθαι, τῶν τε γειτόνων εἶναι τὴν παρθένον. Quid est verbi αἰδεῖται subiectum? Non sane Οὐαλερία, ut liquido constat e sequenti narratione. Procul dubio igitur post αἰδεῖται supplendum γυνή (s. παῖς) τις αὐτῶ, nam etiam αὐτῶ necessario addendum est.

P. 311 F (21). Γάιος Μάξιμος ἔχων υἱοὺς Σιμίλιον καὶ Ῥῆσον· τοῦτον ἐγέννησεν ἐξ Ἀμιρίας Κόνων ὁ Ῥῆσος· οὗτος ἐν κυνηγεσίῳ ἀπέκτεινε τὸν ἀδελφὸν κτέ. Conicio Γάιος — Ῥῆσον· τοῦτον ἐγέννησεν ἐξ Ἀμιρίας νόθον. ὁ Ῥῆσος οὗτος ἐν κυνηγεσίῳ κτέ.

P. 312 A (26). Graviter depravata sunt verba ἀπέκτεινε γοῦν Σεπτίμιος Τουσκῖνον. Μάμερκος δὲ κτέ. Locum intellegere mihi videor, si scriptum fuerit: ἀπέτεκεν οὖν Σεπτίμιῳ Τουσκῖνον, sc. Silvia. In sequentibus autem ἐκεῖνος referendum ad Tuscinum, nisi forte ipsum hoc pronomen e Τουσκῖνος corruptum est, quae lectio magis perspicuam redderet sententiam.

P. 265 A. ὄσσαπερ ἐν λεχέεσσι γυνὴ τίκτουσα τελεῖται
ταῦτα πάλιν τελέσαντα θύειν μακάρεσσι θεοῖσι.

Praegresso ὄσσαπερ in apodosi respondere solet aut τόσσα aut πάντα, quod hic restituendum videtur.

P. 268 A (19). Διὰ τί τὸν Ἰανουάριον μῆνα νέου ἔτους ἀρχὴν λαμβάνουσι; τὸ γὰρ παλαιὸν ὁ Μάρτιος ἡριθμεῖτο πρότερος κτῆ. Magis ad rem, ut arbitrator, fuerit πρῶτος.

P. 269 A (22). ἢ μάλλον ὅτι τοὺς περὶ τὴν Ἰταλίαν αὐτὸς ἀγροῖς καὶ ἀνόμοις χρωμένους ἔβειν εἰς ἕτερον βίου σχῆμα — μετακόμμησε. Ineptum est αὐτός, ἴρος, pro quo non male ἀνθρώποις coniecit Abresch, nisi forte praestat legere αὐτούς, deletis ut glossamate verbis τοὺς — Ἰταλίαν, quibus optime carebimus quia praecedunt verba: διαβάς δὲ (Ianus) εἰς Ἰταλίαν καὶ συνοικήσας τοῖς αὐτόθι βαρβάροις μετέβαλε καὶ γλῶτταν καὶ δίαιταν.

P. 278 F (60). ἢ διὰ τὰ μυθολογούμενα περὶ τοῦ χιτῶνος καὶ τῆς Διανείρας. Si hanc sententiam voluit scriptor, miror eum non aptiore ordine dedisse περὶ τῆς Διανείρας καὶ τοῦ χιτῶνος. Hac igitur de causa suspectam habeo quam toties librarii temere addunt copulam.

P. 283 A. Suppleo: καὶ Φασὶ <τοῖς> τούτων ἀπογόνους ἀποθνεύουσι καὶ κομισθεῖσιν εἰς ἀγορὰν ὑφίσθαι δᾶδα κομμένην.

P. 292 D (8). πικρῆσομαι δὲ λέξιν μίαν ἐκ τοῦ θερμοφυλακίου νόμου, πλειόνων οὐσῶν. Post haec verba frustra desideramus eam λέξιν. Quidni igitur editores apposuerunt signum lacunae?

P. 297 A (25). Τίς ἀλάστωρ ἀλιτήριος παλαμναῖος; Deinde explicat scriptor duo priora vocabula, sed de tertio tacet. Quare hunc quoque locum lacunosum esse puto eiusque extremam partem sic legendam esse: ἀλιτήριος δ' ἐν ἀλεύσθαι καὶ φυλάξασθαι διὰ μοχθηρίαν κελῶς εἶχε <, παλαμναῖος δὲ ***> ταῦτα, Φησὶν ὁ Σωκράτης, ἐν διφθεραῖς χαλκκῆς γεγράφασι.

P. 301 B (41). ἢ δὲ Γλαυκία φοβουμένη κατάφωρος γενέσθαι τῷ Ἡρακλεῖ κατέφυγε. Annotat Bernardakis „scribendum videtur aut πρὸς τὸν Ἡρακλῆ cum Herwerdeno aut προσέφυγε cum Wyttenbachio. Hodie nescio fere an utroque, quia lenius, praestet τῷ Ἡρακλεῖ <προσ>κατέφυγε.

P. 303 E. τῶν δὲ φ** ἀποθνεῖν τινε; λέγονται περὶ τῆς Φαλακίας καὶ τὰ ὅσα δείκνυται αὐτῶν. Teste Bernardakis ἡ lacuna V litterarum. Praegressa lacuna... τῶν δὲ φ<υγούσων> ἀποθνεῖν κτῆ

P. 307 I ...
 videtur ...
 πρώτος ...
 Ἰσως ...
 τοῦ αὐτοῦ ...
 nisi scribendum ...
 δοῦμαι ...
 (sc. ὁ γὰρ ...)
 οἱ δὲ ...
 (pro ...)
 de ...
 σιος ...
 ab ...
 τριῶν ...
 κατέστρεψεν.

α.
 ον
 το
 ηο-
 λε-
 ρά-
 αν-
 λους
 λών.
 >
 ura

P. 308 C ...
 ficatur manifesta ...
 sime comitiae ἐς < > ...

σιν
 κί-
 α,

P. 380 A ...
 ἐγκλίους ἐν ...
 ἀνεκλή. Requiritur ...

δ-
 "

P. 311 A extr. ...
 τροφῆ ἀνεκλίωσεν ...
 αἰδεῖται κατ' ἕψον ...
 θίνον. Quid est verbi αἰδεῖται ...
 ut liquido constat e sequenti ...
 post αἰδεῖται supplendum γων ...
 αὐτῷ necessario addendum est.

P. 311 F (21). Γάιος Μάξιμος ἔχον υἱὸς Σοκράτην καὶ γέννη
 τοῦτον ἐγέννησεν ἐξ Ἀμερίας Κόραν ἢ ῥήσας οὕτως ἐν ...
 ἀπέκτεινε τὸν ἀδελφὸν κτί. Comitia Γάιος - ῥήσας τοῦτον ἐγέν-
 νησεν ἐξ Ἀμερίας νόθου. ὁ ῥήσας οὕτως ἐν ...

καὶ
 δὲ τὴν

P. 312 A (26). Graviter depravata sunt verba ἀπέκτεινε
 γουὸν Σοκράτη. Τροσύθη. Μάξιμος δὲ κτί. Locum intello
 goro mihi
 μίμη το
 ἀπέκτεινεν οὖν Σοκράτη
 ἀπέκτεινεν οὖν Σοκράτη
 ἀπέκτεινεν οὖν Σοκράτη

-δοῦσης.
 ῥρ.

P. 318 F. *Suppleverim ὁ δὲ <Πέλοψ αὐτὸν> θάψας τὴν Ἴπποδάμειαν ἐξώρισεν*, iusto enim obscurius utrumque vocabulum abest.

P. 315 C (38). *Φαυνῶ βασιλεῖ, ὃς ἦν Ἑρμοῦ παῖς καὶ τοὺς ΓΕ ξένους τῷ Γέννησαντι ἔθυον*. Obtemperatum esse oportebat Duebnero delenti voculam ΓΕ, quae omni vi caret. Nempe librarius scribere coeperat iusto citius participium *γενήσαντι* et animadverso errore duas litteras quas exaraverat delere neglexit.

P. 315 D. *Ἐν Λιγέστη — ἐγένετό τις — τύραννος Λιμίλιος — οὗτος τοὺς καινότερα βασανιστήρια κατασκευάσαντας ἐδαροδόκει. εἰς δὲ τις — δημιουργήσας ἵππον χαλκοῦν τῷ προειρημένῳ ἔδωκεν ἵνα βάλλῃ αὐτοῦς. ὁ δὲ τότε πρῶτον νομίμως ἀναστραφεὶς τὸν χαρισάμενον πρότερον ἔβαλεν ὡς ἄν, ἣν ἐπενόησεν ἄλλοις, αὐτὸς πάθῃ πρῶτος· τοῦτον συλλαβὴν ἀπὸ τοῦ Ταρπηίου ἔρουσ ἔρριψε*. Procul dubio verum est ἴν' ἐμβάλλῃ et πρῶτον ἐνέβαλε, ut recte est in praegressis sub litt. C extr. ὁ δὲ — αὐτὸν ἐνέβαλεν. Sed praeterea depravatam est αὐτοῦς, quod non habet quo referatur. Cogitavi de corrigendo *ἀστούς* vel *αἰτίους*. Deinde excidit subiectum verbi *ἔρριψεν*, nomen Romani cuiusdam imperatoris in Sicilia, velut Marcelli. Liqueat quidem e pessima Graecitate et hiatibus hunc parallelorum scriptorem non esse Plutarchum, sed nulla tamen causa est cur haec scriptiuncula adeo negligenter edatur, velut infra p. 316 A, ubi absurde editur *γενόμενος δὲ κατὰ τὸν (pro τινι) τόπον τῆς Ἀσίας*, licet paullo post emendate scriptum sit *γενόμενος δὲ κατὰ τινι τόπον τῆς Ἰταλίας*.

P. 322 F. *ὥστε καὶ συνεῖναι δοκεῖν αὐτῷ (Servio Tullio) τὴν Τύχην διὰ τινος θυρήδος καταβαίνουσαν εἰς τὸ δωματίον, ὃ νῦν Φενέστελλαν πύλην καλοῦσιν*. Legendum videtur ἦν νῦν Φενέστελλαν delete πύλην.

P. 323 B. *Ὁκρησία* (et mox *Ὁκρησίαν*) non sanior forma pro *Ὁκρησία* quam quod saepissime in libris legitur *Σκηπίων* pro *Σκιπίων* et similia.

P. 327 D. *ἐν τοιαύτῃ πενίᾳ καὶ πράγμασιν — μεῖράκιον — ἐθάρρησεν ἐλπίσαι — τὴν πάντων ἀνθρώπων ἀρχὴν εἰς νοῦν ἐμβαλέσθαι τοῖς τρισυρτοῖς, οἷεσθαι, πεζοῖς καὶ τετρακιςχιλοῖς ἵππεῦσι πιστεύσας*. Quod Reiske coniecit *<πῶς> οἷεσθε*; vix est huius loqui, nec tamen importunum *οἷεσθε*, quod nemo facile

de suo adiecisset, cum Bernardaki delere ausim. Aptum foret τοῖς τρισμυρίοις οἰκοθεν πεζοῖς κτέ.

P. 328 D. καὶ Σωκράτης μὲν ξένα παρεισάγων δαιμόνια δίκην τοῖς Ἀθήνησιν ὠφλίσκανε συκοφάνταις. Qui ita scribit concedit Socratis culpam, quod non cadit in Plutarchum, quem dedisse suspicor: καὶ Σωκράτης μὲν (ὡς) ξένα κτέ.

P. 328 E. Ἀλέξανδρος δ' ὑπὲρ ἑβδομήκοντα πόλεις βαρβάροις ἔθενσιν ἐγκτίσαι καὶ κατασπείρας τὴν Ἀσίαν Ἑλληνικοῖς τέλεσι, τῆς ἀνημέρου καὶ θηριώδους ἐκράτησε διαίτης. καὶ τοὺς μὲν Πλάτωνος ὀλίγοι νόμους ἀναγιγνώσκωμεν, τοῖς δ' Ἀλεξάνδρου μυριάδες ἀνθρώπων ἐχρήσαντο καὶ χρωῶνται. Parum probabilliter Bernardakis mihi corrigere videtur Ἑλληνικαῖς πόλεσι, quia et praegresso modo πόλεις non admodum verisimile est πόλεσι depravatam esse et de condendis urbibus in Asia iam egit scriptor. Ita certe malim Ἑλληνικοῖς γένεσι, sed ob sequentia praefero ἔθεσι. Cf. etiam p. 329 A.

P. 332 E. Ῥωξάνης ἐρπσθεὶς τὴν Ὁξοάθρου θυγατρὸς ἐν ταῖς αἰχμαλωτίσι χορευούσης κτέ. Nusquam alibi verbum χορεύειν sic usurpatum vidi, ut sit in coetu esse, sic enim h. l. explicant et revera de proprio sensu h. l. vix cogitari potest; sed cum substantivum χορός haud raro translato sensu usurpetur, fortasse acquiescendum nec coniciendum, quod mihi in mentem venit, ἐν ταῖς αἰχμαλωτίσι κέραις οὔσης.

P. 334 D. τῷ τέρπειν δ' οὐκ ἦν εὐάλωτος εἰς τὸ μιμεῖσθαι. Verba vix sana. Bernardakis coniciebat κατὰ τὸ τερπνὸν δ', sed in editione nihil annotat. An τῷ τερπνῷ δ'?

P. 335 C. τῶν δὲ χειρῶν τῇ μὲν ἐναγκαλιζομένῳ (agitur de Alexandri imagine, quam Stasicrates ex Atho monte conficere volebat) καὶ Φέροντος πόλιν ἐνοικουμένην μυριάδρον, τῇ δὲ δεξιᾷ ποταμὸν ἀέναον ἐκ Φιάλης σπένδοντος εἰς τὴν θάλασσαν ἐκχεόμενον. Ultimum participium addidisse videtur sciolus, qui loci compositionem non intellegebat.

P. 337 D. καὶ κε γυνὴ Φέροι ἄχθος, ἐπεὶ κεν ἀνὴρ ἀναθείη. Requiro coniunctivum ἀναθείη.

P. 345 D. Ξενοφῶν μὲν γὰρ αὐτὸς ἑαυτοῦ γέγονεν ἱστορία, γράψας ἃ ἑστρατήγησε καὶ κατῴρωσε καὶ Θεμιστογένει περὶ τούτων συντετάχθαι τῷ Συρακοσίῳ, ἵνα πιστότερος ἢ δηγούμενος ἑαυτὸν ὡς ἄλλον, ἐτέρῳ τὴν τῶν λόγων δόξαν χαριζόμενος. Mani-

festae copula ante Θεμιστογένει delenda est. In sequentibus prava est nominis forma Δίυλοι pro Δίυλλοι, quod est deminutivum formatum a Διοκλήs, ut Ἡρυλλος et Ἡρυλλα fiunt ab Ἡρακλήs, Θράσυλλος (quod bene distinguendum a Θράσυλος) a Θρασυκλήs, alia multa.

P. 349 F. ἀλλ' ἔκτη μὲν Ἰσταμένου Βοηδρομίωνος ἐσέτι νῦν τὴν ἐν Μαραθῶνι νίκην ἢ πόλιν ἑορτάζει· ἔκτη δ' <ἐπὶ δέκα> μηνός οἰνοχοεῖται τῆς Χαβρίου περὶ Νάξον ἐπινίκια ναυμαχίας. Locum ex vita Phocionis cap. 16 supplevit Bernardakis, sed subit mirari Plutarchum addidisse vocabulum otiosum μηνός, nisi simul scripserit ἔκτη δ' <ἐπὶ δέκα τοῦ αὐτοῦ> μηνός. An forte Plutarchum est μηνός pro τοῦ αὐτοῦ μηνός aut certe τοῦ μηνός? Equidem hunc usum fortasse culpa mea ignoro.

P. 350 A. ἐπὶ τούτοις Πίνδαρος „ἔρεισμα τῆς Ἑλλάδος“ προσεῖπε καὶ Ἀθήνας. Quia pronomen τούτοις refertur non tantum ad ea quae vivo Pindaro acciderunt: pugnam Marathoniam, Plataeensem, Salaminiam, sed etiam ad facta Pindaro posteriora, Chabriae victoriam ad Naxum, reditum exulum a Phyla, proelium apud Mantineam, nescio an Plutarchus dederit ἐπὶ τοιοῦτοις.

P. 350 B. ἐπὶ τε Σαλαμῖνι καὶ Μυκάλῃ καὶ Πλαταιαῖς ὥσπερ ἀδαμαντῖνοι στηρίξαντες τὴν ἐλευθερίαν τῆς Ἑλλάδος παρέδωσαν τοῖς ἄλλοις ἀνθρώποις. Procul dubio recte Bernardakis ἀδαμαντῖνοις requirit, sed praeterea malim ὥσπερ ἀδαμαντῖνοις <στήλαις> στηρίξαντες.

P. 355 A extr. τίκτουσι δὲ (sc. οἱ κύνθαροι) τὸν γόνον ὡς σφαιροποιούσιν, οὐ τροφῆς μᾶλλον ἢ γενέσεως χώραν παρασκευάζοντες. Recepit Bernardakis Wyttenbachii coniecturam τίκτουσι δὲ τὸν γόνον εἰς <ὔλην, ἣν> σφαιροποιούσιν, sed nescio an etiam praestet τίκτουσι δὲ, τὸν γόνον εἰς <ὔλην ἀφιέντες, ἣν> σφαιροποιούσιν, coll. p. 381 A, qui locus est illius coniecturae fundus, ἄρρενας δὲ πάντας ἀφιέναι τὸν γόνον εἰς τὴν σφαιροποιουμένην ὔλην κτέ. Cf. *Plutarchea*, p. 13. — Ingeniosa est in praegressis editoris coniectura τὴν δ' οὐρανὸν ὡς ἀγήρων δι' αἰδιότητα καρδίᾳ βωμίου (pro θυμῶν) ἐσχάρας ὑποκειμένης, sed scrupulum inicit hiatus.

P. 357 C. τὴν δὲ θεὰν Φανεράν γενομένην κτέ. Solet Plutarchus Attico more scribere τὴν — θεὸν, ut recte infra editur sub litt. E.

P. 357 E. τὸ δὲ παιδίον οὐκ ἀνασχέσθαι τὸ τάρβος, ἀλλ' ἀποθανεῖν, οἱ δὲ Φασιν οὐχ οὕτως, ἀλλ' ὡς εἴρηται πρότερον ἐκπεσεῖν εἰς τὴν θάλασσαν. ἔχει δὲ τιμὰς διὰ τὴν θεόν. Pro ἔχει malim ἔχειν, sed ubi tandem in praegressis dictus est puerulus in mare incidisse?

P. 358 E. Τὸν δὲ Τυφῶνα δυσὶν ἄλλαις μάχαις καταπολεμηθῆναι. Restituatur forma vere Plutarchea δυεῖν pro δυCίν.

P. 360 A. τοὺς νομιζομένους θεοὺς πάντας ὁμαλῶς διαγράφων εἰς ὀνόματα στρατηγῶν. Si sanum est διαγράφων, praegnanter dictum est pro διαγράφων καὶ μεταγράφων.

P. 362 B (29). ἐν οἷς λέγεται Χάροπος μὲν τοῦ Ἡρακλέους γενέσθαι θυγατὴρ Ἴσις, Λιακοῦ δὲ τοῦ Ἡρακλέους ὁ Τυφῶν. Duabus litteris repetitis rescripserim τοῦ ἩρακλέουC <ΤC>, i. e. υἱός, cuius vocabuli omissio, praegresso θυγατὴρ, perdura videtur.

P. 362 E F. ἔστι δ' ὅτε πάλιν ἐκταπεινοῦσι καὶ καθυβρίζουσιν ἐν τισιν ἑορταῖς, τῶν μὲν ἀνθρώπων τοὺς πυρροῦς [καὶ] προφηλακίζοντες, ὄνον δὲ καὶ κατακρημνίζοντες. Deletur prior copula, insane addita a librariis.

P. 364 A (32). δόξει δὲ καὶ τὸ ὑπὸ τῶν Πυθαγορικῶν λεγόμενον — αἰνίττεσθαι κτέ. Nescio an praestet δόξειε δὲ καὶ κτέ., ut est p. 380 C (73 init.) δόξειεν ἂν ὁ μῦθος κτέ.

P. 364 D. καὶ γὰρ τὸν Ὅσιριν Ἑλλάνικος Ὅσιριν ἴσικεν ἀκηκοῖναι ὑπὸ τῶν ἑτέρων λεγόμενον· οὕτω γὰρ ὀνομάζων διατελεῖ τὸν θεόν, εἰκότως ἀπὸ τῆς φύσεως καὶ τῆς εὐρέσεως. Coniecturis, quas affert Bernardakis, accedat mea ἀπὸ τῆς ὕσεως (cum Salmasio) καὶ τῆς βύσεως. Nempe e tribus primis litteris ὕσις, ex ultimis βεῖν, itaque βύσις Plutarchus fecisse videtur.

P. 366 A extr. ἔστι δ' ὄρος ἢ πάντα σφύζουσα καὶ τρέφουσα τοῦ περιέχοντος ὄρα καὶ κρᾶσις ἀέρος, ὃν ἐν τοῖς ἔλεσι — τραφῆναι λέγουσιν. Nota ellipsi Graecis ὁ περιέχων est ἀήρ, quod substantivum interdum male suppleverunt librarii.

P. 371 E (51 init.). τὸν δ' Ὅσιριν αὖ πάλιν ὀφθαλμῶ καὶ σκήπτρῳ γράφουσι, ὧν τὸ μὲν τὴν πρόνοιαν ἐμφαίνειν, τὸ δὲ τὴν δύναμιν. Malim ΤΟ, i. e. τόν, pro ΤΟ.

P. 372 C. τοῦ ἡλίου τὸ ὕδωρ χειμῶνος τῆς θεοῦ ποπούσης. Madvig requirebat τὸ Φῶς, ego (Plutarch. p. 14) τὸ πῦρ. Quomodo Bernardakis vulgatum lectionem tueatur me latet.

P. 384 B. τῷ δὲ κῦφι χρωῶνται καὶ πώματι καὶ κράματι·
 πινόμενον γὰρ δοκεῖ τὰ ἐντὸς καθαίρειν * * * χρῆ μαλακτικόν.
 Pro κράματι expectabam ἀρώματι (vide praegressa). Lacuna
 vix tam exigua fuit, quam significatur in cod. E, ubi teste
 Bernardaki est 8 vel 9 litterarum. Ariolatus sum πινόμενον γὰρ
 δοκεῖ τὰ ἐντὸς καθαίρειν, <ἀναπνεόμενον δὲ —> χρῆ (Reiske
 χρῆμα) μαλακτικόν, reliqua felicioribus commendans.

Simulatque egregius *Moralium* editor tertium volumen edi-
 derit, in hoc opere pergam¹).

Scribentem Trai. ad Rh. m. Februario a. 1890.

1) Sero ad me pervenerunt STEGMANNI in *Moralia* coniecturae, quas superrime
 proposuit in *Novis annotationibus* Pag. 284 B is mecum delet verba καὶ συνέπλευσεν.

EMENDATUR AMIPSIAB LOCUS APUD ATH. XI 783 E.

VS. 4 οὐ χρῆ πόλλ' ἔχειν θνητὸν ἄνθρωπον,
 ἀλλ' ἔρᾶν καὶ κατεσθίειν· σὺ δὲ κάρτα Φεῖδῳ.

Annotavit Kaibel in eximia sua Athenaei editione ad h. l. haec:
 „Scolii verba corrupta inepte defenduntur; numeri aeolici, sen-
 tentia haec: *quae nulla habes noli his parcere*. Vs. 5 κάσθειν vix
 recte Dindorf; edendi verbum alienum.”

Alteri versui, si quid video, certa emendatio parata est.
 Legendum:

ἀλλ' ἔρᾶν καὶ σπαθᾶν· σὺ δὲ κάρτα Φεῖδῳ.

Verbum σπαθᾶν, quod recte Hesychius interpretatur ἀνκλίσκειν
 ἀσώτως καὶ ἀφειδῶς, unice huic loco convenit. Exempla collecta
 videbis in Thesaurο, e quibus satis est afferre Diphili verba
 ap. Ath. VII p. 292 C μειράκιον ἔρῶν τὰ πατρῶα βρύκει καὶ
 σπαθᾶ.

Non tamen litterarum, etsi non valde dissimilium, confusione
 ex σπαθᾶν natum esse κατεσθίειν crediderim, sed novum hic
 habemus exemplum interpretamenti substituti a librariis pro
 genuino vocabulo. Fidem faciet scholium ad Arist. Nub. 53,
 ubi ad poetae verba ἀλλ' ἔσπαθᾶν annotatum reperies: ἀντὶ τοῦ
 κατανήλισκε καὶ κατήσθειε.

H. v. H.

OBSERVATIUNCULAE DE IURE ROMANO.

SCRIPSIT

J. C. NABER S. A. PFL.

(Continuantur ex huius vol. pag. 163.)



VII.

AN PIGNUS VALBAT SINE CREDITO.

Communem opinionem, pignus nullum dari, quod non accedat ad obligationem quandam personalem, neque sua vi ac potestate pignus umquam consistere, firmare posse Windscheid sibi visus est, uno hoc argumento usus, ipsa pignoris natura ac definitione flagitari personalem obligationem, cuius gratia pignus intercedat (*Lehrbuch des Pandektenrechts* § 225¹⁾). Quod quam audacter pronuntiet, nemo non videbit, secum qui reputaverit, pignoris apud veteres nullam definitionem exstare; id enim aequae definiendum crediderunt atque ius domini sive possessionis. Neque ad rem facit, quod disertis verbis apud Ulpianum legitur (l. 43 D. 46. 3) personalis obligationis rei obligationem *accessione(m)* esse, ideoque hanc perire, quum illa sit finita. Nam quum rota vehiculo aptata vehiculi, aut gemma anulo inclusa huius sit accessio, num inde sequitur rotam nullam esse quae vehiculo aptata non sit, neque gemmam dari sine anulo? Pignus per se quoque datur neque illis tantum legibus¹⁾, quibus hodie Borussia utitur (*Gesetz über den Eigen-*

1) His legibus distinguitur inter id quod vocant *ius hypothecae* et *praedii obligationem*. Lator in ea opinione erat, quasi pignori Romanorum responderet novum *ius hypothecae*; isque error generalis est. *Praedii obligationem* cum Romanorum pignore convenire, in textu deinceps apparebit.

tumserverb etc. vom 5 Mai 1872 § 19, § 52), sed illo quoque iure, quod Edicto Perpetuo continebatur. Cuius rei, si opus esset, ipsi Windscheid testimonium denuntiarem. Nam quum scribat nonnumquam pignus et praecedere posse personalem obligationem (*Lehrbuch § 242^s*) et credito soluto posse durare (*ibid. § 249^s*), nonne concedit natura sua pignus non semper accessionis vice fungi? Id enim quod pignoris aliusve iuris natura ac definitione postulatur, adeo necessarium est, ut remitti non possit. Haeresis igitur si latere videatur sub sententia, quam defendere mihi proposui, nempe pignus aequae consistere, sive ad personalem obligationem accedat, sive stet per se; haereseos ipse Windscheid fautor habendus est, pro magna auctoritate qua merito gaudet, prae omnibus notandus. Neque censor deficit: notavit eum Dernburg (*Pandekten I. 2^{te} auf. § 261^s*).

Argumentis ab ipso Bernhardo Windscheid petitis uti si vellem, id primo loco ponerem, quod Paulus habet (l. 59 pr. D. 36. 1) obligatione personali extincta, pignus non semper finiri, si creditoris etiam nunc intersit pignus habere, *remanere* enim *propter pignus natural(em) obligatio(nem)*, quod eo redit, ac si dixisset, pignus per se quoque dari, at si quis malit obligationem fingere, quae non sit in rerum natura, quominus tali fictione utatur, se non intercedere (cf. Windsch. § 289¹). Quod alio me vertam, ob duplicem causam fit, primum ne res omnibus notissimas recoquere videar; deinde quod validiora huius sententiae firmamenta ex ipsis veterum voluminibus afferri posse crediderim. Concedit ille et praecedere posse pignus personalem obligationem et obligatione perempta durare posse, at ego contendo, et a Praetore et a privato pignus dari posse, etiamsi neque exstet personalis obligatio neque umquam exstatura sit. Utriusque rei hucusque praetermissum exemplum adducam. Pignus tunc quoque dat Praetor, quum in possessionem mittit damni infecti gratia, quamquam aedium nomine personali obligatione obstructus non sit, nisi caverit, dominus (l. 6 D. 39. 2). Nihilominus enim *ius pignoris contrahi* Ulpianus diserte docet (l. 3 § 1 D. 27. 9). Privatum quoque sine ulla obligatione personali rem suam pignori dare posse, Papiniano non displicuit, quod apparet ex l. 3 § 2 D. 20. 4, quam eatenus exscribam quatenus ad nostram quaestionem pertinet:

post divisionem regionibus factam inter fratres convenit, ut, si frater agri portionem pro indiviso pignori datam a creditore suo non liberasset, ex divisione quaeritae partis partem dimidiam alter distraheret. Pignus intelligi contractum existimavi.

Is igitur pignus contraxisse videbitur, qui suam rem ita obligaverit, nisi alterius luerit, id est, alteri qui permiserit, huius nisi rem pignori nexam eo vinculo liberaverit ipse, suam aliquam vendere, pecuniaque eo modo parta obligatam luere. Nullam tamen personalem obligationem, qui tali conditione pignus dederit, contraxisse existimandus est, ideo quia non legimus promisisse eum, se alterius rem pignoris vinculo liberaturum; quod si promisset, personalis obligatio non deesset. Quum desit, tamen contractum esse pignus, Papiniano, quamquam dubitaverit, rectius et aequius visum est. At ne id quidem iurisconsultum movit, quod in proposito non modo stipulatio, sed ne conventio quidem de piguore priore luendo subsequuta dicatur, ut ad naturalem saltem obligationem posterius pignus accessisse videri posset. Quod in re simillima causatur Savigny (*Obligationenrecht* I § 8^o, § 9^b), ne pignus per se dari concedere sibi necesse sit. — Vides igitur apud Romanos pignus non semper dandum fuisse creditori personali ut pro debito cautum esset; ceteris quoque omnibus dari potuisse, quorum pignus habere interesse posset.

VIII.

DE IURE EIUS QUI IN REM IMPENDERIT ¹).

Possessori sumptuum nomine, quos in rem impenderit, retentionem plerumque concedi, nemo nescit. Doli enim exceptione opposita vindicantem summovebit, nisi refundere sit paratus, dummodo in ipsam rem impensum fuerit, nam quod in fructus impenditur fructus minuit (c. 1 C. 7. 51). Praeter impensas in fructus factas, ceteras quomodo servet hoc capite quaerere institui, quae materia triplex videtur esse. Nam postquam vide-

1) Utiliter conferes Adolphum Langfeld, *Die Lehre vom Retentionsrecht*, 1886 § 6 (p. 32—44) et § 7 (p. 44—47).

rimus, quorum sumptuum ratio habeatur, secundo quaeram quantum debeat refundi, tertio an haec retentio pignoris species sit. Possessor autem non hereditatis, sed singularum rerum nobis intelligetur.

I. Retentio conceditur ob varias causas. Quod corporaliter quaedam adhaeserint rei et accesserint, veluti aedificia et consita. Quod accessiones eas, commode si possint separari (cf. l. 53 D. 6. 1), dominus tollere non sinat. Quod servus artificium didicerit. Quod noxali iudicio possessor servum defenderit, et damnatus pecuniam praestiterit. Quod necessario erogatum fuerit. Quod utiliter tantum. De singulis igitur videamus. Et si quidem corpus aliquod accessit, si Paulo fidei (l. 23 § 4 D. 6. 1), omnes, si ceteris, bona fide possidentes soli retinent (l. 7 § 12, l. 9 pr.—§ 2 D. 41. 1; l. 29 § 2 D. 20. 1; l. 37 D. 6. 1; c. 11 § 1, c. 16 C. 3. 32; § 30, § 32—34 Inst. II. 1). Sin tolli non sinat dominus, omnes retinent (l. 27 § 5, l. 37 D. 6. 1; c. 5 § 1 C. 3. 32). Si artificium servus didicerit, sententiae discrepant. Paulo videtur non idem esse, atque si corpori corpus accesserit. Gaius ita statutum refert, ut retentio detur, si ante iudicium domino denuntiatum fuerit. Pomponius retentionem concedit, si venditurus eum sit dominus. Modestinus, has impensas in fructus factas videri atque ideo operas minuere ex quo tempore operae restituendae sunt, id est post vicesimum quintum annum servi. Paulus, omnes operas in restitutionem venire, etsi ab impubere profectae sint, sed eas non restituendas, quas ex hoc artificio, quod sumptibus possessoris didicit, praestare potuerit (l. 27 § 5—l. 32 D. 6. 1). At bonae fidei possessori omnimodo ob artificium retentionem tribui rescripsit Imperator Alexander (c. 1 C. 8. 51 s. 52). Qui noxali iudicio servum defenderit omnimodo retinebit possessionem (l. 27 § 5 D. 6. 1; l. 54 (53) § 2 D. 47. 2). Item qui suo sumptu rem salvam fecerit, veluti aegrum curaverit, alimenta praestiterit, omnimodo retinet, etsi mala fide possederit (c. 5 § 1 C. 3. 32 cf. l. 54 (53) § 4 D. 47. 2; l. 4 § 9 D. 44. 4), quod displicuit Imperatori Alexandro (c. 1 cit.). Utiliter tantum erogati nomine mala fide possessor retentionem nullam habet (c. 5 § 1 C. 3. 32). Vides quam varie haec omnia constituta sint, postquam in hac parte, quod numquam desiderandum fuisset, arbitrium iudicis desertum fuerit. Nam olim

arbitrio iudicis impensarum rationem habitam fuisse Celsus docet (l. 38 D. 6. 1) his verbis: *bonu(m) indi(cem) varie ex personis causisque constit(uturum)*.

II. Magis etiam sententiae discurrunt, sicubi quaeritur quantum retinendo possessor consequi debeat. Siquidem retineatur ob id quod corpori corpus accesserit totum sumptum consequitur possessor secundum id quod plerisque placeat (§ 30, 33, 34 Inst. II. 1; l. 7 § 12, l. 9 § 1, 2 D. 41. 1; l. 23 § 4 D. 6. 1; c. 11 § 1, c. 16 C. 3. 32), aliis id tantum restituendum videtur, quod ad rei principalis pretium accesserit (l. 38 D. 6. 1; l. 29 § 2 D. 20. 1). Sin ideo retineatur, quod tollendi copia non fiat, Celsus possessorem ita decedere iubet, *si paratus est dominus tantum dare, quantum habiturus (esset) possessor his rebus ablatis* (l. 38 D. 6. 1), Paulus, si totum sumptum dominus reddiderit (l. 27 § 5 D. 6. 1). Qualemcumque sumptum totum restitui Imperator Alexander iubet (c. 1 C. 8. 51 s. 52); at, quatenus praedium melius factum sit, Papinianus (l. 48 D. 6. 1). Vides, haec omnimodo interse conciliari non posse. Id notandum, quod non prius ex re sumptus, quam ex sumptu fructus deducendus sit (l. 48 D. 6. 1 cf. l. 65 pr. eod.), fructu igitur deducto, superfluus sumptus possessori offerri debet. Quod quare fiat, infra apparebit.

III. Hanc retentionem pignoris speciem esse, ideo contendo quod ius in re sit, omnem autem retentionem, quae ius in re sit, pignus esse, facile demonstrari potest. Quid enim est, quod a pignore ceteras retentiones distinguat? Id est, quod retentio personam spectat, pignus rem. Cui pignori res data sit, is omnes vincet, his exceptis quos aut tempore aut iure potiores esse paret; qui simplex retinendi ius habet, eum solum superabit, adversus quem ius retinendi ei competit. Ut exemplo rem demonstrarem, notum est, *venditor(em) quasi pignus retinere po(ss)e rem quam vendidit*, donec emptor pretium solvat; hic igitur ex empto agendo, antequam solverit, nihil consequitur (l. 13 § 8 D. 19. 1); ceterae vero personae, si quid iuris antea in re vendita habuerint, etiamnunc habent. Secus est in possessore qui in rem impenderit; omnes enim summovet, quibus in ea re, quam possidet, ius aliquod competit, id est èt dominum èt eum cui pignoris iure res tenetur (l. 29 § 2 D. 20. 1), quo fit *ut adversus (omnem) vindicantem iustam retentionem ha-*

biturus si(t) (l. 54 (53) § 4 D. 47. 2). Idque vel maxime argumento est possessori, qui in rem impenderit, ius in re tribui quia pignoris causa praecipua semper est, nisi concurrat cum alio iure in re (c. 9 C. 8. 17 s. 18).

Hinc fit quod possessor qui in rem impenderit, non eo iure quo ceteri possessores, sed eo quo creditor fructus suos faciat ¹⁾. Possessoris enim fructus fiunt, quos bona fide consumpserit; creditoris omnes, quos perceperit, dummodo in debitum, id est in usuras primum, mox in sortem imputet (l. 23 pr. D. 20. 1; l. 5 § 21 D. 36. 4; c. 1, c. 2, c. 3, c. 12 C. 4. 24; c. 2 C. 8. 24 (25); c. 1. C. 8. 27 (28); cf. c. 12 (11) C. 4. 32; l. 8 D. 20. 2; l. 59 § 1 D. 17. 1; l. 59 D. 46. 1; c. 1 C. 2. 20 s. 21). Itaque possessorem, qui in rem impenderit, creditoris exemplo id, quod fructuum nomine perceperit, imputare debere in sumptum aut restituere vidimus.

Nec me movet quod possessori qui in rem impenderit actio hypothecaria non tribuitur, quandoquidem nec illis competit, quibus a Paetore pignus datur (scilicet ante c. 2 § 1 C. 8. 21 s. 22); neque id quod iure distrahendi caret, nam id quoque non sine exemplo est (l. 3 D. 20. 3); neque id quod ius suum non per exceptionem pignoratitiam defendit, sed per exceptionem doli mali (§ 30 Inst. II. 1 etc.), id enim non ideo fit, quod ius pignoris non habeat, sed eadem fit ratione, qua arcetur ab actione hypothecaria. Exceptio enim pignoratitia ita fere concipitur: *si non convenerit, ut res pignori sit* (l. 11 § 2 D. 20. 1; l. 21 pr. D. 20. 4), itaque, conventio ubi nulla intercesserit, necessario doli mali exceptio succedere debet.

Impensarum nomine illud non continetur quod creditori solvitur cui praedium pignori datum fuit; neque id odio possessorum, sed ut melius iis consulatur. Possessor enim, qui creditorem dimittit, in huius locum succedit, ideoque non tantum id consequitur, quod ipse impenderit, sed *usuras* quoque *medii temporis*, id est usuras, quae creditori, si pignus ab eo liberatum non fuisset, adhuc dependendae fuissent ²⁾. Fructus autem

1) Magis etiam ex aequitate caset, si utroque iure uti posset, ut et bona fide consumpti et in sumptum imputati fructus restituti viderentur.

2) Idem Cuiacius sensit, habet enim: „Sic vero L. Titius (id est possessor) successit in locum creditoris mei, et ideo L. Titio ab eo tempore, quo creditorem meum absolvit, debeatur usurae, quae creditori debitae fuissent, si non fuisset absolutus”.

quos ipse percepit aut restituendi, aut deducendi sunt; nam is quoque in cuius locum successit fructus aut restitueret aut imputaret; itaque Papinianus (l. 65 pr. D. 6. 1), possessori haud multum tribuere videtur, quum scribat fructus *novis* (id est medii temporis) *dumtaxat usuris* compensari, nam quod non venit in compensationem, id in restitutionem venire necesse est. Ecce verba:

emptor praedium quod a non domino emit, exceptione doli posita non aliter restituere domino cogetur, quam si pecuniam creditori eius solutam, qui pignori datum praedium habuit, usurarumque medii temporis superfluum recuperaverit, scilicet si minus in fructibus ante litem perceptis fuit: nam eos usuris dumtaxat novis compensari, sumptuum in praedium factorum exemplo, aequum est.

Possessor igitur a ceteris distat, qui in pignoris ius succedunt; fructus enim omnes imputabit, nempe èt eos quos antequam succederet percepit, èt quos postea coëgit, quod in ceteros non cadit qui neque possederunt neque fructus percipere potuerunt, antequam pignus suscepissent. Quod in possessore secus est; qui inde a possessionis initio usque ad solutionem creditori factam fructus perceperit aut percipere debuerit. Omnes igitur restituet aut imputabit, sicuti faceret, ubi in rem impendisset (l. 48 D. 6. 1).

Dico in pignoris ius succedere possessorem, qui creditorem dimiserit, idque probatur l. 12 § 1 D. 20. 4:

si quoniam non restituere rem pignoratam possessor, condemnatus ex praefatis modis (cf. l. 16 § 3 D. 20. 1) litis aestimationem exsolverit, an perinde secundo creditori teneatur, ac si soluta sit pecunia priori creditori quaeritur? Et recte puto hoc admittendum esse.

Possessor igitur qui hypothecaria conventus litis aestimationem solverit, *perinde* tenetur ac si sine iudicio aut certe ante sententiam creditorem dimiserat. Is igitur, qui creditori solvit, ne possessio sibi auferatur, non omnimodo posteriori tenetur creditori; nam hoc si verum esset, Marcianus non scripsisset, alterum, id est qui litis aestimationem praestiterit, *perinde* teneri. Sed ita re carere debet, si secundus creditor id offerat, quod priori creditori offerendum fuisset. Quod si verum est, apparet, possessorem priori solvendo in ius eius succedere; nam

pignoris ius nullo alio iure vincitur; possessor igitur, si secundo creditori praefertur, in ius primi successisse necessario existimandus est. Itaque in l. 7 § 12 D. 10. 3 vere dicitur, *si possessor pignoris litis aestimationem pignoralitiam in rem agenti offerat . . . licentia tamen non denega(r)i debitori, debitum offerre et pignus suum luere*, pignus enim, quia durat, lui potest. Minus diligenter scripta est l. 12 § 1 D. 20. 6:

qui pignoris iure rem persequuntur, a vindicatione rei eos removeri solere, si qualiscumque possessor offerre vellet; neque enim debet quaeri de iure possessoris cum ius petitoris removeatur, soluto pignore.

Pignus enim isto modo non tam solvitur, quam transfertur. Quam sententiam Roberto quoque Pothier placuisse video (*éd. Bugnet* I p. 663 = *Introduct. au titre XX de la Cont. d'Orl.* n^o. 73), quamvis erraverit, Gallorum moribus et consuetudini novae id tribuendo, quod ex Marciano sumere potuisset, si intellexisset, quod non intellexit (*Pandectae Iustinianae in nov. ord. dig.* XX. 4. 9. n. 4), vox, *perinde*, quid valeret. Melius hanc vocem Windscheid interpretatus est (*Lehrbuch* § 233 b¹²).

Redeo ad pignus illud, quod possessori tribuitur, sumptuum nomine. Pignus enim esse vidimus, quamvis apud Romanos pignus non audiat. Quod tamen non impedit, quominus nobis novum exemplum allatum existimemus eius pignoris, quod sine credito valeat; impensarum enim nomine neque actio datur, neque naturalis obligatio nasci dicitur (cf. Windsch. § 289¹).

Competit autem pignus illud non tantum civili possessori sed et naturali¹⁾, utputa commodatario (cf. l. 15 § 2, l. 60 (59) D. 47. 2) aut magistro navis (cf. l. 2 pr. D. 14. 2). Is enim, qui merces vehendas conduxit, *pignus tenet* (l. 5 pr. D. 10. 4); ideoque ipsis hypothecis *navium potentius est. Tantundem dicitur, et si merces horreorum, vel areae, vel vectura* (ita Krüger, libri: *vecturae*) *iumentorum debetur; nam et hic potentior erit* (l. 6 § 1, § 2 D. 20. 4). Itaque *si laborante nave iactus factus est*, pignoris iure merces magister retinet, donec omnium contributione pro

1) De quo Derenburg dubitat (*Pfandrecht* II § 139¹). — Id quoque pignus, quod creditore dimisso, possidenti datur, naturalis possessor adquirit, veluti negotiorum gestor (l. 1 pr. D. 20. 6; l. 31 (32) pr. D. 3. 5).

portione damnum communicetur. Is enim in ceteras merces impendit, qui quasdam navis levandae gratia eiicit. Sin quis dicat eos, quorum merces eiectae fuerint, magis impendisse videri, quam magistrum qui iactum fecit, neque tamen iis pignus competere, responsio in promptu est. Pignus enim ob impensas possessori tantum competit; nisi aliter aut lege aut Senatus Consulto cautum sit (l. 1 D. 20. 2 cf. l. 35 D. 20. 1; item c. 6 C. 7. 8; l. 3 pr. D. 27. 9; l. 7 pr. D. 20. 4); hi autem quorum merces amissae fuerint, ceteras neque civiliter neque naturaliter possident. Pignus igitur magistro conceditur, quia naturaliter dumtaxat possidet; parvi enim refert, utrum de suo an de alieno impenderit possessor, dummodo possederit et impenderit. Nam qui de alieno impenderit, quum ob hoc ipsum obligetur, tanto pauperior factus videbitur (cf. Langfeld p. 34^{6, 7}).

Competit autem hoc pignus aequae si in personam agatur, quia actionis electio pignus non potest perimere; itaque obstat communi dividendo agenti, cui obstaret partem vindicanti (l. 14 § 1 D. 10. 3), aut pignoratitia in personam agenti, cui obstaret, si rem vindicaret suam esse¹⁾. Neque ei tantum competit, qui ipse impenderit, sed ei quoque cui possessionem abalienaverit is, qui sumptum fecerit²⁾ (l. 14 § 1 D. 10. 3).

IX.

AN SUAE REI PIGNUS CONSISTAT.

Verum non videtur, quod Dernburg habet (*Pandekten* I. 2^{te} Aufl. § 291⁷), privatorum iura, si ita definiantur, ut id comprehendatur, quod plerumque fit, sufficere; id quod singulare est, tuto posse negligi, sicubi definitio generalis quaeratur³⁾. Pignus videlicet, etiamsi constaret suae rei quandoque dari, adhuc

1) Quod tamen quoque verum est si de eo pignore agatur, quod, creditore dimisso, possidenti datur (l. 29 D. 10. 2; l. 7 § 13 D. 10. 3).

2) Pignus igitur quod, creditore dimisso, possessori competit, aequae ei adquiretur, qui ab eo possessore emerit.

3) „Die juristische Konstruktion der Rechtsinstitute ist nicht aus besonderen anomalen Fällen herzuleiten, sondern aus ihrer regelrechten Gestaltung zu entwickeln“.

licere ius in re aliena appellare, quia plerumque pignori alienas res accipimus. Quod ideo verum esse non dixerim, quia omnis definitio, sicuti regula, *simul cum in aliquo vitiatum, perdit officium suum*, et abiicienda est (l. 1 D. 50. 17). Nec recte se defenderet eo, quod alibi legitur, *quod contra rationem iuris receptum (sit) id non esse producendum ad consequentia* (l. 141 pr. D. 50. 17 = l. 14 D. 1. 3); id enim quod raro fit, rationem habere potest. Itaque id quod singulare est non semper negligere licet, in privatorum iuribus definiendis, sed ita demum, *si contra tenorem rationis sola auctoritate constituentium introductum est*. At si contra tenorem rationis *propter aliquam utilitatem* introductum est, eatenus producendum est, quatenus eadem utilitas sive aequitas pateat, quae distinctio etiamsi a Paulo repudiari videatur (l. 16 D. 1. 3) tamen admittenda est, nam, quod ait Iulianus, *utilitati cedere disputandi rationem, innumerabilibus rebus probari potest* (l. 51 § 2 D. 9. 2). Quamquam non recte dicitur toties rationem aequitas vincere; nam vera ratio ab aequitate numquam discrepat; falsa denique est ratio, quae ad iniquitatem tendit. Accuratus igitur dicemus, omnem definitionem quae per disputandi rationem ad iniquum perducatur, novae definitioni locum cedere. Itaque domino si pignus suae rei nonnumquam tribuatur non propter constituentium auctoritatem, sed propterea, quod iniquum esset non tribui, amplius non est quaerendum, pignus suae rei num consistat.

Domino pignus competere Windscheid ait (*Lehrbuch* § 248⁴⁷) ita, si ius pignoris et rei dominium ad eundem deveniant, dummodo huius intersit utrumque habere propter secundi creditoris minas. Neque movetur eo, quod apud Paulum legimus (l. 30 § 1 D. 44. 2): *pignus perseverare (non posse) domino constituto creditore*; id enim quod sequitur: *actio tamen pignoratitia competit*, satis demonstrat, quam serio haec dicta sint. Creditor igitur dominus constitutus ius pignoris salvum habet (l. 30 § 1 cit.); dominus quoque, si creditori solverit, ita ut quisvis possessor¹⁾,

1) Minus recte Papinianus persuadere cupit, praedii emptorem, cuius pecunia ad creditorem pervenerit, eodem iure succedere quo is succedit qui pecuniam credidit, ut antecedens dimitteretur. Refellitur eo, quod hic succedit propter conventionem cum debitore faciendam, emptor ipso iure (l. 3 D. 20. 3).

in locum eius succedit (l. 3 § 1 D. 20. 5; c. 3 C. 8. 18 (19); l. 17 D. 20. 4); creditor igitur sibi succederet, cui res pignorat a debitore in solutum data esset; dominus enim factus se dimisit (c. 1 § 1 C. 8. 19 s. 20). Addam, quod aedium pignus conservamus, posteaquam secundo decreto domini constituti sumus (l. 12, l. 15 § 25 D. 39. 2 cf. l. 44 § 1 D. eod.). Neque tamen verum est, quod Windscheid habet, dominum eundemque creditorem esse posse, quum intersit eius *propter secundum creditorem*. Nam si debitor *pignoris iure* cum creditore fiduciam contrahit, res creditoris fit (Gai. II § 59, 60), quamvis futurum numquam sit ut hunc secundus creditor urgeat, quia res alienata iterum non potest obligari ab eodem (l. 2 D. 13. 7). Dicendum est igitur, dominum eundemque creditorem esse posse, *nisi quid aliud obstet vetetve*. Id autem quod obstare potest, etsi non aperte dicatur, est, quod ipse debitor frustra diceret, sibi pignus quaesitum quolibet agente creditore. Pignus igitur quod ob impensas competere possessori vidimus, debitori denegatur, neque ita demum, si ante rei obligationem impenderit, ut obiici possit, quod solidam rem videatur obligare, qui nihil recipiat (cf. l. 15 § 2 D. 20. 1); sed ita quoque si postea fecerit. Nam *si insula quam tibi ex pacto convento licuit vendere, combusta est, deinde a debitore suo* (i. e. sua pecunia) *restituta, idem in nova insula iuris (te) hab(iturum)* Paulus (l. 35 D. 20. 1), auctor est; Paulus, inquam, non Labeo, Labeo enim (voce *suo*) respicere non potuit ad illud Senatus Consultum, sub Marco Imperatore factum, quo pignus insulae creditori datum, qui ad restitutionem aedificii mutuum dederit (l. 1 D. 20. 2). Neque priore creditore dimisso, se in locum eius successisse, debitor obtendens audiretur adversus secundum agentem, quia secundae quoque conventioni *solida res inesse videatur* (l. 15 § 2 D. 20. 1). Haec cessant, ubi debitor hypothecam sibi nominatim receperit; licere enim ita pignori dare, ut hyperocha tantum sit obligata, tacite Gaius concedit quaerendo, quando secus contractum videatur. Lex igitur Borussica quod ad hanc partem attinet antiquum ius confirmat (§ 27); illud novum quod debitor semper successurus sit in ius eius creditoris, quem dimiserit quamvis nihil receperit; lex enim non distinguit inter debitorem ceterosque possessores (§ 64). Optima sane ratione; debitor enim

quum ad alium quemcumque ius prioris creditoris transferre possit (l. 3 D. 20. 3; l. 12 § 8, 9 D. 20. 4; l. 3 § 1 D. 20. 5; c. 1 C. 8. 18 s. 19; cf. l. 2 D. 13. 7), quare non ipse quoque adquirat? Sin quis dicat illud ita fieri posse, si debitor non ex re sua solverit (quod tamen *n(on) ad rem pertin(ere)* Pomponius scribit), illud cogitet, quam prorsus non possit sciri, unde pecunia prompta sit, qua prior dimittitur, ut in locum eius alius succedat. Facile enim, etsi de suo solvat debitor, amicum inveniet, qui interponi se patiatur et nomen suum accommodet, dum, si rem spectas, ipse debitor acquirit. Ius igitur ne ludibrio habeatur, melius et tutius erit ipsi quoque debitori id concedere, quod aliis tribuere potest. Quod non tantum priore dimisso verum est, sed tunc quoque cum in rem debitor impenderit. Debitor enim propter impensas pignus sibi non acquirit; sed aliis dare potest, a quibus pecunia aut vere perverit (l. 5, l. 6 § 1 D. 20. 4 cf. l. 1 D. 20. 2; item: l. 3 § 1 D. 20. 4; c. 7 C. 8. 17 (18) cf. c. 6 C. 7. 8; l. 3 pr. D. 27. 9; l. 7 pr. D. 20. 4) aut pervenisse dicatur. Melius igitur, hac quoque parte debitori idem tribui quod cuius possessori.

Singularis est locus Africani (l. 44 § 1 D. 39. 2), quo statuitur in domino idem ius esse quod in debitore vidimus. Pignus enim impensarum nomine ipsum quoque non habiturum, nisi forte ex necessitate dominus factus sit. In id fragmentum multi desudarunt, sed nihil eruerunt, quod non aliunde notum esset, nempe Africani opinionem raro convenire sive cum ratione sive cum aequitate. Praestat igitur talibus tempus non terere, sed aliam protinus quaestiunculam aggredi.

X.

QUID SIT IURE SUO PIGNUS DISTRAHERE (l. 13 D. 20. 5).

Duplicem apud Romanos pignoris venditionem occurrere, et vidit Cuiacius et utriusque venditionis iura adeo luculenter exposuit, ut vestigia sua prementibus non nisi exigua quaedam adspargere reliquerit. Hunc secutus, de utraque pignoris

venditione ea praemittam, quae sciri oportet, ut recte intelligatur l. 13 D. 20. 5, quam quoad sciam intactam ille reliquit, quamque hodie ni fallor perperam plerique interpretantur. Est igitur aliqua pignoris venditio, quae tunc fieri dicitur quum aut *iure conventionis* (l. 3 pr. D. 20. 5), aut *ex pacto* (l. 42 D. 13. 7, a Cuiacio emend.) aut *ex pactione* (l. 8 § 5 D. 13. 7; Gai II § 64), aut, quod summum interpretem latuit, *communi iure* (c. 1 C. 8. 34 s. 35, c. 7 pr. C. 4. 10) pignus veneat; quam venditionem si sequatur aut mancipatio aut traditio (c. 13 C. 8. 27 s. 28, de cuius interpolatione dixi in *Mnem.* XVII p. 409), dominium transfertur ad emptorem (l. 4 D. 13. 7 etc.) et pignoris vinculum solvitur. Eo modo pignore vendito prioris domini (qui rem obligavit) ius omne perit, neque superest ei facultas pretium offerendi et rem redimendi (c. 2 C. 8. 19 (20); c. 23 § 2 C. 8. 23 (24); c. 1 C. 4. 46), nisi aut contra venditionem in integrum restituatur, ex causis, ex quibus potest; aut quum venderet nominatim redimendi facultatem domino creditor receperit (l. 7 § 1 D. 20. 5; l. 13 pr. D. 13. 7; c. 6 C. 2. 50). Secundi quoque creditoris ius omne perit¹⁾; ita, ut redimendi facultatem, quam adversus priorem semper habet, adversus emptorem nequaquam exerceat (l. 3 pr. D. 20. 5; c. 1 C. 4. 46). Haec longe aliter se habent in altera venditione, quae *transferendi pignoris causa* (l. 2 D. 20. 5), aut *pignoris servandi causa* (l. 6 D. 20. 5), aut simplicius etiam *pignoris causa* (c. 3 C. 4. 22) fieri dicitur. Quae venditio quum fiat pignus non tollitur sed transfertur, neque dominus fit emptor sed *eius* est loco *qui pignora accepit* (l. 59 D. 46. 1), itaque redimendi facultas est et ei qui pignori rem dedit, et secundo creditori. Multum igitur et ipsius debitoris²⁾ et secundi creditoris refert, rem potius *pignoris causa* quam *iure communi* distractam esse. Contra emptori prodest *ex pacto* distractam esse ne quis offerendo pignus luat. Apud iudicem ergo, quomodo constabit, utro iure res venierit? Quae quaestio, quum tota sit voluntatis, tota in facto consistere videri possit. Quod non ita est; nam quum plerum-

1) Id hodie aliter se habet. Nostris enim legibus nunquam ulla venditioe praedicti pignus finitur, antequam iudicis officio pretium ex venditione reductum ordine ioter creditores distributum fuerit. Quod longe praestat.

2) Hodie debitoris tantum.

que voluntas in obscuro sit, id actum videbitur quod agi potuerit; et *pignoris causa* distractum videbitur, si qua *necessitate iuris* aliter distrahi nequaquam potuerit. Quae iuris necessitas apud Romanos¹⁾ tum maxime locum habet, si ei venierit, cui *conventionis iure* venire non potuerit. Sunt enim quaedam personae, quibus permittitur in pignoris ius succedere, sed non permittitur dominium nancisci ex pignoris venditione, quod primus Dernburg (*Pfandrecht* II § 103) docuit. His igitur si veniat, necessario *pignoris causa* venisse existimandum est. Sunt autem hae: fideiussor (l. 2, l. 5 § 1 D. 20. 5; l. 59 D. 46. 1; l. 59 § 1 D. 17 1; cf. c. 1 C. 2. 20 (21), ubi *pignora* pro *fiduciam* interpolatum esse paret); correat (cf. c. 13 C. 4. 65) quia similis est fideiussori; secundus creditor (l. 5. § 1, l. 6 D. 20. 5), cui similis est concreditor (l. 29 D. 10. 2 cf. l. 7 § 12 D. 10. 3); possessor denique, dummodo per litis aestimationem emerit (l. 29 D. 10. 2; l. 7 § 12 D. 10. 3; l. 2 D. 20. 6; l. 12 § 1 D. 20. 4). Quod secus est in concreditore, hic enim sive per adiudicationem, sive sponte emerit, omnino dominus non fit quia neque secundus creditor id consequeretur²⁾. Ceteri omnes recte dicent, *communi sibi iure* emptum fuisse, nisi aliud actum sit (c. 8. C. 4. 39; l. 31 (32) pr. D. 3. 5), nam *solet* quidem *huiusmodi venditio transferendi pignoris causa necessitate iuris fieri* (l. 2 D. 20. 5), sed potest sponte. Oportet autem emptum fuisse, nam is qui *citra* (ullam) *emptionem* creditori solverit neque dominium (c. 21 C. 8. 13 s. 14) neque pignus (l. 2 D. 13. 7) adquiret, nisi possideat (l. 1 pr. D. 20. 6). Possessor enim solvendo sine dubio succedet³⁾, sive nulla emptio intercesserit, sive ea quae stare non possit (c. 6 C. 2. 50; c. 1 § 1, c. 3 C. 8. 29 s. 30).

Nunc videndum utra venditio intelligatur l. 13 D. 20. 5, his verbis :

1) Apud nos: si solemnia praetermissa fuerint.

2) Itaque Pauli verba: *non idem dici potest, si alteram partem creditor emerit: adiudicatio enim necessaria, emptio voluntaria*, ad id solum referenda sunt, quod debitor non cogatur, si partem laere velit, totum pignus laere, quasi partibus confusis (quod post adiudicationem admittitur).

3) Eodem iure, quo possessor, nostris legibus utuntur fideiussor, correat, secundus creditor (et solvendo succedant).

creditor qui iure suo pignus distrahit, ius suum cedere debet, et, si pignus possidet, tradere utique debet possessionem.

Ad *emptionem pignoris causa*, quam Basilica intelligunt, me quoque quaedam impellunt, primum, quod creditor fingitur *iure suo vendere*, quod quam apte opponatur ei quod est *iure communi vendere*, quis non videt? Creditor enim èt recte dicitur, *communi iure vendere*, id transferendo, quod ceteri quoque, quum vendant, transferunt, nempe dominium, èt *iure suo*, id transferendo, quod ceteri transferre non possunt, nempe *ius pignoris*. Accedit, quod adicitur, emptori ius distrahentis cedi debere, quod esse non potest nisi pignoris persecutio, id est actio hypothecaria; haec prorsus inutilis esset ei, cui *iure communi* venit, nam quum dominus factus sit sive mancipatione sive traditione domini iure rem vindicabit; atque, antequam id factum sit, *nullam in rem actionem habet* (c. 13 C. 8. 27 s. 28). At ei recte mandabitur pignoris persecutio, cui *pignoris causa* res venierit. His moveor, ut dicam *iure suo vendere* idem esse ac *pignoris causa distrahere* ¹⁾.

Paulo accuratius nunc dispiciamus de iis quibus *pignoris causa* res venierit. Vidimus pignoris persecutionem illis mandari debere, quod si factum sit procuratorio nomine agent (cf. l. 8 § 2 D. 20. 6); sin praetermissum fuerit utilis Serviana dabitur (l. 1 pr. D. 20. 6 cf. c. 8 C. 4. 39). Utilem dico, nam directa non competit nisi ei, qui a debitore pignus ipse acceperit tum quum conveniret, ut hypothecae res sit obligata. Nihil autem convenisse apparet inter debitorem eumque, qui *pignoris causa* a creditore emerit, quamvis enim creditoris loco sit, tamen fatendum est, pignus eum nullum contraxisse. Itaque debitor si pecunia oblata rem velit luere, possessorem convenire non debet pignoratitia in personam actione, sed rei vindicatione, quam non potest movere, nisi paratus sit probare, dominium suum esse, quod in pignoratia secus est. Idque optima fit ratio: *qualiscumque enim*

1) Neque tamen facio cum Westphal (eius sententiam cognovi ex Platner, *Archiv für die civilistische Praxis* Bud. 32 p. 107) intelligendam esse *pignoris causa venditionem* cum debitore factam. Debitor enim, ut supra vidimus, in ius pignoris succedere non potest, nisi nominatim cum secundo creditore convenerit, ut praeter hypothecam nihil ei sit obligatum.

possessor hoc ipso quod possessor est plus iuris habet quam ille qui non possidet (l. 2 D. 43. 17), neque dominium petitoris esse ideo praesumitur, quod aliquando rem pignori dederit. Id vero ita verum est, si aliam praeterea possidendi causam habeant, quibus *pignoris causa* res venierit; sin nullam, quidquid iuris habeant, quum profectum sit ab eo, qui pignori dando causam possidendi per antecedentem creditorem ipsis praestitit, si ab hoc petitore dominii probatio exigatur, aequitati parum consultum erit (cf. Dernburg *Pfandrecht* I § 18. II). Ideoque non dubitatur quin concreditor postquam concreditoris partem *pignoris causa* emerit, de utraque teneatur pignoratitiae respondere (l. 29 D. 10. 2); idem valet in fideiussore et in negotiorum gestore nisi quod vice pignoratitiae aut mandati aut negotiorum gestorum detur (l. 59 § 1 D. 17. 1; l. 2 D. 20. 1; l. 31 (32) pr. D. 3. 5; de c. 1 C. 2. 20 (21) cf. Cuiac. *Observ.* III. 37). Quod an porrigendum sit ad correum, item secundum creditorem, nominis denique emptorem videbimus.

Notabile est, quod non continuo in personalem obligationem succedit, qui pignoris ius acquirit¹⁾. Idque multis argumentis confirmatur. Nam et possessor, cui tamen ius pignoris statim acquiritur ubi solverit, *ius nominis* non habebit, nisi separatim ei cedatur (l. 19 D. 20. 4 cf. l. 57 D. 30) et fideiussor, nisi cessae fuerint ei actiones, id quod dependit mandati iudicio persequi debet neque alio potest (l. 2 D. 20. 1), et negotiorum gestori negotiorum gestorum actio *necessaria erit*, ut suum recuperet (l. 31 (32) pr. D. 3. 5), et concreditori pignoratitia contraria danda est (l. 29 D. 10. 2), quamvis hi omnes pignus aut pignoris partem emptionis titulo susceperint et in creditoris ius successerint. Neque tam novum ius introduxisse quam negligenter scriptam esse arbitror c. 11 § 1 C. 8. 40 s. 41 (Alexandri), qua dicitur is, in quem ius pignoris translatum sit, cessis actionibus uti posse, quibus ita, si ipsae quoque cedantur²⁾, poterit uti. Neque

1) Hodie nostris legibus excepiuntur, qui solvendo adquirent, id est fideiussor, correus, secundus creditor, possessor. Sed num omnes possessores? An hi soli qui a dominu emerint, quos Scaevola (l. 19 D. 20. 4 cf. l. 57 D. 30) *iuscos* appellat? Ceteris enim oblicui poterit, quod possidere eos non oportuerit.

2) Dum cedi potuerint. Nam qui *eodem* pecunia et rem comparaverit et credito-

tamen, solo pignore translato, nomen continuo perit (quod cavetur lege Borussica § 52 *abs.* 2) sed ita, si creditori satisfactum sit, quia¹⁾ *ex necessitate* (id est *pignoris causa*) *facta venditio non liberat debitorem, nisi pecunia percepta fuerit* (l. 9 D. 20. 5). Percepta si fuerit, doli mali exceptio creditori obstat (l. 8 § 19 D. 20. 6). At contra si nomen fuerit emptum, pignus separatim cedi opus non est; quia cum ipso nomine ius pignoris emptori tacite acquiritur (c. 6, c. 7 C. 4. 10 cf. l. 6 D. 18. 4).

Scribendam Traiecti ad Rhenum m. Martio 1890.

rem dimiserit, is sane pignus acquirat, sed cessis actionibus uti non poterit, quia nihil ei abest (cf. Laurent, *Principes de droit civil* 3e éd. XVIII. p. 106).

1) Quae praecedunt apud Paulum, ad alteram venditionem pertinent, quae ex pacto fit.

AD IULIANUM.

Iuliani epist. 16 (p. 495 ed. Hertlein): ἡμεῖς δὲ σοὶ καθάπερ Ἐρμῆ λογίω τοὺς ἡμετέρους λόγους ἐγχειρίζομεν. κἂν μὲν ὑπομείνωσι τὴν ἀκοὴν τὴν σήν, ἐπὶ σοὶ τὸ κρίναι περὶ αὐτῶν, εἰ καὶ πρὸς τοὺς ἄλλους εἰσὶ πτήσιμοι· εἰ δὲ μή, βίψον ἐκεῖ καθάπερ Μουσῶν ἀλλοτρῖους. Ineptum illud ἐκεῖ ex scripturae compendio Ἐκ/ι, i. e. ἐπὶ κεφαλῆν, ortum esse persuasum habeo. Cf. Bastii *Commentat. palaeograph.*, p. 742, 783, 821. Sollemnis loquendi formulae βίπτειν ἐπὶ κεφαλῆν unum exemplum laudasse satis erit, quod ad rem proprie pertinet. Lucian. *Quomodo histor. etc.*, 12: λαβῶν ἐκεῖνος τὸ βιβλίον . . . ἔρριψεν ἐπὶ κεφαλῆν ἐς τὸ ὕδωρ.

Gandavi.

P. THOMAS.

AD CATULLUM.

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN.



Catulli codicem Sangermanensem editor quidam Gallus sic exprimendum curavit ut qui illius literas omnes, maculas, apices quam accuratissime cognoscere cupiat modico pretio honestam eam voluptatem emere possit. Iure ergo viri docti certatim novum librum laudarunt; nonnullorum tamen iam vidi laudes eiusmodi ut timendum sit ne ex illo damni plus quam emolumenti nascatur. Qui mihi sic fere loquuntur: „nunc demum Catullum legere poterimus: quoties enim in aliquo loco haerebimus neque nos extricare poterimus, codicis apographon consulemus; illud nobis lectionem praebet aut sanam aut certe minus inquinatam”. Ita qui censent, ne illos mox spes fallat: quam inscite de codicum manuscriptorum natura iudicarent cum magno dolore experientur. Eiusmodi enim sunt editiones, quas nunc habemus, ut omnibus, quod ad lectionis sinceritatem attinet, codicibus manuscriptis mirum quantum praesent. A viris enim doctis factae sunt, satis religiose manuscriptorum habita ratione; qui si forte in aliquo vocabulo describendo levem commiserunt errorem, multo facilius coniectura ille tollitur quam denuo explorato codice. Sic, ut exemplo utar, omnes versus de quibus emendandis L. Müller desperavit in codice Sangermanensi corrupti leguntur; atque eiusmodi quidem locis, quos eodem vitio laborantes et codex et editio praebet, nullum est periculum ne ille quidquam afferat damni: operam tantummodo perdent qui sperabunt illius scribam, hominem stolidum, veram servasse lectionem quam Mülleri sollertia indagare non potuerit.

Magis illud vereor ne, si cuius versus alia in codice est corruptela, alia in editionibus quas manu terimus, aliquis existat vir doctus qui e duorum vitiorum confusione aliquid efficiat, quod quamvis sit pristina corruptela multo ineptius, tamquam praeclarum sapientiae diplomaticae documentum a futuris editoribus avidè arripiatur.

Ergone periculum tantum affert accurata illa codicis effigies, utilitatem nullam? Immo permagnam, sed non eam quam nonnulli exspectarunt. Nunc enim Catullum e codice legere possumus, quod qui diligenter fecerit et ita ut ne levissima quidem eum fugiant, permulta errorum genera quos scribae committere solent cognoverit; scribarum orthographiam tenebit, quae nam literae facile inter se mutari possint viderit, sic ipse in dies vitii tollendis fiet aptior. Dabo insigne exemplum.

LXIII, 343 sq. de Achille et alia vaticinantur Parcae et haec:
 non illi quisquam bello se conferet heros,
 cum Phrygii Teucro manabunt sanguine tenen.

Vocabulo *tenen* crucem interpretis apposuit Müllerus; in codice, ut fit, tam perspicue *tenen* scriptum est ut dubitari nullo modo possit. Pro eo alii alia coniecerunt: Itali nonnulli *campi* (quod probat Baehrensius), alii *rivi*, Hauptius *clivi*, quae quam parum sint verisimilia vix opus est dicere. Sed nulla opera locum emendabit quicumque per multos dies in codice Sangermanensi explorando oculos exercuerit. Is enim novit nunquam in eo *ae* scriptum esse sed semper simplex *e*, literaeque π eam formam esse ut facile duplicis τ locum occupare possit. Itaque vix ulla emendatione opus esse statim sentit: codicis enim nostri exemplum habuisse:

cum Phrygie Teucro manabunt sanguine *terre*

i. e. cum Phrygiae Teucro manabunt sanguine *terrae*.

Atque sic ante sex annos Alexander Riese vir doctus et acutus dubitanter coniecit; si a codicis Sangermanensis examine recens fuisset, non dubitasset sed felicissimam coniecturam suam tamquam certam emendationem in textum recepisset.

DE MODIS AUSPICANDI ROMANORUM.

SCRIPSIT

I. M. J. VALETON.

(*Continuantur ex huius Vol. pag. 263.*)



III.

Superiore Capite egimus de observationibus auspicioꝝ quas ipsi magistratus qui acturi erant instituebant agendi causa, et inprimis diligenter persecuti sumus caerimoniam illam quam in loco inaugurato suburbano peragere solebant magistratus publice acturi (inprimis comitia habituri), qua de tabernaculo auspicabantur ex signis impetritis, ex avibus vel de caelo. Eam caerimoniam ad finem perductam fuisse statuendum est, simulatque magistratus, de sella sua surgens, dextrorsum se vertit (vid. Mnem. XVII p. 313 n. 1), e tabernaculo deinde egressurus; hoc motu enim tollebat templum illud aërium, quod paullo ante constituerat formulis sollemnibus et motibus virgæ suæ; tum tabernaculum ipsum quoque a ministris eius destruebatur, pali et lintea et cubilia ab eisdem ex eo templo evecta suo loco rursus condebantur; ipsi magistratui, nisi forte actio statim post auspicia observata ei gerenda fuerat (quod in dictatore dicendo fiebat), tempus actioni constitutum nunc expectandum erat, et interea ei licebat alia omnia quibus opus erat aut publice aut privatim agere, ut docet exemplum Tiberii Gracchi, quem inter caerimoniam auspicandi et comitia inita senatum habuisse novimus (supr. p. 244 sq.). Ratio quidem interea, per

totum hoc temporis spatium interpositum, diligens ei habenda erat auspiciorum retardantium aut vitium facientium, si qua forte ultro se offerebant, sed, quamquam ea auspicia observare debebat magistratus, tamen non amplius *auspicari* dicebatur; hoc vocabulum enim ad caerimoniam sollemnem solam, neque longius, pertinet.

Sed magistratibus, si actionem aliquam publicam rite et auspicato gerere volebant, nonnumquam etiam aliarum observationum, non ab ipsis sed ab aliis factarum, rationem habere partim licebat, partim necesse erat. De harum observationum vi et ritu nunc etiam brevi agemus. — Hae sunt primum observationes ab administris magistratuum (pullariis) ipso- rum iussu habitae; deinde observationes quas prohibendi causa instituerunt magistratus quibus ius est de illa actione aliena de qua agitur prohibendi causa *auspicari* et ob- nuntiari; tum observationes quas faciunt privati; denique quas habuerunt augures. — Signa quae ab his observantur, sunt quidem auspicia, quatenus ad actionem magistratus eius qui acturus est referri possunt et referuntur, sed tamen non utique qui ea observant dicuntur *auspicari* (cfr. supr. Mnem. XVII p. 423 et 428); hoc vocabulum (praeter eum magistratum qui ipse acturus est) solum pertinet ad eos quos secundo loco posui, ad magistratus quibus ius obnuntiandi datum est, non vero ad pullarios, privatos, augures, quibus observare quidem licet quidcunque se obtulit, sed minime *auspicari*. Hoc verum esse quamquam infra clarius apparebit cum de singulis obser- vationibus agam, tamen iam hoc loco confirmandum videtur testimonio Ciceronis; is enim diserte affirmat, magistratus solos *specionem* (i. e. ius auspiciandi) habuisse in ac- tionibus magistratuum ¹⁾.

1) Cic. Phil. 2. 32 81: „nos (augures) austiationem solam habemus, consules et reliqui magistratus etiam *specionem*“. — Hoc quod verissime de iure *auspicandi de actionibus magistratuum* (veluti comitiis habendis) statuit Cicero, a recentioribus nonnumquam ita perperam explicatum est, quasi h. l. omni *specione* in suis rebus carere dicerentur privati et sacerdotes, quasi Cicero omnino nulla auspicia Romana privatorum, nulla auspicia publica sacerdotum fuisse contenderet; et ab eisdem ea sententia perversa coniectando illata est in locum corruptum Fosti p. 333, supr. Mnem. XVII p. 441 n. 1; vid. ibid. p. 440 sq. — *Specionem* universam non posse auguribus certe abnegari, senserunt cum Regell (Jahrb. f. Phil. 1888 p. 382), qui

§ 1. DE OFFICIO ADMINISTRORUM IN AUSPICIS.

Ut docet exemplum Tiresiae (vid. supr. Mnem. XVII p. 435), Graeci auspicantes ad auspicia semper adhibuerunt administratos. Eadem consuetudo apud Romanos fuit. Quod primum cernitur in auspiciis privatis; Caeciliae, mulieri nobili, in sacello omen capienti, Cicero auxilio affuisse narrat ipsam virginem de qua viro despondenda consulebantur auspicia (vid. Mnem. XVII p. 443 n. 6). Deinde ipsi augures publice sacrorum causa aut respondendi causa auspicantes numquam administro carebant. Eius rei duo insignia testimonia afferenda sunt, quorum alterum praebet Cicero, cum scribit (leg. 3. 19. 43): *„est autem boni auguris meminisse se maximis reipublicae temporibus praesto esse debere Iorque optimo maximo se consiliarium atque administrum datum, ut sibi eos quos in auspicio esse iusserit“*; alterum vero petitur ex fabulis antiquis Romanis. Dionysius enim narrat, augures publicos Tarquinio regnante semper in auspiciis habuisse Attum Navium, cum is non esset ipse in collegium augurum publicorum cooptatus (*εις ἀπάτας τὰς δημοσίας ἐπισκέψεις οἱ τῆς πόλεως οἰωνομάντει, οὐκ ὄντα ἐκ τοῦ συστήματος παρεκάλουν αὐτόν*); idem tradit Navium ab auguribus adhibitum esse cum inauguraretur templum Iovis in monte Capitolino et exaugurarentur sacella ¹⁾. Alii auctores quidem, a Dionysio dissentientes, significare videntur Navium fuisse ipsum augurem publicum,

contendit auguribus fuisse id quod dicat „eine gewisse Specion“, tum H. Oldenburg („de inauguratione sacerdotum“ in Comm. Phil. in hon. Momms. Berol. 1877 p. 159 sqq.), qui coniecit augures antiquissimis temporibus habuisse specionem, eosque sero demum ab auspicando exclusos esse, et paucas caerimonias, quarum potestas proprie penes eos remanere non debnerat, eis peragendas esse relictas. Quia etiam Rabino iam concesserat (Unt. p. 57 n. 2) „das ihnen eine gewisse Specion in Staatsangelegenheiten verliehen werden könne“, cfr. ibid. p. 59 n. Ad sententias tam perplexas, quibus id quod negatur simul affirmatur, viri docti pervenirent necesse erat, cum semel in principiis errassent, neque perspexissent specionem ita pepeadisse ex iure agendi, (nisi forte ratio specialis exceptionem inferret qualem de comitiis conciliisque a quolibet magistrato habitis illatam esse novimus), ut nemo quidem specionem haberet quatenus in aliqua re careret illo iure, sed unus quisque privatus aut sacerdos aut magistratus eam specionem haberet quae eius iuri agendi conveniret; sacerdotes vero quatenus publice *agere* et publice *ex auspiciis respondere* possent etiam specionis publicae fuisse participes.

1) Dionys. 3. 70.

a Tarquinio in collegium receptum¹⁾; sed ea dissensio ad nos non pertinet, cum constet auctorem quem secutus est Dionysius non potuisse illud tradere, nisi novisset administros artis peritos ab auguribus adhiberi solere. Dignum autem est quod animadvertatur, Dionysium, qui affirmet Navium non fuisse augurem publicum, eodem loco eum dicere τὸν τῶν αἰωνοσκόπων ἐπιφανέστατον; inde apparet nomen αἰωνοσκόπου (auguris vel auspicii) Dionysio etiam eis tribui posse visum esse, qui artis auguralis periti essent vel eam exercerent, neque tamen essent augures publici, quod idem haud raro fecit Cicero, vid. supr. pag. 216 n. 2. — Denique administri, quos in auspicio habebant magistratus auspicientes, saepe memorantur, et in omnibus quidem generibus auspicio impetitorum, veluti in auspicio pullario²⁾, in consulendis extis³⁾, in observationibus avium et signorum caelestium⁴⁾. Magistratibus autem liberum erat ad auspicia semper advocare quemcunque volebant; cum dicta esset formula: „Q. Fabi, te mihi in auspicio esse volo“, et acceptum esset responsum „Audiivi“, officium administri auspicio recte mandatum et susceptum erat⁵⁾. Itaque antiqua consuetudo ferebat, ut eos potissimum adhiberent magistratus, qui aliqua peritiae fama excellerent⁶⁾; postea vero hoc neglectum est, et cum omnes magistratus qui cum imperio erant haberent certos mercenarios, pullario auspicio destinatos et *pullarios* dictos, hos quoque ad reliqua auspicio genera tamquam administros adhibere coeperunt⁷⁾; inde factum est ut etiam in observatione signorum caelestium et extorum haud raro *pullarios* operam praebuisse magistratibus appareat⁸⁾. — Sed officium administro-

1) Liv. 1. 36. 3; Val. Max. 1. 4. 1; cfr. Cic. rep. 2. 20. 36; deor. nat. 2. 3. 9; Att. 10. 8. 6.

2) Liv. 8. 30. 2; 9. 14. 4; 10. 40. 4; Cic. div. 1. 35. 77; Plut. Tib. Gr. 17 et passim.

3) Cic. fam. 10. 12. 3; Liv. 41. 15. 2.

4) Cic. div. 2. 35. 74; Dionys. 2. 6.; Varro 11. 6. 86.

5) Cic. div. 2. 34. 71.

6) Cic. div. 2. 34. 71: „hic apud maiores adhibebatur peritus, nunc quilibet“.

7) Dionys. 2. 6: τῶν δὲ παρόντων τινὲς αἰωνοσκόπων μισθὸν ἐκ τοῦ δημοσίου φερόμενοι ἀστρατῶν ἀντοῖς μινύειν φασίν. Cfr. Cic. leg. agr. 2. 12. 31; Val. Max. 1. 4. 2.

8) In observatione signorum caelestium: Cic. div. 2. 35. 74 et Dionys. 2. 6; in inspectione extorum: Cic. fam. 10. 12. 3. Apud Liv. 41. 15. 2 magistratui immolanti

rum in auspiciis, postquam per illas formulas mandatum et acceptum erat, non ultra finem ipsius caerimoniae pertinebat; ut primum ad finem perducta erat observationis caerimonia, ad pristinum statum redibat is qui eo officio functus erat, neque plus abhinc valebat eius admonitio quam vox civis privati cuiuslibet. Magistratus in ipsa actione ita tantum interpellari poterat a pullario, si forte ad agendum se contulerat antequam observatio ad finem perducta erat, quod haud raro fiebat si exta consulenda erant, quandoquidem in extis coquendis et porriciendis multum tempus tereretur necesse erat, neque tam diu semper differri poterat actio¹⁾; sed in reliquis auspiciis hoc numquam factum est, auspicia ante actionem absoluebantur; atqui neque per illud temporis spatium quod ante actionem post auspicia saepe interponebatur, neque in ipsa actione, auspicia magistratus ab administro amplius vitiari poterant. Hoc quod per se manifestum est, diligenter attendere operae est, nam inde iam satis apparet, errare eos viros doctos, qui conati sint ex officio et iure administratorum (quos ipsos non *magistratum* sed *augurum* ministros fuisse et pro auguribus tamquam mandato accepto egisse sine ulla causa censent, de qua re infra agam) repetere et explicare ius obnuntiandi magistratibus per formulam „alio die”, quo in ipsa actione augures usos esse notum est. Fieri non potest, ut administri, quo tempore eorum ministerium iamdudum sublatum erat, et ipsi iam omni iure nuntiandi carebant, praebuerint auguribus ius obnuntiandi; apparet hoc ius augurum, prorsus seiunctum a iure administratorum, per se stetisse et aliunde repetendum esse. Praeterea vero longe aliud est, quod saepe factum esse accepimus, ut diu post actionem absolutam augures, quaestionem habentes de ratione

victimarius in auspicio est. *Haruspices* quoque haud raro in castris et in provinciis publice adhibitos esse notum est, Liv. 8. 9. 1; 25. 16. 2 et 17. 2; 29. 36. 10; 27. 26. 14; Obseq. c. 56; Cic. Verr. 2. 10. 27; div. 2. 24. 52; Momms. Staatsr. 1 p. 367 n. 7, Marq. Staatsv. 3 p. 412. Caesar, cum a. 44 sacrificium faceret, haruspicem in auspicio habuit, Val. Max. 1. 6. 13, cfr. 8. 11. 2; Suet. Caes. 77 et 81; Cic. div. 1. 52. 119; Vell. 2. 57. 2; sed quos adhibuit die supremo in curia, senatum habiturus, qui dicuntur *λεπίς* et *μάγιστρος* (Nic. Dam. Vit. Aug. c. 24 Müll. 3 p. 444 sq., App. 2. 116) utrum fuerint *haruspices* an *pullarii* frustra quaerimus.

1) Cic. fam. 10. 12. 3; Liv. 41. 15. 2.

auspiciorum, cum penes eos esset ius *cognoscendi, iudicandi, respondendi utrum auspiciato aliquid factum esset an contra auspicia*, citarent et interrogarent et ad testimonium de auspiciis dicendum cogèrent eos qui tamquam administri magistratum in auspiciis affuissent. Tum enim omnium maxime manifestum est, ius collegii augurum, quo ei licebat pronuntiare „aliquid vitio factum esse a magistratu”, non nisi iure illo nuntiandi quod multo ante in ipsa observatione datum fuerat administro, sed per se stare etiam hoc ius augurum, et hoc consilio tantum administros ab eis esse citatos, ut hi indicio suo patefacerent quid revera factum et nuntiatum esset, non vero ut suo nuntiationis iure nunc etiam superarent et everterent spectionem magistratus.

Officium administratorum igitur continebatur ipsis finibus observationis; quid intra eos fines valuerit vox administri, etiam quaerendum est. — Auctoritas administri longe maxima fuisse videtur in auspicio pullario. Saepe apparet, vocem et nuntiationem administri in hoc auspiciorum genere prorsus valuisse, et tantum quidem, ut ex ea sola, si secunda esset, ipsa auspicia laeta haberentur, sin vero adversa, auspicia quoque adversa essent; utque magistratus, si contra eam nuntiationem ageret, inauspicato esset acturus. Causa huius rei inest in natura singulari et in origine huius auspicii, de quibus supra egi (p. 213 sq.). Nam quamdiu etiam oblativum erat hoc auspicium, totum pendebat ex nuntiatione militum qui forte id conspexissent; postea vero, cum impetratum factum esset, et ante tabernaculum ducis coram exercitu pulli ex cavea emitterentur, tamen hoc servatum est, ut magistratus non ipse videret pullos pascentes, sed ut interrogaret eos qui adessent et expectaret nuntiationem auspicii laeti; hoc etiam remansit, cum sine exercitu in loco abdito aves consuli coepissent a pullariis, duce solo praesente; ne sic quidem magistratus ipse pullos tractabat, sed pullarium interrogabat et huius nuntiatione tenebatur¹⁾; itaque potestas huius auspicii numquam fuit penes magistratum (cfr. supr. p. 255 n. 2),

1) Cic. div. 2. 34. 77: „illi autem, qui in auspiciis adhibebatur, cum ita imperavit is qui auspicatur, *dicito si silentium esse videbitur*, nec auspicat nec circumspicit: statim respondet *silentium esse videtur*. Tum ille: *dicito si pascentur — Pascentur*”.

neque copia ei data erat, provocanti ad id quod ipse observaret vel observare se fingeret, corrigendae et refutandae nuntiationis pullarii¹⁾). Huic rei convenit, quod id, quod sane etiam accidere poterat in quaestione de ceteris auspiciis postea ab auguribus instituta, ut pullarii citati interrogarentur, utque plus tribueretur horum testimonio quam fidei magistratus, inprimis factum esse accepimus cum quaereretur ab auguribus de hoc genere auspicioꝝ bellicorum, cum in his pullarii soli signa observassent, magistratibus vero eorum nuntiatione edoctis eis parendum fuisse censeretur²⁾). Sed tamen, ne forte credamus pullarios aliquo proprio iure auspiciandi usos esse, ut augures qui saepe a magistratibus consulti *ipsi* auspiciati sunt ut ex auspiciis responderent, satis admonet Cicero cum dicat, *magistratum* esse auspiciatum et imperasse pullario (p. 411 n. 1). — In extis consulendis vero, quamquam magistratus non itidem tenebatur nuntiatione administri, et potestas decernendi de eventu auspicii penes ipsum erat³⁾, tamen natura huius auspicii quoque vix patiebatur quidquam ab eo pro arbitrio statui adversus sententiam administri, cum adessent ipsa exta quae iterum ab utroque inspicere possent neque rem dubiam aut controversam esse sinerent⁴⁾. — Sed in ceteris auspicioꝝ generibus antiqua

1) Locos qui hoc pertineant aliquot adscribo. Cic. div. 1. 35. 77: „pullarios diem proclii committendi differbat. Tum Flaminius ex eo quaesivit, si ne postea quidem pulli pascere, quod faciendum censeret. Cum ille quiescendum respondisset...”. — Val. Max. 1. 4. 2: „Tib. Gracchus pollarium domi consuluit ab eoque ire in campum prohibitus est”. — Liv. 8. 30. 2: „Papirius dictator a pullario monitus cum ad auspiciam repetendum Romam proficisceretur”. — Liv. 9. 14. 4: „Papirius ait: auspicia secunda esse, Tarentini, pollarius nuntiat, litatum praeterea est egregium”. — Liv. 10. 40. 4 sqq.: „nam cum polli non pascere, pullarios auspiciam mentiri ausus tripudium solistimum consali nuntiavit. Consul laetus auspiciam egregiam esse pronuntiat — — —. Altercatu inter pullarios orta de auspicio eius diei — — —. Iuvenis (fratris filius consulis) — — — ad consulem detulit — — —. Cui ille: — — qui auspicio adest, si quid falsi nuntiat, in semet ipsum religionem recipit; mihi quidem tripudium nuntiatum populo Romano exercituique egregiam auspiciam est — —” c. q. s.

2) Cfr. Liv. 41. 18: „etiam ex pullario auditum est, vitium in auspicio fuisse, nec id consulem ignorasse”.

3) Cfr. Liv. 41. 15 2: „id se victimario nuntianti parom credentem ipsum aquam effundi ex olla iussisse — — —”; Liv. 9. 14. 4: „Papirius ait: auspicia secunda esse, Tarentini, pullarius nuntiat, litatum praeterea est egregium”.

4) Cfr. Nie Dam. Vit. Aug. c. 24: καὶ δῆλον ὡς οὐκ ἐκαλλίβερι.

consuetudo ferebat ut magistratus observarent ipsi; quod quamdiu servatum est, multo minus valebat nuntiatio administri; hic, si iuxta magistratum in sella sedentem collocatus una cum eo observabat aves aut caelum, non regebat eum sed admonebat et consilio adiuvabat; magistratus ipse erat arbiter eius quod observabat aut se observare dicebat, et tantum dabat consilio administri quantum suadebat diligentia et religio; invito magistratu auspiciam non poterat vitari. Hoc confirmatur illo dicto Catonis (Fest. p. 234): „— — — quod ego non sensi nullum mihi vitium facit”; id enim „quod non senserit Cato” nihil aliud esse potest quam „quod se observasse dixerit administer”, i. e. „quod Catoni auspiciam nuntiatum sit” (vid. supr. Mnem. XVII p. 429); quod etiamsi de auspiciis domesticis scripsit Cato, tamen sine ulla dubitatione etiam ad auspicia publica referri potest. Eodem pertinet quod statuit Plinius: „in augurum disciplina constat, neque divas neque ulla auspicia pertinere ad eos qui — observasse ea negaverint” (vid. Mnem. II.) — Sed in uno genere auspiciorum, in observatione signorum caelestium, non integra servata est haec diligentia magistratum qua ipsi praesentes peragebant totam caerimoniam; paulatim institutum est, ut haec observatio permitteretur administis¹⁾. Sed tamen minime opinandum est, magistratus umquam prorsus se abstinuisse. Ex verbis Dionysii (2. 6) apparet, eos semper etiam praesentes peregrisse initia caerimoniae; tabernaculum vesperi ab ipsis capiebatur, formulae ab ipsis recitabantur, quin etiam in tabernaculo cubitum ibant et post mediam noctem surgebant. Sed deinde, postquam precati erant et omnia recte se habere viderant, ex templo discedentes domum se conferebant aut abibant ad ea paranda quae actioni futurae necessaria erant, tum demum agendi initium facturi, cum accepissent „nuntium de caelo” a pullario quem interea in tabernaculo relictum pro se observare iusserant. Ut dixi, hoc ibi tantum fiebat — et id quidem iam multo ante aetatem Varronis²⁾ — ubi signo caelesti ad agendum opus erat; nullum indicium est, hoc in avium

1) Cic. div. 2. 35. 74: „iam de caelo servare non ipsos censes solitos qui auspiciabantur? Nunc imperant pullario, ille renuntiat”.

2) Varr. II. 6. 86.

observationem umquam receptum esse, neque verisimile est quandoquidem ibi, si aves non comparebant, silentium sufficere putabatur (supr. p. 253). Observatio fulminis impetriti autem, quamquam per se facillima erat, facile cogebat auspicantem permultas horas, quin etiam, si auspicium tardabat aut non comparebat, magnam partem noctis et diei, consumere in lenta et segni expectatione; etiamsi opportune aliquid fingere placebat, tamen ne hoc quidem festinanter fieri decebat, et ut modicum temporis spatium insumeretur postulabat dignitas reipublicae et decori species utique servanda. Itaque hoc munus expectandi, sivi vere sive dicis causa, cum bona specie committi poterat administro. Sed quod multo plus sane valuit, quae ipsa fortasse vera causa fuit cur illud institueretur, accedebat quod eo tempore, quo iam evanuerat antiqua fides auspiciorum, si verum fulmen non comparebat, utique opus videbatur fulmine ficto; hoc fingendi munus autem multo commodius relinquebatur mercenario, quin etiam salva religione non poterat suscipi a magistratu, quippe qui inauspicato acturus esset si niteretur signo secundo quod fictum sciret; sed religio salva erat, si magistratus omni observatione omissa, nihil ipse fingens, nuntiationem expectabat quae utrum vera an falsa esset neque poterat scire neque debebat quaerere¹⁾. — Animadvertendum autem est, pullarium, in tabernaculo solum relictum, auspicatum esse quidem, verum pro magistratu, et spectionem qua uteretur non ipsius fuisse, sed a magistratu ei mandatum; itaque hoc mandatum tollebatur, ut primum reddita erat nuntiatio. Idem in auspicio pullario valuisse diximus.

Hodie apud viros doctos sententia pervulgata est, quam iam supra tetigi, totum officium administratorum in auspiciis pertinuisse ad augures, et hos proprie huic muneri destinatos fuisse, ut operam suam praeberent magistratibus auspicantibus; ipsos vero, cum paulatim detractare coepissent hanc curam, in suum locum quidem substituuisse administratos humiliores, mercenarios et pullarios, sed tamen omne ius horum administratorum apud augures remansisse, et hoc iure niti omnem auctoritatem qua in

1) Cfr. Liv. 10. 40. 11: „qui auspicio adest, si quid falsi nuntiat, in semet ipsam religionem recipit: mihi nuntiatum egregium auspicium est“.

auspiciis magistratum uterentur augures. Sic Rubino scripsit (Unters. p. 50): „die Augurn haben die ... Bestimmung ... den Magistraten zur Seite zu stehen, mit ihnen und für sie zu beobachten;“ et ibid. p. 62: „dass in Cicero's Zeit, wo man unter allen herkömmlichen Formen die leichtesten vorzog, selbst in Rom bei den wichtigsten Anfragen Pullarien und andere gewöhnliche Gehülfen die Augurn ersetzten“. Etiam Regell (Jahrb. f. Phil. 1888 p. 382): „da ja thatsächlich, ait, die Augurn oder ihre stellvertreter bei den auspicien an stelle und im auftrage der magistrature die zeichenschau ausübten“. — Ad hanc sententiam probandam unus locus Ciceronis affertur; is enim „*Auspiciis*, ait, *plurimum obsecutus est Romulus. Nam et ipse — urbem condidit auspicato, et omnibus publicis rebus instituentis qui sibi essent in auspiciis ex singulis tribubus singulos cooptavit augures*“¹⁾. Sed argumentum quod ex hoc loco peti possit nullum esse mihi videtur. Nam etiamsi nolim nunc dubitare quin recte Cicero h. l. statuerit augures institutos esse a Romulo, ut in auspiciis ei essent cum institneret omnes publicas res — quamquam de origine collegii augurum longe dissentint alii auctores, ut Livius (2. 18 et 4. 4) qui id a Numa institutum esse tradit — tamen non video quomodo hoc dictum Ciceronis pertineat ad administros regum et magistratum auspiciantium. Nam satis constat, cum reges, tum magistratus tempore liberae reipublicae, antiquis praesertim temporibus, saepe *inaugurato* egisse, i. e. auguribus consultis et iussis respondendi causa auspiciari de aliqua actione quam in animo ipsi haberent; fieri potest ut etiam Romulus de rebus publicis instituendis crebro excitaverit responsa augurn; sic Cicero etiam tradit Hostilium (Tarquinius) „augurio Atti Navii maxima bella gessisse“²⁾; sic Numa traditur ab augure inanguratus esse, i. e. regnum a patribus accepisse postquam de eius regno ex auspiciis respondisset augur consultus, et nos infra alia exempla afferemus; certe quin angures semper haberint ius ex auspiciis respondendi, nemo dubitaverit. Sed cum quaeramus de eis quae a magistratibus *auspicato* gesta sunt, in

1) Cic. rep. 2. 9. 16.

2) Cic. deor. nat. 2. 3. 9.

eis rebus operae ab auguribus praestitae nullum invenimus vestigium, neque hoc dicit Cicero, a Romulo, cum *ipse* auspicaretur, nedum a magistratibus auspicantibus, auxilio adhibitos esse augures. Et multa obstant quominus hoc factum esse sine causa putemus. Primum, ut supra vidimus, mos adhibendi ministri ad auspicia non proprius fuit magistratibus Romanis, sed iam apud Graecos viguit; Tiresias ipse, optimus angur. puerum disciplinae peritum in auspicio habebat; Romae vero etiam privati domi auspicantes administro sibi opus esse putabant. Itaque non hanc ob causam a magistratibus adhibebantur administri, quod ipsi doctrinae reconditae ignari indigerent rectoris cuiusdam cui obsequerentur, sed ut haberent cui imperarent et quocum deliberarent, cum ipsi sacram caerimoniam peragerent. Hoc cum constet, omnis ratio sublata est cur potentes augures, iuris anspiciorum summos interpretes, praefuisse auspiciis magistratuum. Sed omnis dubitatio tollitur, postquam locus Ciceronis supra (pag. 408) allatus — quem locum Rubino, cum eum in scribendo neglexisset, postea in calce sui libri adscripsit, Unters. p. 502, cum iam non posset ex eo corrigere sententiam in libro ab se defensam — et exemplum Atti Navii nos docuerunt, ipsos augures publicos, cum auspicarentur, non minus quam magistratus, usos esse opera hominis alicuius humilioris cui imperarent; hinc maxime apparet, operam administri et consilarii in auspiciis, qua augures carere non possent ipsi auspicantes, ne potuisse quidem recte praestari ab auguribus cum anspicarentur magistratus, neque illud officium constituisse in custodia quadam auspicantibus publice apposita — quali certe augures publicos stolide parere non decebat —, sed in ministerio paullo sordidiore, mercenario, tantum non servili; quod non excludit, aliquam peritiam in administris fuisse requirendam, quemadmodum in scribis, lictoribus, praeconibus. Denique quod iam solum sufficit, Cicero dicit, apud maiores non *augures*, sed *peritos*, a magistratibus esse adhibitos (pag. 409 n. 6). Ob has causas tantum abest ut assentiar coniecturae paullo leviori, quam de hoc munere augurum adversus testimonia scriptorum prodidit Rubino, ut e contrario statuum, a caerimoniis anspiciorum magistratuum sedulo exclusos fuisse augures, neque ullam potestatem immiscendi se eis concessam fuisse

auguribus, et magistratus, quemadmodum in ceteris actionibus publicis exsequerentur suum ius, sic in auspiciis captandis quoque ipsos per se functos esse munere legibus sibi imposito. Huic rei minime repugnat, quod *iudicium* de auspiciis magistratuum ferendum, i. e. de ratione qua illo munere functi essent magistratus, fuit penes collegium augurum, qui aut sponte aut a senatu vocati post rem actam quaestionem habere poterant de eis quae contra auspicia gesta esse viderentur. Quin etiam haec iudicandi potestas auguribus concessa non solum non repugnat sententiae nostrae, sed etiam maxime eam confirmat. Nam si verum esset auspicia a magistratibus iure non potuisse captari nisi *per augures* aut per eos quos in suum locum substituissent augures, confitendum esset augures, de auspiciis magistratuum quaestionem habentes, quaesituros fuisse de rebus per ipsos gestis, quas ipsi comprobassent, quarumque ratio ab ipsis potius quam ab aliis esset repetenda, quod sane parum credibile videtur. Ex. gr. fieri non potuisset ut magistratus aliquis, qui iam multos menses honore fungeretur, ab auguribus vitio creatus esse declararetur propter prodigia quaedam — cuius rei supr. p. 234 sq. multa exempla collegi —, cum manifestum esset, si augures praefuissent auspiciis magistratum, auspicia quibus creatus esset is magistratus recte se habere, quippe quae captata et comprobata essent per ipsos augures vel mandatarios eorum.

§ 2. DE OBSERVATIONIBUS OBNUNTIANDI CAUSA HABITIS A MAGISTRATIBUS QUI SPECTIIONEM HABENT ET A PRIVATIS AUT MAGISTRATIBUS SPECTIIONE CARENTIBUS.

I. Primum agemus de obnuntiatione universa, exceptis duabus partibus, quarum altera pertinet ad *comitia* et *concilia*, altera ad *augures*.

Obnuntiatio est omnis nuntiatio auspicii infausti, quod se quaesivisse aut vidisse declarat aliquis, quo magistratum aliquem publice acturum aut agentem prohibere conatur quominus agat, cum ad eius actionem hoc auspicium pertinere dicat. Magistratus, si hanc nuntiationem auspicii adversi *accipit* eique *fidem habet* (quatenus autem ei fidem habere *debuerint* magistra-

tus, quatenus id ex ipsorum arbitrio pependerit, postea exponemus), actionem differre cogitur, quia, si eo die ageret, inauspicato esset acturus. Quod primum valet de eis actionibus, de quibus ipse iam antea auspicia consuluerat et laetum auspiciū acceperat; magistratus facere non potest, si accepit nuntiationem, quin plus tribuat huic auspicio adverso nuntiato, quam auspicio secundo quod ipse antea observarat, si quidem auspiciū nuntiatum suapte natura aut parem habet vim atque illud, aut maiorem. Causa huius rei est in ordine quo ab eo accepta sunt auspicia. Doctrina auguralis enim iubebat eum qui complura auspicia accepisset inter se repugnantia, sequi aut id quod maiorem vim haberet ¹⁾, aut, si similis esset vis, id quod posterius cognovisset, reiectis prioribus ²⁾. Itaque *vitium* ei faciebat nuntiatio accepta; vis auspicii laeti non poterat perseverare, et interrupta ei excidebat; ipsius auspiciū *vitiatum* esse dicebatur, eodemque vocabulo etiam *dies* et ipsa *actio* vitiatā esse dici poterant ³⁾. Quatenus autem doctrina auguralis magistratibus

1) Vid. supr. Muem. XVII p. 420, 7°. — 2) Serv. Aen. 12. 188: „in auguriis prima posterioribus cedere“; efr. id. Aen. 2. 691: „nam si dissimilia sunt posteriora (auguria), solvantur priora“. — 3) Mess. ap. Gell. 13. 15. 4; Fest. p. 214. — Quomodo „vitium“ saepe quidem arctiore sensu usurpatum ad auspicia referendum est (Cic. div. 1. 16. 29: „vitio navigare“; praeterea „vitio creatus“; efr. „vitiatus“ Liv. 8. 23. 14, Cic. Phil. 5. 3. 9), sed tamen quod nemo nescit multo crebrius etiam servat significationem ampliorem, sic diligenter nobis cavendum est ne putemus verbum „vitiare“ semper referendum esse ad auspicia, cum aut dies aut actio publica vitari dicatur. Saepē hoc verbum ad alia omnia pertinet (Liv. 3. 55. 13 „vitiare Sen. Cl.“; 8. 40. 4 „vitiare memoriam“). Quin etiam, si de auspiciis sermo est, scriptores latini id diligenter indicare solent addito ablativo „auspiciis“. Sic Cicero (Phil. 2. 33. 80) scripsit: „comitia auspiciis vel impedire vel vitiare“, caveus ne scriberet „comitia vel auspiciis impedire vel vitiare“, quod ambiguum esset, quia etiam intercessione vitari possent comitia. „Vitiare diem“ est „diem inutilem facere ad aliquam rem“, et idem valet quod „tollere“ aut „eximere“. Dies autem tolli aut eximi potest eam aliis rebus, tum vero etiam auspiciis; quod si auspiciis fit, ablativus additur; efr. Cic. dom. 17. 45: „diem tollere auspiciis aut exensatione“; Qu. fr. 3. 3. 2: „dies tollere ubnantiativibus“; e contrario nihil ad auspicia pertinent hi loci: Cic. leg. 3. 18. 40 „tollī diem (scil. loquendo)“, Qu. fr. 2. 6. 4 „dies comitiales exemit omnes (scil. instauratione latinarum et supplicationibus)“, Cic. fam. 8. 1. 1: „comitiales dies eripere omnibus rationibus“. Sic etiam dies dici potest *vitiari* non solum auspiciis, si additur vel intellegitur hoc vocabulum, sed etiam aliis rebus, ex gr. si tribunus pl. iurisdictionem praetoris tollit indicta concione (Aur. Vict. v. ill. 73. 1), dies praetori *vitiatur* sine ulla auspiciolorum ope. Itaque loco Ciceronis qui est Att. 4. 9. 1 („sane valim scire num ceusum impediānt tribuni diebus vitandis“), *diebus*

copiam dederit *renovandi auspicii vitii*, ut instaurata tota caerimonia auspicandi experirentur num forte auspiciū nuntiātum rursus vinci posset novo auspicio impetrato, difficile dictu est. In universum satis constat, etiam *vitia* et auspicia *adversa*, si priora sint, cedere auspiciis secundis quorum vis aut eadem aut maior sit, postea acceptis¹⁾. Sed tamen in obnuntiatione nullum vestigium huius rei comparet. Quod fortasse satis explicatur his duabus rationibus; primum quod obnuntiatio interponi solebat tum ipsum cum agendum esset, neque tempus superesset quo instauraretur auspiciū; deinde quod inutilis futura erat instauratio si nuntiātum erat auspiciū adversum quod maiorem vim haberet, aut si is qui semel obnuntiasset ipse quoque iterum vitiare conaturus erat nova auspicia. —

vitiandis nihil aliud est quam *tollendis*, neque necesse est eum locum referre ad auspicia et obnuntiationem. — 1) Hoc imprimis crebro cernitur in auspiciis quae ex extis petebantur. Nam non solum Romani semper, si quid vitii in extis inventum erat, *per aliquot dies proximos* continuare solebat immolationes victimarum, ut tandem si fieri posset impetraretur pax deorum utque non tolleretur quidem sed tamen levaretur vis mali omnis (cfr. Gell. 4. 6. 6: „si primis bestiis litatum non erat, aliae post eandem ductae bestiae caedebantur“; Liv. 27. 23: „Consules non facile litabant . . . per dies aliquot hostiae maiores sine litatione caesae, diuque non impetrata pax deum“; Liv. 6. 1. 12: „non inventa pace deum post diem tertium“; Liv. 41. 15: „senatus usque ad litationem sacrificari iussit“; Gell. 4. 6. 2; Plaut. Poen. 2. 41), sed etiam auspiciū adversum, quod ex extis acceptum erat, *eodem die* ita poterat vinci novo sacrificio, ut eo die etiam auspiciato agi posset. In sacris domesticis sacerdotum, quorum actiones facile differri poterant, leges severiores de ea re valuisse videntur; licebat *semel* tantum instaurare auspiciū, et immolari debebat bestia feminea (Serv. Aeu. 8. 641: „in omnibus sacris femineae plus valent victimae; denique, si per marem litare non possent, succidaneae dabatur femina; si autem per feminam non litassent, succidaneae adhiberi non poterat“); sed magistratus in rebus gerendis, militiae imprimis, ubi saepe differri non poterat discrimen, etiam ex quilibet sacrificiis excitare conabantur novum responsum deorum (cf. Cic. div. 2. 15. 36: „proxima hostia litatur saepe puleberrime“; Liv. 41. 15: „consul se tribus bobus perlitasse negavit“; Soet. Aug. 96: „sacrificio non litante, cum augeri bestias imperasset“), quamquam, ut videtur, haec latio, si coacta erat, non utique sufficiebat ad tollendam vim auspicii adversi. — Praeterea vero in aliis auspiciis quoque apparet, auspiciū adversum vinci posse auspicio secundo posteriore, eo enim pertinet quod supra diximus, tabernaculum secundum et tertium capiendum fuisse magistratibus auspicantibus si primum vitio captum esset (pag. 243—246). — Fulmen solum, si adversum erat, eam ob causam non poterat vinci novo auspicio secundo, quia nullum auspiciū habebat vim fulmini parem. Sed etiam auspiciū pullarium, si adversum erat, non videtur eodem die potuisse instaurari, cfr. supr. pag. 412 n. 1.

Deinde vero id quod diximus, actionem differendam fuisse si nuntiatio accepta esset, valet etiam de eis actionibus, de quibus auspicia consulta *non* essent ab eo qui acturus esset; hae actiones quoque *vitari* potuerunt obnuntiatione quae acciperetur. Neque mirum hoc est; primum ipsa ratio demonstrat et multa exempla probant, etiam actiones de quibus auspicia non consulenter potuisse turbari auspiciis *oblativis*, cum dei non rogati rem sibi displicere ultro ostenderent ei qui acturus esset, atqui huiusmodi auspicia etiam a quolibet alio observari et nuntiari potuisse manifestum est; deinde etiamsi de aliqua actione auspicia non consuluerat is qui acturus erat, nihil obstabat quominus de ea actione alius tamen quaereret auspiciam adversum et de eo admoneret eum qui acturus erat. Sic novimus, tribunos plebis concilium habituros, quamvis ipsi de ea re auspicia non impetrarent, tamen ab initio a magistratibus potuisse admoneri de fulmine observato, eosque numquam non *ultro* accepisse has obnuntiationes, et distulisse concilia indicta ¹⁾. Hoc exemplum satis probat, ad omnes actiones etiam quae sine auspiciis fierent ab aliis quoque magistratibus, a quolibet referri potuisse auspiciam aliquod adversum quod observarat, et his actionibus quoque potuisse obnuntari.

Iamvero quaerendum est, quatenus obnuntiationem accipere *debuerint* magistratus. Cum satis constet, non cuilibet fuisse potestatem pro arbitrio prohibendae actionis cuiusvis publicae, sed paucis tantum hanc potestatem fuisse, et eis quidem quorum *ius* obnuntiandi non posset in dubium vocari, cum tamen manifestum sit, quemlibet, etiamsi *iure* careret, potuisse adire magistratum qui acturus esset eumque admonere de auspicio quod vidisset, quod ex animi sententia ad eius actionem pertinere persuasum haberet, neque minus manifestum sit, magistratus si huic admonitioni fidem habendam esse putarent potuisse ultro accipere nuntiationem et *religioni* cedere et actionem propositam aut initam ultro differre, necesse est duo genera distinguamus obnuntiationis, quorum alterum recte dixerimus obnun-

1) Cic. Vat. 7. 17: „num quem post urbem conditam scias tribunum pl. egisse cum plebe, cum constaret servatum esse de caelo?“

tiationem iniustam, non cogentem, religione sola nitentem, alterum vero obnuntiationem iustam sive cogentem. Haec igitur, quam cogentem diximus, neglegi non poterat a magistratu qui acturus erat, sed tollebat eius ius agendi, vitiatque eius auspiciam etiam cum ipse nollet; haec sola, si neglegebatur, efficiebat ut contra auspicia (inauspicato) acturus esset magistratus. Quaerendum nobis est, primum ad quasnam *actiones* pertinuerit haec obnuntiatio, deinde, ad quosnam homines. Utrum eae actiones solae prohiberi potuerunt obnuntiatione cogente, quae *auspiciis consultis* gererentur, an omnes? De ea re ne multa disputem, satis habeo unum argumentum attulisse, quod quamvis petatum sit e ratione conciliorum plebis de quibus postea suo loco agam, tamen ad universam obnuntiationem valet et in hac re sufficit. Constat enim, tribunum plebis qui concilium habiturus esset, potuisse obnuntiatione cogi a reliquis tribunis plebis et ab auguribus, ab eo tempore (a. 449) quo primum hanc ipsam ob causam spectio data erat tribunis plebis; constat ab eo tempore plebiscita potuisse *vilio fieri*, et magistratus plebeios potuisse *vilio creari*¹⁾, quamvis semper sine auspiciis haberentur concilia. Apparet igitur, etiam in actionibus quae sine auspiciis impetritis fierent, valere potuisse obnuntiationem cogentem. Hinc sequitur ut statuamus, omnes actiones etiam levissimas, eas quoque quae sine auspiciis fieri solerent a magistratibus patriciis, obnoxias fuisse obnuntiationi cogenti. Distinguendum igitur est inter ea quae sine auspiciis fiunt, quae nihilominus deis probata esse possunt, et ea quae fiunt contra auspicia, quae fiunt deis nolentibus. Neque quin haec recte distinguamus prohibemur vi ancipite vocabuli „inauspicato”, cuius vis numquam obscura est, modo teneamus, in malam partem id semper adhiberi. *Inauspicato* facta esse partim dicuntur ea quae fieri oportebat auspiciis consultis, si auspicia omissa aut vitiosa sunt, veluti lex²⁾, aut transgressio fluminis³⁾, aut aliae res⁴⁾; ita hoc vocabulum significat, ea sine auspiciis

1) Liv. 10. 47. 1; 30. 39. — 2) Quia legem sine auspiciis ferri fas non erat, plebiscitum vero sine auspiciis recte fiebat, ideo Livius (7. 6. 11) plebiscitam dixit: *legem inauspicatam*, ut ostenderet plebiscitum non esse legem. — 3) Cic. div. 1. 17. 33. — 4) Liv. 5. 38. 1; 45. 12.

iustis facta esse; partim vero inauspicato facta esse dicuntur ea quae recte agi poterant sine auspiciis, veluti concilium plebis; tum idem vocabulum declarat, id concilium contra auspicia habitum esse, quod spreta aut elusa esset obnuntiatio cogens. Anno 187, cum C. Minucius Augurinus tr. pl. multam irrogasset L. Scipioni Asiatico, eumque in concilio damnatum in vincula ducturus esset quod praedes non daret, P. Scipio Africanus frater condemnati appellavit tribunos, quod contenderet „*contra leges contraque morem maiorum tribunum plebis hominibus accitis per vim inauspicato sententiam de eo tulisse*”. P. Scipio igitur contendebat, concilium illud non fuisse recte habitum, quod aut augur admissus non esset, aut tribuni plebis qui obnuntiare possent non iusto tempore certiores facti essent, denique quod obnuntiatio elusa esset. Tribuni plebis quidem mox iudicaverunt illud concilium plebis recte habitum fuisse, neque intercesserunt ¹⁾; sed tamen apparet hoc crimen etiam cadere in concilia plebis, et id male inauspicato fieri potuisse, quod idem recte sine auspiciis fieret ²⁾. Sed etiam aliunde constat, magistratibus *nihil* gerere licuisse contra auspicia, cum tamen multa sine auspiciis recte fierent ³⁾. De omnibus actionibus igitur omnium magistratum, etiam quae ad auspicia nihil pertinere viderentur, ab auguribus qui auspiciis praeerant ⁴⁾ postea cognosci potuit, num forte *inauspicato* gestae essent, i. e. aut spreta obnuntiatione cogente aut neglectis ritu et temporibus constitutis quo fieret ut eluderetur obnuntiatio cogens. Hanc ob causam Livius dixit (adn. 3), ex ea lege qua nihil belli aut domi nisi auspicato gereretur, ingentem honorem accessisse sacerdotio augurum; neque minus clare loquitur Cicero ⁵⁾. Praeterea vero haud dubium est quin ei, qui in magistratu sprevisset obnuntiationem cogentem, postquam magistratu abiisset,

1) Gell. 6. 19. 5. Cfr. Liv. 38. 56 sq. — 2) Loco Gelli non abuti debuerat Lange (de leg. Ael. et Fuf. Comm. p. 30, Kl. Schr. 1. p. 314 n. 6), ut ex eo demonstraret relictis certissimis auctoribus, tribunos usos esse auspiciis impetritis. — 3) Liv. 1. 36. 6: „auguribus certe sacerdotioque augurum tantus honos accessit, ut *nihil* belli domique postea nisi auspicato gereretur”. — 4) Cic. deor. nat. 1. 44. 122. — 5) Cic. leg. 2. 12. 31: „*nihil* domi, *nihil* militiae per magistratus gestum sine augurum auctoritate posse cuiquam probari”.

potuerit perduello iudicari¹⁾, quidquid fuit quod inauspicato gesserat. — Superest ut videamus de personis quibus fuerit ius obnuntiandi. Obnuntiatio quam iure valere diximus (si etiam nunc *augures* excipimus), nitatur necesse est *spectione* quam, habeat is qui obnuntiat; i. e. certo iure auspicandi de illa actione aliena cui obnuntiat; nam ius auspicandi, quantum non ad agendum sed ad nuntiandum adhibetur, nihil aliud est quam ius quo quis possit postulare ut sibi fides habeatur de signo adverso quod se quaesivisse et ad actionem alienam rettulisse dicit, ut supra (p. 255) diximus; ius nuntiationis cogentis est ipsa *spectio* adhibita ab eo qui non ipse acturus est, et obnuntiatio non cogens est omnis obnuntiatio interposita ab eo qui *spectione* careat. Atqui cum omnis *spectio* pendeat ex iure agendi, necesse est hi, quibus sit ius auspicandi de certa quadam actione *aliena*, ipsi quoque habeant ius peragendae illius actionis si forte sibi placeat, et ius de ea auspicandi tamquam de actione *sua*; necesse est, hi ius agendi commune habeant cum eo qui acturus est, siquidem *spectionem* communem habent. Hoc autem in collegas solos cadere manifestum est, cum ei ipsi collegae dicantur, quibus ius agendi commune sit. Apparet igitur obnuntiationem cogentem in omnibus magistratuum actionibus (excepto toto genere comitorum et conciliorum, cuius rationem mutavit lex specialis, de quo postea agam) non longius pertinere potuisse quam ad collegas eius qui semper acturus erat, cum maioris et minoris tum parvis potestatis. Atqui hoc ipsum confirmatur auctoritate Messallae auguris; is dicit, censores non potuisse turbare auspicia consulum, quia collegae consulum non essent; idem cadit in aediles, in quaestores; neque magis censores, neque tribuni plebis (quos Messalla non memorat quia egit de auspiciis magistratuum patriciorum, quorum nobis tamen ratio habenda est quia ne his quidem contra auspicia agere licebat quamquam omnia sine auspiciis agebant) obnoxii sunt obnuntiationi cogenti consulum et praetorum; obnuntiationem cogentem in omnibus rebus (praeterquam in comitiis et conciliis) consules praetores-

1) Crimen neglecti auspicii potuisse vindicari iudicio populi, ostendant Schol. Cic. p. 337; Cic. div. 2. 33. 71; deor. nat. 2. 3. 7.

que habent nullam nisi inter se, nullam censors nisi inter se, itidem tribuni plebis; aedilibus, si umquam eis obnuntiatum est, ab aedilibus tantum, quaestoribus a quaestoribus tantum *iure* potuit obnuntiarī¹⁾. Omnis obnuntiatio quae praeterea interponitur ab aliquo qui collega non est eius qui acturus est, veluti a tribuno plebe aut quaestore adversus consulem, a cive privato aut sacerdote aut milite adversus magistratum, a consule adversus censorem, *iure* irrita est quia spectatione non nititur, neque per se vitiat auspiciū alienum, et *religione* tantum valere potest si eius rationem habere vult is cui obnuntiat²⁾. Ob eam causam is qui iniuria spernit obnuntiationem cogentem collegae sui, dicitur „collegam suum pro privato habere”, quia ei abnegat ius collegae, i. e. spectationem communem³⁾. — Sed tamen etiam obnuntiationi cogenti collegarum positi sunt certi fines. Facile mihi concesserit quispiam, non omnes actiones magistratuum potuisse prohiberi obnuntiatione cogente ne a collegis quidem. Atqui de hac re quoque assentitur Messalla, qui affirmat, censors inter se, itidemque ceteros collegas inter se, non solum *vitiare* auspicia (collegarum), sed nonnumquam etiam *obtinere*, i. e. integra servare (sua auspicia) (vid. n. I). Omnes actiones autem a vi obnuntiationis cogentis collegarum tutae ac liberae fuerint necesse est, quarum ius aut mutuo consensu, i. e. sorte aut comparatione, aut vero lege et iussu publico, reliquis collegis ademptum, uni attributum esset; spectio enim semper sequitur ius agendi. Itaque hoc accedit ad id quod modo diximus definiendum; obnuntiatio cogens non solum non longius pertinet quam ad collegas, sed etiam eatenus tantum inter collegas valet, quatenus ius agendi divisum non est; vis omnis obnuntiationis quae interponitur a collega,

1) Mess. ap. Gell. 13. 15. 4: „ideo (quod collegae non sunt) neque consules aut praetores censoribus, neque censors consulibus aut praetoribus turbant aut retinent auspiciis: at censors inter se, rursus praetores consulesque inter se, et vitiant et obtinent”. — 2) Exemplum obnuntiationis non cogentis praebet Cic. div. 1. 16. 29 sq.; talis fuit obnuntiatio quam adversus Crassum consulem a. 55 ex urbe proficiscentem edidit C. Ateius Capito tr. pl., quae *religione* valida habenda fuisse postea multis visa est, sed tamen *iure* irrita fuit neque in urbe retinuit consulem. — 3) Cic. Vat. 7. 16: „collegas (tribunos pl.) habuisti viros fortes navem. Ex eis tres erant, quos tu quotidie sciebas servare de caelo, quos irridebas, quos privatus esse dicebas”.

cui sorte vel alia ratione ademptum est ius agendi, *iure* rursus nulla est et pendet ex arbitrio eius qui acturus est. Veluti si duo consules in eisdem castris rem gerentes imperium ita dividerunt, ut alternis diebus alterutri imperandum sit, is penes quem imperium non est etiam caret spectione ¹⁾; quodsi nihilominus collegae suo actionem aliquam paranti obnuntiare conatur, ea obnuntiatio *iure* non plus valet quam nuntiatio aliqua auspicii adversi a milite aut quaestore temere illata, etiamsi verisimile est plus ei tributurum esse eum qui acturus est; sed tamen huic, quia eo die solus spectionem habet, libera optio relicta est, utrum velit persequi suum ius, spreta obnuntiatione iniusta, an forte malit religioni obnuntiationis iniustae ultro obtemperare ²⁾. Eodem modo si censores inter se sortiti sunt, uter lustrum faceret (cfr. Varr. l.l. 6. 87), is cui ius lustrum faciendi et spectionem in ea re ademit sors, non potest iure lustrum obnuntiatione prohibere. Sic neque praetori qui accepit certam provinciam (veluti Siciliam — nisi forte in eandem provinciam missus est consul — aut iuris dictionem inter cives), obnuntiare potest consul, neque consuli penes quem fasces sunt domi obnuntiat collega. — Sed ad quaestionem difficillimam, quatenus semper inter collegas paris et imparis potestatis divisa fuerint ius agendi et auspiciam, quatenus vero et in quibusnam rebus communis manserit spectio, h. l. non aggrediemur. Satis habemus monuisse, etiamsi statuendum sit, Romanos in universum sedulo cavisse ne in multis rebus maneret spectio communis, eosque longe maximam partem officii magistratuum cum militaris tum imprimis domestici diligenter ita inter colle-

1) Divisione iuris agendi, quae sorte inter collegas fiat, simul etiam ita dividi auspiciam, ut alteri *adimatur*, alteri *maneant*, ostendunt verba Livii (28. 9. 10): „quoniam eo die quo pugnatum foret, M. Livii forte auspiciam fuisset“. Hic locus probat, eo die quo imperium esset penes M. Livium, eius collegam C. Claudium etiam caruisse spectionem. Hoc loco imprimis nitantur omnia quae eum supra (Mem. XVII p. 439—443) tam in hac parte quaestionis meae exposui, quibus demonstrarem spectionem pendere ex iure agendi. — 2) Exemplum obnuntiationis a collega iure agendi et spectione carente interpositae, cui quamvis *iure* infirma esset nihilominus religionis causa obtemperavit magistratus, praebet Liv. 22. 42. 8: „Paulus, cum ei sua sponte cunctanti pulli quoque auspicio non addidissent, nuntiarum iam effarenti porta signa collegae (Varroni, cuius eo die imperium erat, cfr. c. 41. 3) inessit. Quod quamquam Varro aeger est passus, Flaminius tamen recens casus — religionem animo incusavit“.

gas distribuisset ut exigua his maneret copia impediendi inter se et obnuntiandi, tamen cum domi tum militiae id accidere potuisse, ut actionis alicuius potestas penes duos aut plures collegas simul esset. *Domi* hoc nonnumquam accidisse constat auctoritate Messallae, qui dicat (p. 424 n. 1) *censores* non solum inter se obtinuisse, sed etiam nonnumquam vitiavisse auspicia; hoc dictum probat, non *omnia* quae a censoribus agi deberent, sorte alterutri esse commissa, sed nonnulla communia remansisse. Militiae vero paulo crebrius id accidisse videtur, ut collegae aut paris aut imparis potestatis haberent speculationem communem. Quid autem in ea re intersit inter parem et impari potestatem, facile dispicitur. Nam si res agitur inter collegas paris potestatis, is qui primus actionem inire animum induxit (nam actio etiam huiusmodi, cuius potestas penes complures sit, tamen ab uno geri solet), a collegis prohiberi potest, et ab arbitrio collegarum pendet num velint eius auspiciis nuntiatione vitiare; sin vero inter collegas imparis potestatis, collega maior non solum habet potestatem vitiandi auspicii alterius si is agere coepit, sed etiam pro iure maioris imperii interdicere ei potest ne ipse obnuntiandi causa auspicia adversa caperet neve captata nuntiet; collega minor igitur speculatione sua uti non potest invito altero neque ad agendum neque ad impediendum. Itaque in pari potestate si spectio communis est, potestas obnuntiandi aequae stat ab utraque parte, in impari vero ab una parte tantum¹⁾. Ea res, quae minime dubia est, confirmatur duobus exemplis, quorum alterum praebet locus Valerii Maximi (2. 8. 2): „*age deinde, inquit Calatinus, si diversa auspicia accepissetis (consul et praetor), cuius magis auspicio staretur? Item, respondit Valerius, consulis*”. Hic locus pertinet ad res anni 241; J. Lutatius consul et Q. Valerius Falto praetor provinciis non divisim classi una praefuerant ad littora Siciliae; quod imprimis

1) Idem valet in comitiis et conciliis, praeterquam quod eorum ratio ita differt ab reliquis actionibus, ut non penes *collegas solos*, sed penes *omnes magistratus* sit spectio communis; in comitiis et conciliis igitur pares potestates sibi invicem obnuntiant, maiores potestates vero et tribuni plebis ipsi quidem obnuntiant reliquis magistratibus, sed sibi ab his obnuntiari non semper petiuntur. Cfr. Gell. 13. 15. 1: „*in edicto consulum, quo edicunt quis dies comitiis centuriatis futurus sit, scriptum esse veteri forma perpetua: ne quis magistratus minor de caelo servasse velit*”.

animadvertendum est, verba allata clare ostendunt utriusque fuisse auspicium, neque dubium fuisse quin praetori quoque liceret agendi causa de rebus gerendis suo iure auspicari, itaque longe alius fuit status rerum quam qui describitur a Livio 28. 9. 10, pag. 425 n. 1, et 22. 42. 8, supr. p. 425 n. 2, ubi alter consul carebat auspicio propter divisionem iuris agendi. Quo die pugnatum erat, consul aegrotans in lectica iacuerat, et omnibus partibus imperatoris functus erat praetor. Nihilominus, cum praetor postea contenderet, sibi quoque permittendum esse ut una cum consule triumpharet¹⁾, ei que repugnaret consul qui *solus* ante illum triumphare volebat, iudex privatus quem ceperant litigantes pronuntiavit adversus praetorem, postquam eum concedere coegerat, in illa pugna non solum imperium consulis maius fuisse quam praetoris, sed etiam (illis verbis quae attuli) illius auspicia fuisse magis rata, quia „si diversa auspicia accepissent, futurum fuisset ut magis staretur auspicio consulis”. Hoc autem ut referamus ad *ius nuntiationis*, praetori pro iure maioris imperii a consule *ademptum*, necesse videtur. Nam si praetori fuisset copia nuntiandi, fieri non posset ut utique vinceret auspicium consulis, sed illud auspicium semper vicisset quod esset tempore posterius, i. e., quod esset nuntiatum (vid. p. 418 n. 2); nam per se auspicia utriusque, cum niterentur eodem iure auspicandi²⁾, idem valebant. Quodsi nihilominus constat, auspicia consulis non potuisse vitari nuntiatione praetoris, apparet consulem, si forte ipse agere voluisset, praetori interdicere potuisse et interdicturum fuisse ne sibi obnuntiaret. — Alterum exemplum praebet Cato, cuius dictum, quod ex eius libro de re militari servavit Festus, huiusmodi

1) Val. Max. dicit, eum „sibi quoque triumphum decerni desideravisse”. Sed hoc non abnegatum est praetori, is enim revera paucis diebus post consulem triumphavit. Res clara fit, si conferimus ea quae tradit Livius 28. 9. 10; consulibus aui 207 ambobus triumphum decreverat senatus, sed inter ipsos convenit ut M. Livius primum quadrigis vectus urbem iuret cum militibus, deinde C. Claudius equo sine militibus inebretur. Nunc quoque igitur triumphus utriusque, consuli et praetori, decretus erat; sed consul postulabat ut ipse *solus* et *primus* triumpharet, utque praetor minore honore contentus postea urbem intraret, praetor vero honorem aequandum esse contendeat; de hac re inter *ipsum* convenire debebat, et cum neuter concederet, iudicem privatam ceperunt qui decerneret. — 2) Cfr. Liv. 7. 1. 6: „praetorem — collegam consulibus atque eisdem auspiciis creatum”.

est: „cum magistratus nihil audent imperare, ne quid consul auspicii peremat (= vitiet)”¹⁾. Hic locus referendus est ad res quas Cato ipse consul anno 195 in Hispania gessit, quas memoriae servavit Livius (34. 9—22). In Hispania tum erant „duo praetores, consul, tres exercitus Romani”, ut ait Livius c. 13; his tribus exercitibus Cato ipse in Turdetania aliquamdiu praefuit (Liv. c. 17. 1 et c. 19). „Magistratus” illi igitur quos dicit Cato, fuerunt P. Manlius et Appius Claudius, qui tum cum eo rem gesserunt in provincia eadem²⁾. Itaque Cato dicit, hos praetores aliquando, et id quidem, ut videtur, aut in magno aliquo et subitario discrimine rerum, aut fortasse cum allatus esset nuntius motus hostilis remotioris qui ut illuc auxilium ferretur postulare videretur (licet fortasse huc referre quod tradit Livius 34. 20. 1, Lacetanos depopulatos esse agrum sociorum, dum consul exercitusque Turdulo bello essent occupati) ausos non esse ex ipsorum sententia rem gerere (fortasse: sociis opem ferre) quia consul adesset cuius maior esset potestas et magis ratum auspicium, qui nuntiatione auspicii adversi posset vincere et vitare ipsorum auspicia, et hoc modo tollere eorum ius

1) Fest. p. 214: „peremere Cineius in libro de verbis praeis ait significare idem quod prohibere: at Cato in libro qui est de re militari pro vitare usus est, cum ait: cum magistratus nihil audent imperare, ne quid consul auspicii peremat”. —
 2) Verba Catonis ad res urbanae et ad observationem *auspicii coelestis* qua comitia impedirentur rettulit Mommsen (Staatsrecht I p. 108 n. 1): „der Quaestor z. B., ait, wagt eine Amtshandlung, die das servare de eselu zur Voraussetzung hat, nicht vor zu nehmen, weil er befürchtet, damit eine von dem Consul beabsichtigte Amtshandlung zu stören”. — Sed, nisi fallor, hoc non sufficit, quia magistratus non dicuntur metuere ne ipsi vitient, sed ne consul vitiet; praeterea, si consul volebat sibi obnuntari, licebat ei vetare auspicari magistratus minores, ut supra diximus, p. 426 n. 1. — Regell (Auguralia, N. Jahrb. für Phil. 1888 p. 380), cum ceteroquin assentiatur viri d. Mommsen, pro *imperare* legendum esse censet *impetrare*, cui idcirco obsequi nolim, quia magistratus nihil habuisse credam ear ferre non possent se aliquando frustra auspicari. — Mihi manifestum videtur hoc dictum pertiuerit ad rem militarem, quia de ea egit Cato in illo libro; rei militari etiam magis quam rebus domesticis quadrat illud *imperare*, quod supplendum videtur vocabulo „militibus” aut „exercitibus”. Atqui si in castris et bello res versatur, ei quos ex more antiquo „magistratus” dixit Cato, praetores fuerint necesse est. Saepae autem accidit ut unus praetor eam consule in eadem provincia rem gereret (veluti in Sardinia a. 177 et 176); sed in ea re de qua Cato agit, eorum duos minimum affuisse apparet. Hoc ipsum eum factum esse noverimus a. 195 in Turdetania, neque unquam praeterea facile accidere potuerit ante mortem Catonis, nemo concedere dubitabit, opinor, illud dictum referendum esse ad res eius anni.

agendi, eosque hanc ob causam expectavisse dum scirent, quid visum esset consuli. — Itaque hic locus quoque ostendit, vitari non potuisse auspicia maioris potestatis a potestate minore, quamvis provinciae non essent divisae et communis esset spectio. Nam si praetores potuissent pro arbitrio uti iure obnuntiationis cogentis (quo per se minime carebant), necesse fuisset ut ipse Cato quoque „nihil auderet imperare ne quid praetores auspicii peremerent”; apparet igitur hoc ius eis ademisse consulem pro iure maioris imperii.

II. Postquam vidimus de ratione universa obnuntiationis, pauca addimus de natura auspicii adversi quod nuntiari possit.

De tribus generibus auspicioꝝ, quae impetrata, oblative quaesita, fortuito conspecta fuisse supra diximus (Mnem. XVII 427 sq.), genus unum, et id quidem quod primo loco posui, ab observationibus obnuntiandi causa factis totum excludendum est; signa impetrata inutilia sunt obnuntiantibus, quippe quae semper prospera sint (Mnem. XVII p. 425 et 433). Supersunt igitur duo genera, auspicia quaesita et fortuito oblata. Quod interest inter haec duo genera, partim repetendum nobis est ex consiliis et voluntate eius qui observat (cfr. Mnem. XVII p. 419), partim ex ipsa specie. Manifestum est, auspiciuꝝ aliquod tum solum esse fortuito conspectum, si is qui observat nihil ipse facere cupiit ad excitandum auspiciuꝝ et perscrutandam voluntatem deorum, sed alia omnia agens de improvise incidit in rem qua dei se admonere videantur; quaesitum contra est omne auspiciuꝝ quod apparuit ei qui iam antea voluntatem habuit observandi. Is autem qui habet voluntatem observandi, auspicatur, sive certas caerimonias adhibet, veluti ex pullis vel ex extis vel de caelo auspicans, sive auspicatur sine ulla caerimonia sollempni, ex signis oblativis qualibetlibet, auspicari enim idem est quod quaerere auspiciuꝝ; is vero qui in observando caret voluntate observandi, non auspicatur, sive, quod idem est, observat auspiciuꝝ fortuito oblatum. Auspiciuꝝ fortuito oblatum autem verum sit necesse est; nam qui caret voluntate observandi, fingere nihil potest; qui auspiciuꝝ fingit, utique auspicatur, sive adhibitis caerimoniis sive omissis. — Quod autem pertinet ad speciem, sic quoque mul-

tum interest inter auspicia adversa quaesita et fortuito conspecta. Auspicioꝝ fortuito oblatoꝝ ingens copia est et summa varietas. Excludenda sunt auspicia ex pullis et ex extis, quae fortuito oblata esse non possunt. Sed eo pertinent primum omnia fulmina quae (si a ratione comitioꝝ discesseris) sinistra non sunt, nempe dextra (occidentalia), antica (meridionalia), postica (septentrionalia); deinde permulta avium genera, noctuae, bubones, corvi (supr. p. 252 n. 1), multa alia; praeterea omnes res quae dirae dici solent, omnia ostenta adversa, quidquid mali ominis esse putatur. Quin etiam dubium non est, quin nullum fere sit signoꝝ illorum, quae tamquam prodigia a Romanis umquam observata sunt, quorum tam magna et varia copia nobis servata est in libris Livii, Iulii Obsequentis, Valerii Maximi, alioꝝ, quod non idem pro auspicio fortuito oblato haberi et nuntiari potuerit, si forte, opportuno tempore observatum, in animo observantis coniungeretur cum actione quae a magistratu parabatur. Nihil aliud enim interest inter prodigium et auspiciuꝝ, quam quod res quae mali ominis esse videtur, imprimis si ad universum statum reipublicae refertur et senatui nuntiatur, prodigium dicitur, sin vero refertur ad actionem magistratus, auspiciuꝝ; de hoc discrimine decernitur in animo eius solum qui observat (cfr. Mnem. XVII p. 418 sq.). C. Flaminio consuli a. 217 dirae quaedam oblatae sunt, quarum religioni ei obsequendum fuisse censent auctoꝝ nostri (vid. Val. Max. 1. 6. 6, Cic. nat. deor. 2. 3. 8). Hae dirae, quas Cicero (div. 2. 31. 67) appellat „Flaminiana ostenta”, dici potuerunt prodigia (cfr. Val. Max. l. l., quamquam is rectius eiusmodi signa *omina* dicit in titulo libri), sed recte etiam a Cicerone dicuntur auspicia¹⁾; haec partim Flaminio ipsi obvenerunt, partim ei *nuntiata* sunt²⁾. — Sed haec omnia in altero genere auspicioꝝ, inter auspicia quaesita, locum habere non posse, manifestum videtur. Qui auspiciuꝝ adversum quaerit, adhibere solet unum ex modis auspiciandi usitatis; pullos consulit; ex extis auspiciuꝝ petit si fieri potest

1) Cic. div. 2. 8. 21: „num id fatum vitari potuit, si Flaminius consul eis signis eisque auspiciis, quibus pugnare prohibebatur, paruisset?” — 2) Cic. div. 1. 35. 77: „Flaminius *re nuntiata* suo more neglexit”.

adversum; aves quoque eum sedulo observare absurdum non est, num forte conspiciat bubonem aut noctuam aut corvum a laeva volantem et quidquid praeterea ei utile esse potest — quamquam hoc inprimis tenendum, eum tabernaculo, templo aërio, legum dictione uti non posse —; fulmina adversa quaerens circumspicit caelum nocturnum aut matutinum; sed nemo sane, cum imperatori obnuntiare studeat, exspectabit dum forte signiferum observet „negantem signum moveri posse”, aut aliud aliquod ex signis illis quae Flaminio nuntiata sunt vel quae collegit Obsequens. Sed tamen reputandum nobis est, auspicari quicumque fingat auspicium, et omnia auspicia quae ficta sint esse auspicando quaesita. Itaque quandoquidem nonnulla ex eis ominibus et „Flaminianis ostentis” sane etiam potuerunt fingi ab aliquo qui haberet voluntatem impediendi, concedendum videtur eatenus etiam huiusmodi prodigia posse pertinere ad auspicia quaesita, quamvis vere non potuerint quaeri. Sola auspicia adversa, quae alias vere quaesita, alias fortuito oblata esse possunt, sunt signa ex avibus et de caelo.

Quae fuerit vis auspiciorum, quatenus ad modos auspicandi usitatos pertinebant, aliqua ex parte notum est. In universum constat, auspicia adversa nuntiata vincere potuisse auspicia adicientia etiam quae specie diversa essent, si haberent vim aut parem aut maiorem quam illa auspicia priora (supr. p. 418). Sic nemo nescit, fulmen adversum nuntiatum, si nuntiatio accepta esset, vicisse auspicia secunda ex avibus capta, quod inprimis apparet in ratione comitorum. Sed cum quaerimus de ordine auspiciorum et de vi quam inter se habuerunt diversa auspicia, multa desiderantur. Ipsum ordinem auspiciorum maxime usitatorum non totum cognitum habemus. Novimus quidem, fulmen fuisse auspicium maximum ¹⁾; his proxima erant auspicia ex avibus quae etiam dicebantur maxima et maiora ²⁾; itaque his auspiciis domesticis opponi non potuerunt auspicia adversa ex pullis et extis petita; sed haec ipsa ex pullis et extis utrum

1) Serv. Aen. 2. 693: „hoc auspicium cum de caelo sit, verbo augurum maximum appellatur”; Dio 33. 13: τὸ μέγιστον κῆρος ἢ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ (μακρταία) εἶχε. —

2) Cic. rep. 2. 14. 26; Gell. 13. 15. 4; supr. p. 219 n. 3.

eandem vim inter se habuerint, an alterum maiorem, minorem alterum, nescimus. — Quod pertinet ad auspicia fortuito visa, dubium non est quin fulmen et avis adversa, si fortuito conspicerentur, idem valuerint quod valerent si quaesita essent, et ab eis victa sint auspicia ex pullis et extis. Sed imprimis frustra quaerimus, numquid constituerit doctrina auguralis de vi quae tribuenda esset singulis generibus dirarum et ostentorum, si nuntiando opponerentur auspiciis secundis quae impetriverat is qui acturus erat. Neque exempla nobis suppeditant quibus eam rem satis illustremus. Sic exemplum „ostentorum Flaminiorum”, quod modo tetigi (p. 430 n. 1), inutile est, quia notum est Flaminium nihil impetrasse ex pullis (Cic. div. 1. 35. 77). Hoc solum constat, fuisse quaedam auspicia oblativa adversa, quae, si acciperetur nuntiatio, vincerent auspicia impetrata. Sic Servius tradit, aquilam posse vitare auspiciam secundum ex parra vel pico acceptum (Mnem. XVII p. 420 7^o). Praeterea hoc probatur exemplo L. Crassi consulis a. 55; is, si accepisset obnuntiationem dirarum quam sine iure interposuerant tribuni plebis C. Ateius Capito et P. Aquilius Gallus (vid. supr. p. 424 n. 2), non potuisset ad bellum ire, quamquam litaverat, et auspiciam secundum ab ipso ex extis petita vitiatum esset. Hoc enim diserte tradit Dio, neque repugnant reliqui auctores, Crassum tum ipsum, paludatum ad copias exiturum, in Capitolio vota nuncupasse et sacrificia sollemnia fecisse (de quibus vid. supr. p. 222 n. 1), cum ei obnuntiare coepissent tribuni pl. et admonere ne reiceret obnuntiationem ¹⁾. Sed praeterea etiam hoc exemplum non multum ad rem proficit, quia auctores non tradunt quanam fuerint dirae tum nuntiatae ²⁾. Verum

1) Dio 39. 39. 6: *καὶ τοῦτο μὲν ἐν τῷ Καπιτωλίῳ τὰς εὐχὰς αὐτοῦ τὰς νομιζομένας ἐπὶ τῇ στρατείᾳ ποιοῦμένου, καὶ δεισμίας τινὰς καὶ τέρατα διεύρων (οἱ δὲ μαρτυροῦσι).* Plutarchus (Crass. 16) Capitolium non nominat: *ὁ δ' Ἀττίας ἀπαντήσας πρῶτον μὲν ἀπὸ φωνῆς ἐκέλευε καὶ διημαρτύρητο μὴ βαδίζειν, κ.τ.λ.* — Cavendum est ne cum hac obnuntiatione quam in Capitolio fecerunt tribuni, confundamus alteram caerimoniam quam postea ad pomerium peregerunt, consecrationem capitis qua consulem terrere conati sunt, quam fere omnes auctores clare distinguunt ab obnuntiatione; Plutarchus (Crass. 16) imprimis proluxa eam describit; Dio 11.: *τοῦτο δὲ ἰσορρομημένη ἐστὶ πολλὰ καὶ δευρὰ ἐπηράσαντο;* App. 3. 18: *δημόσια ἀρα;* Vell. 2. 46. 3: „*execrationes*”; Flor. 3. 11: „*hostilibus diris devoverat*”. De hac caerimonia vid. Cic. pro dom. c. 47 sq. — 2) Cicero nihil definit; div. 1. 16. 39:

non est cur magnopere doleamus quod assequi non possumus quid singulae dirae valuerint si opponerentur auspiciis impetritis. Causa cur nostra hoc scire parum intersit, eadem est cur auctoribus nostris de ea re quidquam tradere operae non esse visum sit, et cur fortasse nihil de ea re constituerit doctrina auguralis. Nam si qui *suo iure* obnuntiabant, hi non definiebant auspicium adversum quod nuntiarent, neque opus erat sedulo inter se comparare et perpendere vim utriusque auspicii, cum utique sola nuntiatio vinceret; sin vero obnuntiabant ei qui iure auspiciandi carerent, hi diligenter quidem demonstrabant quale esset auspicium quod observarent (ob eam causam Ateius Capito non solum „obnuntiasse” traditur Crasso, sed „diras” obnuntiasse), sed tamen, sive magna sive parva erat vis rei nuntiatae, utique ex arbitrio eius qui acturus erat pendebat numquid ei tribuendum esse censeret, aut si augur aderat huic erat videndum de ea re; itaque ne sic quidem opus erat certis praescriptis doctrinae auguralis.

Iamvero cum de auspiciis fortuito oblatis et quaesitis agam, etiam confirmandum mihi est quod iam supra posui, utrumque genus auspiciorum repudiari potuisse ab eo qui acturus esset, si nuntiarentur ab eis qui obnuntiationem cogentem non haberent, et demonstrandum mihi est id etiam convenire naturae utriusque auspicii. — Hoc primum animadvertendum est, auspicia fortuito oblata, quamvis in animo observantis utique sine ulla dubitatione referantur ad actionem de qua agitur — nam si is non eo rettulisset rem nuntiatam, non tamquam auspicium eam nuntiasset — tamen annon recte eo relata sint, etiam posse dubitari. Nam deus, qui non rogatus misit ostentum, nihil addidit quo certe constaret rem observatam, quae per se nihil aliud est quam avis aut fulmen aut aliquid eiusmodi, esse auspicium, sed hoc permisit eis ad quos ea res pertineret, ut ex ea auspicium sumerent aut eam neglegerent tamquam a se alienam. Ea in parte autem id solum tenet et constringit

„dirarum obnuntiatione neglecta”, ibidem et § 30 „obnuntiatio Atei”. — Dio l.l.: *διοσημίας και τέρατα*. App. 2. 18: *τῶ δὲ μὲν ἐξόντι τῆς πόλεως πολλά τε ἕλλα ἀπαίσια ἐγίνετο, καὶ οἱ δὴμαρχοὶ προηγύρανον μὴ πολεμῆν Παρθυαίοις*. Cfr. *Insan. Phara.* 3. 126.

quemque, quod ultro in eius animo oritur, i. e., eius „religio” sola; utique recte decernit quisque, modo ex verissima animi sententia iudicet¹⁾. Quemadmodum aliquis qui acturus est, si forte non eo pervenit ut rem aliquam a se ipso observatam tamquam auspiciam cum actione sua coniungeret, minime tenetur ea re neque revera auspiciam observavit, sic is quoque, cui ab alio auspiciam huiusmodi nuntiatur, non tenetur, si sentit nullum metum, nullam suspicionem in animo suo oriri quae doceat, deos se admonere voluisse per hanc rem. Itaque cum de ea re inter se dissentire possint is qui observavit et is qui acturus est, uterque suam sententiam persecutus facere debet quod optimum videatur; sed alter, qui observavit, nihil facere potest praeterquam ut nuntiet, utque eandem religionem in alterius animo excitare conetur; alter vero, qui potestatem habet agendi aut non agendi, solus (salva auctoritate auguris de qua postea videbimus) potest dare sententiae suae eum effectum ad actionem pertinentem, quo res nuntiata aut fiat auspiciam aut tamquam aliena repudietur. Itaque is qui acturus est, si audivit nuntiationem auspicii fortuito oblata, pro arbitrio eam potest accipere aut repudiare. — Sed contrarium fere est quod in auspiciis quaesitis valet. Qui auspicatus est, deos interrogavit de illa actione aliena quam diserte eis indicavit in precatione; si auspiciam adversum accepit, fieri non potest quin id ad illam actionem pertineat, neque quisquam hoc negare potest, ne is quidem qui acturus est. Sed tamen non omnis nuntiatio auspicii quaesiti, a quolibet interposita, cogens est, neque quilibet qui iure auspicandi caret habet potestatem actionis magistratus pro arbitrio impediendae dummodo audeat dicere „auspicatus sum”. Nam is qui acturus est, quamquam non poterit negare, signum nuntiatum si auspicando excitatum sit pertinere ad suam actionem, tamen poterit decernere illum non esse auspicatum, quod iure auspicandi careret. Quodsi facit, negat illum precatum esse cum precari sibi videretur, negat auspiciam illud esse quod ille precando et fortasse fingendo excitavisse sibi videatur,

1) Facultatem recte distinguendi inter auspicia et res a se alienas, dei in animis hominum posse putantur, et in eorum maxime, quos maxime diligunt. Vid. Cic. deor. nat. 2. 65 sq. 162—168; ibid. § 167: „nemo igitur vir magnus sine aliquo afflato divino umquam fuit”.

negat deos ab illo se interrogari passos esse ¹⁾. Quamquam in ea re quoque liber est. Nam si forte ei non placet illa ratione refutare nuntiantes, ipse ultro dare et concedere eis potest ius auspicandi quo carebant, cum dicat eos sibi „in auspicio fuisse” et spectione a se mandata eos usos esse, etiamsi huiusmodi mandatum antea non fuerat vere constitutum. Ita apparet, eum qui acturus est utique liberum iudicium habere de obnuntiatione non cogente, sive ea est nuntiatio auspicii fortuito oblata, sive auspicii quaesiti.

Sed nunc demonstrandum est, eis, qui carerent obnuntiatione cogente, nihil aliud nuntiare licuisse praeter auspicia quae fortuito oblata esse dicerent; eis vero qui haberent obnuntiationem cogentem, auspicia quaesita sola fuisse nuntianda.

Diximus modo, si quis qui careret obnuntiatione cogente diceret se auspicatum esse seque nuntiare auspiciam adversum quaesitum, magistratui cum fuisse copiam negandi eum auspicatum esse, tum vero etiam potestatem spectionis ei concedendae quasi ex mandato. Itaque posuimus, hoc fieri potuisse ut se auspicatum esse diceret qui non haberet ius auspicandi. Atqui verum sane est, hoc fieri potuisse, sed tamen manifestum est, id non licuisse. Primum non licebat *iure*; qui hoc faciebat, arrogabat sibi partem iuris magistratus illius cui obnuntiabat; hunc in ordinem cogebat, et ab eo vi et poenis coerceri poterat. Deinde vero non licebat propter *religionem*. Magnum periculum enim cum ei qui acturus est, tum per eum toti reipublicae ab ea re impendere putaverunt antiqui. Nam is qui acturus erat, si spernebat obnuntiationem auspicii quaesiti, negabat, ut diximus, illum esse auspicatum, i. e. negabat deos ab eo se interrogari passos esse et eius precationi aurem praeuisse. Et negabat quidem suo iure; ius publicum eum hoc facere sinebat et tantum non iubebat; sed tamen, quod in iure publico constitutum erat, deos non audire precationem eius qui de actione

1) Conferendum est quod supra dixi (Mnem. XVII p. 437—441), eos qui careant iure spectionis, sive quod omni iure agendi careant ut servi, peregrini, antiquissimis temporibus etiam clientes plebei, sive quod in ea re de qua agitur non habeant ius agendi, eos omnes etiam ipsi dicant se auspicatos esse, tamen iure non auspicari, eorumque potestatem clam peragendae caerimoniae cuiuslibet, vanam et irritam esse.

publica sine iure eos interrogabat, id non tam firmum erat, ut de eo dubitari non posset. Quid enim si dei audiverant precantem, si auspicium adversum ei monstraverant quod esset verum signum suae voluntatis? Exitum solum hoc probare aut refellere posse putabant Romani; at interea ei qui acturus erat, si in actione sua perseverabat, imminebat periculum ne *inauspicato* ageret; in hoc periculum autem eum temere adduxerat is qui excitare conatus erat auspicium adversum cui parere eum qui acturus erat cogere non posset. — Hanc ob causam eis qui obnuntiationem cogentem non habent non solum non licet, sed etiam nefas est consulere pullos, exta inspicere ¹⁾, aves aut fulmina observantibus caelum circumspicere precatis. Hinc intelligitur, quam iusta fuerit ira C. Varronis consulis a. 216 (vid. supr. pag. 425 n. 2) cum L. Paullus eius collega quo die spectione carebat nihilominus ex pullis ei obnuntiaret. Nam nulla irae causa fuisset, si Paullus, quod unicuique licebat, nuntiavisset auspicium fortuito conspectum, tum enim Varro decernere potuisset utrum hoc ad se pertinere putaret an minus; sed cum Paullus collegam suum certiozem facere auderet se auspicatum esse, violabat huius ius agendi, et tamen religione eum prohibebat ius suum persecutum in actione perseverare, et reverentia dignitatis suae eum probibebat poenam a collega repetere ²⁾; itaque Varro iratus agnovit, collegam *pro ipso* (spectione mandata) auspicatum esse. Sed hoc quidem aliquatenus excusabatur singulari condicione rerum, cuu in extremo reipublicae periculo

1) Comparandum est crimen quod sub imperatoribus Romanis tam saepe memoratur, quod dicitur „Caesaris fata scrutari“ (Tac. Ann. 16. 14) aut „de salute imperatoris consulere sacra“ (Spart. Sev. 15), quod partim per magos aut sortes, partim per exta (Dio 62. 26. 3) fiebat. Sed tamen huius rei ratio diversa est; similis est mori Graecorum, qui saepe per auspiciam mercede conductum exta consulebant de vita et fortuna cum suis tum inimici alienis, quod dicitur *θεύματα ἐπὶ τοῖς, κατὰ τοὺς, τῆ ἀπὸ σπλάγγων μαντεία μαντεύσθαι ὑπὲρ τῆς σωματικῆς τοῦς* (Arrian. Anab. 7 19, Plut. Alex. 73), neque proprie pertinet ad acquisitionem auspiciorum, sed ad divinationem. Etiam augur Patavinus ille, C. Cornelius, qui a. 48 quo die proelium Pharsalicum gestum est aves consuluisse traditur de rebus Caesaris, et, cum aves admitterent, proclamavisse magno proelio Caesarem vicisse (Obseq. c. 65, Plut. Caes. 47), non auspiciam quaesivit, sed ex avibus petivit ostentum ad divinandum — 2) Non est huius loci exponere, quatenus collegae paria potestatis, si auspicium divisum erat, habuerint ins coarctandi, quo inter se vindicarent snom auspicium.

consul staret adversus consulem, vir patricius adversus plebeium, senex, consul iterum, adversus iuvenem, cultor denique deorum adversus contemptorem ritus sacri. Praeterea vero, opinor, numquam aliquid eiusmodi factum est, ut aliquis se auspicandi esse palam profiteretur, cui ius auspicandi non esset.

Ius obnuntiationis non cogentis igitur non longius pertinet quam ad nuntiationem auspicii fortuito conspecti. Ab altera parte vero, ius obnuntiationis cogentis, quod nititur iure auspicandi de actione collegae paris aut imparis potestatis (nam de altero genere obnuntiationis cogentis quod ad augures pertinet, nondum nobis sermo fuit) non longius pertinet quam ad nuntiationem auspicii quaesiti. Quodsi ei qui spectionem habebant nuntiabant auspicium fortuito oblatum (quod per se quidem eis licebat), futurum erat ut non usurparent ius suum auspicandi, utque concederent ei qui acturus esset potestatem repudiandae obnuntiationis.

Itaque quod supra diximus (p. 430 sq.), eum, qui auspicium adversum quaerat, adhibere solere unum ex modis auspicandi usitatis, eum pullos consulere, exta inspicere, aves observare adversas, fulmina dextra quaerere, ut inveniat quo impedi possit actio magistratus, id solum cadit in eos qui habent ius obnuntiationis cogentis, i. e. in collegas eius qui acturus est si auspicium non est divisum. Sed negari nequit, eosdem etiam ita usurpare potuisse ius suum auspicandi, ut omissis omnibus caerimoniis et certis auspicandi modis, id facerent quod antea dixi „auspicari ex signis oblativis qualibetlibet”, quod nihil aliud est quam „fingere auspicium adversum quod nuntietur” (pag. 429 et 431). Quaerendum est, num unquam concessum fuerit magistratibus Romanis, domi aut militiae (etiamnunc excipimus comitia et concilia), ut palam adhiberent hunc modum auspicandi quem fere „de nihilo” dixeris; deinde quaerendum, num a religione Romanorum defendi et probari poterit eiusmodi usus. Quod pertinet ad priorem quaestionem, minime certe inusitatum fuit magistratibus, ut ei qui actionem auspicii impedire possent, adhibito iusto modo auspicandi, auspicium *vere* quaerent. Hoc sane semper fecerunt magistratus, cum ad auspicandum adducerentur non ipsa voluntate impediendi, sed sincera cupidine cognoscendae voluntatis deorum;

haec cupido enim est quasi pignus veritatis auspicio-
rum. Sic in sententia illa quam Val. Max. l. supr. l. (pag. 426) attribuit
iudici privato cui de triumpho praetoris erat pronuntiandum:
„*si diversa auspicia accepissetis* (consul et praetor)” e. q. s., id
ipsum ponitur, consulem nihil nuntiaturum fuisse quod non
iusto auspiciandi modo adhibito observasset. Sed tamen ad cog-
noscendam priscam consuetudinem Romanam multum quoque
valet dictum illud Catonis quod supra (pag. 428) laudavi: „*cum
magistratus nihil imperare audent, ne quid auspicii peremat consul*”.
Manifestum est, praetores non metuisse vicissitudinem auspicio-
rum, quae eadem semper metuenda est omnibus qui auspicio
agere velint, sed eos metuisse voluntatem impediendi, qua
Catonem auspicia adhibiturum esse putarent. Expectabant igitur
fore, ut Cato obnuntiaret auspiciis non vere consultis;
nam neque pullarium auspiciis neque id quod ex extis petitur
utile est ei qui habet voluntatem impediendi, quia, ut supra
vidimus (pag. 411 sq.) neutrius potestas penes magistratum solum
est. Hic locus igitur probat, iam antiquis temporibus a magis-
tratibus ita adhibitum esse ius auspiciandi, obnuntiandi causa,
ut genere auspicii quaesiti quod nuntiarent non definito satis
haberent dixisse: „*abdicunt aves*”, utque ipsi auspicia adversa
regerent secundum suam impediendi voluntatem. — Itaque
quaeritur, num hoc a religione probari potuerit. Nobis duae
sententiae praesto esse videntur e quibus optio sit facienda.
Nam aut statuendum nobis est, Romanos, cum darent magis-
tratibus suis ius obnuntiandi ex auspiciis quaesitis *quod cogens
esset*, cumque eis hac ratione permitterent ut suam voluntatem
impediendi haberent pro voluntate deorum, instituisse ius no-
vum, utilitatis causa inventum, quod nihil aliud esset quam
ius aliquod vetandi; quod, quamvis e religione ortum esset,
cum religione omnino non cohaereret, sed tantum exornatum
esset falsa quadam specie vocabulorum ad religionem pertinen-
tium, quibus abnti pergerent Romani, quamvis omni sensu
iusto carerent. Aut vero statuendum est, Romanos putavisse
esse aliquam potestatem excitandae imaginis au-
spicio-
rum, quam dei haud abnuerent eis quos ea dignos esse
cives Romani iudicassent, cum in comitiis eos eligerent Hanc
sententiam, quam ego antiquorum opinionibus convenire et vere

Romanam esse censeo, exposuit Cicero, qui quod scripsit de auguribus prodigia caelestia observantibus, etiam ad magistratus pertinet; is enim „est boni auguris, inquit, meminisse se maximis reipublicae temporibus praesto esse debere, Iovique optimo maximo se consiliarium atque administrum datum, ut sibi eos quos in auspicio esse iusserit”¹⁾. Magistratus qui auspicatur obnuntiandi causa, Iovi consiliarius et administer datus, ab eo potestatem auspiciorum quasi per mandatum accepit, eodem modo quo pullarius a magistratu qui auspicia non ipse observat. Itaque Iupiter, cum a magistratu precato admoneatur de auspicio quod huic mittendum videatur reipublicae causa quodque ab eo sibi quasi nuntiari audiat, mandatarium suum non deserere putatur, sed idem velle quod ille. Atqui cum non id quod in rerum natura adest, sed quod Iupiter in animo volvit, decernat de rebus humanis, auspiciam adversum a magistratu nuncupatam adest et valet voluntate Iovis, etiamsi forte ipsa res, avis aut fulmen, non comparuit. Itaque magistratus fingit quidem rem quae nuntietur, fulmen aut avem, sed non fingit auspiciam; auspiciam quod elicit, imago rei, ab eo potest nuntiari tamquam verum signum voluntatis dei. Haec est sententia quam Cicero exposuit; quamquam constat ipsum non ita sensit, tamen prisci Romani, qui deos *esse* credebant, ita senserunt, opinor. Ab hac sententia autem, in qua non affirmatur quidem sed non magis negatur, rem effectam etiam comparuisse in rerum natura (quia id omnino sciri non potest), proxime abest pessima superstitio quae affirmet, rem ipsam quoque ita a deis elici posse per auspicia, ut conspicua sit et in aliis rebus quoque praeter auspicia effectum habeat. Atqui tantum abest, ut illa sententia de auspiciis cogendis sit recens aut dicis causa confata, ut, quo magis ascendamus ad tempora antiquissima, eo propius etiam ad hanc superstitionem nos accedere appareat; in fabulis autem, quibus nihil habemus quod antiquius sit, ipsa adest. Huc pertinet non solum fabula qua Porsenna monstrum necasse traditur, per fulmen precando coactum (verisimile est hanc fabulam et alias similes habere originem Etrus-

1) Cic. leg. 3. 19. 43.

cam)¹⁾, sed imprimis fabula verissime Romana quae fertur de Atto Navio, auctore doctrinae auguralis²⁾. Is ex auspiciis quaesitis responsum dederat Tarquinio qui eum consulabat de partibus populi augendis; auspiciam illud adversum fuisse coactum, haud sine causa suspicabatur Tarquinius. Sed deus non deseruit administrum suum; cum Tarquinius vellet impia manu denuddare secreta deorum, ut everteret auctoritatem administri eorum, deus non quidem ipsum auspiciam revera in rerum natura adfuisse monstravit, sed tamen prodigio cotis novaculo discissae probavit, stari debere auspiciis etiam quae coacta essent³⁾. Praeterea vero h. l. indicare opus non est, quam prope abfuerit doctrina de auspiciis quaesitis a praescriptis reconditis artis magicae.

Una res etiam nobis superest. Diximus, eis qui haberent obnuntiationem non cogentem, nec ius nec fas fuisse nuntiare auspiciam quaesita, i. e. dicere se auspicatos esse. Quid autem, si nuntiarent auspiciam adversum quod dicerent quidem fortuito sibi fuisse oblatum, quod tamen revera esset auspicando quaesitum? Reputandum enim est, auspicari omnes qui auspiciam fingant (pag. 429). Itaque, si forte nihil vidissent, et auspiciam fictum nuntiarent tamquam fortuito oblatum, necesse erat eos auspicando quaesivisse hoc signum; habuerant enim voluntatem observandi, qua utique fit ut auspiciam sint quaesita, sed tegebant et dissimulabant eam voluntatem, quandoquidem eam habere eis non licebat. — Manifestum videtur, hanc rem, quam accidisse nemo certo scire posset praeter eum ipsum qui obnuntiaret, nullam difficultatem attulisse ei qui acturus esset. Huic enim nihil aliud faciendum erat quam quod maxime in promptu esset, scil. ut nuntiationem auspiciam fortuito conspecti pro vera acciperet. Tunc enim ipsi videndum erat, utrum hoc ostentum ad se pertinere et auspiciam esse iudicaret, quod ipse eius religione commoveretur, an minus. De veritate rei nuntiatae neque opus ei erat dubitare, neque eum dubitare

1) Plin. n. h. 2. 140; de arte fulminis eliciendi vid. Manil. Astron. 1. 102 et Plin. l. l. — Nescio annon eodem sit referenda fabula quae fertur de Salmoneo rege Graeco, Verg. Aen. 6. 585, quae postea translata est ad regem quemdam Albae Longae, Ovid. Metam. 14. 618, Syncell. p. 194. — 2) Cic. Att. 10. 8. 6; div. 2. 38. 80. — 3) Liv. 1. 36 4 et aliis locis.

decebat, neque sane debebat dubitare, metu ne perderet libertatem iudicandi et auspiciū id esse concedere cogeretur. Sed tamen, si revera, quod ille nesciebat et nunc a nobis samitur, auspiciū illud nuntiātum fictum erat, magna erat culpa nuntiantis, et ingens erat periculum quod temere ab eo afferebatur ei qui acturus erat et per eum toti reipublicae. Hoc periculum quale fuerit, iam antea ostendi (pag. 435 sq.); fieri enim poterat ut dei audirent eum qui sine iure auspicaretur, utque rei ab illo fictae darent vim veri auspicii; de ea re exitus solus decernere poterat. Sed eo maius nunc erat periculum quia clam auspicatus erat qui nuntiabat, et is qui acturus erat nesciebat illum auspicatum esse; itaque hic, si confidebat animo suo quem nuntiatio religione liberum reliquerat, decipiebatur specie, et fortasse erat ignarus inauspicato acturus ¹⁾. — Nos haec omnia paullo subtilius persecuti, fructus eius diligentiae percepturi esse nobis videmur cum ex eis postea lucem attulerimus rationi obnuntiandi in comitiis et conciliis. Sed iam h. l. hunc fructum percipere nobis licet, ut explicemus locum Ciceronis paullo difficiliorem. Nam postquam a. 53 Crassus procos. in Mesopotamia profligatus cum copiis perierat, paucis annis post, a. 50, Appius Claudius censor, idem augur, cum C. Ateium, qui tribunus pl. fuerat a. 55, afficeret ignominia notae censoriae, subscripsit se hoc facere quod auspicia ementitus esset Ateius; deinde idem adscripsit: „ob eam causam populum Romanum calamitatem maximam accepisse” ²⁾. Horum verborum sententiam asequi non potuit Cicero; non quod fastidiose eam rem tractaverit vir bonus, nec quod de ea insipienter iudicavit vir sagacissimus; sed Ciceroni, ad subtilitatem peregrinam multis studiis erudito, cum de rebus vetustis Romanis meditatur, animus numquam fit antiquus; ob eam cau-

1) Periculum quod ab hac re impendit bene indicavit Cicero his verbis quibus Antonium alloquitur (Phil. 2. 33. 83): „ergo hercule magna, ut spero, tua potius quam reipublicae calamitate ementitus es auspicia, obstrinxisti religione populum Romanum.”

— 2) Verba quae praeterea addit Cicero: „veram enim fuisse obnuntiationem, ut ait idem augur et censor, exitus approbavit; quae si falsa fuisset, nullam afferre potuisset causam calamitatis”, non sunt Appii sed Ciceronis ipsius; illud ut ait idem augur et censor ita interpretandum est: „ut Appius ipse affirmat, cum dicat populum R. ob eam causam calamitatem cepisse”, et idem valet quod id quod postea addit Cicero: „ut Appius indicat”.

sam non semper perspicit opiniones veterum (cfr. Mnem. XVII p. 303 n. 2); praeterea in hac re plus tribuere debuerat auctoritati Appii Claudii, cuius scientiam rerum auguralium verbis quidem ornare solet, quem tamen iudicio suo h. l. summae ineptiae insinuat. Nam quod contra eum affert tam puerile est, ut hoc ipsum potuisset Ciceronem admonere ne putaret Appium ita peccavisse; dicit enim, Ateium non fuisse puniendum, primum, *quod auspicia non essent causae calamitatum*, hoc sane nemo umquam opinatus est; deinde, quod, si obnuntiatio hac in re fuisset causa calamitatis, sequeretur ut *auspicia eumentis non esset Ateius*; denique quod, si obnuntiatio vera esset, *non Ateius peccasset, sed Crassus*, qui ei non paruisset. Sed ea quae exposui nobis copiam dant rectius aestimandae sententiae auguris peritissimi. Scilicet Ateius excitaverat et coegerat auspiciam adversum precando et auspicando; sed cum ei ius non esset auspicandi de rebus Crassi, Crassum deceperat, qui scire non posset, diras nuntiatas ad suam actionem utique pertinere, cum praesertim augur qui aderat, Pompeius, non interpellaret neque confirmaret obnuntiationem¹⁾; itaque causa calamitatis non erat in auspicio, sed in errore in quem insciens et innoxius inciderat Crassus, in quem eum induxerat Ateius, quo factum erat ut contra auspicia in bellum iret. Hanc ob causam Ateius certe numquam *condemnari* potuit neque a iudicibus neque a populo, quia eius culpa etiam post interitum Crassi eis solis manifesta erat qui fidem haberent auspiciis; sed recte eum notare potuit *censor* qui idem *augur* erat et scientiam auguralem esse credebat²⁾, postquam exitus illa confirmavisse videbatur, primum quod auspicando quaesita (ficta) nuntiasset, deinde quod ob eam causam Crassus inauspicato in bellum profectus esset. Equidem concedo haec omnia posse refutari; sed tamen apparet opus esse argumentis multo firmiteribus quam quae contra ea attulerit Cicero³⁾. — Omnibus igitur qui collegae non sunt magistratus

1) Plat. Crass. 16: δαίσις ὁ Κράσσοσ ἰδεήθη Πομπηίου παραγενέσθαι καὶ συμ-
προπέμψαι. — δράμενος πρὸ αὐτοῦ φαιδρῶ βλέμματι καὶ προσώπῳ (τὸν ὄχλον)
κατεπράυνεν ὁ Πομπήσιος. — 2) Appius Claudius fuit eo tempore scientiae auguralis
defensor atque patronus. Injuriam adversus C. Marcellum augurem, qui contende-
bat „auspicia ad utilitatem reipublicae esse composita“, Appius tenebat „disciplina augu-
rum quasi divinari prorsus posse“. Cic. leg. 2. 13. 32, div. 2. 36. 75. — 3) Ei soli

acturi, nihil licet nuntiari nisi quod vere et fortuito ab eis conspectum est; si quid fingunt, impraesentia quidem non possunt flagitii convinci; sed ingens periculum suscitare putantur reipublicae; quodsi exitus funestus est, facere non potest quicumque auspiciis fidem habet quin illis culpam imputet, et poenam ab eis repetere studeat, quod sibi clam arrogaverint ius quod suum non esset. — Haec autem si quis comprobaverit, non dubitabit assentiri eis quae supra exposui (p. 439) ad explicandam rationem auspiorum fictorum, quia confirmantur ipsa auctoritate Appii Claudii auguris, hominis „cum auguralis, tum omnis publici iuris antiquitatisque Romanae bene periti” 1). Intellegimus igitur quam grave et religiosum Romanis antiquis visum sit ius obnuntiandi ex auspiciis quaesitis si adhiberetur ab eis quibus concessum esset, quam funestum vero et periculosum si surriperetur ab eis quibus id facere nefas esset. Hinc si etiam paulisper revertimur ad superstitionem illam perantiquam quam tetigi, fieri fere non potest quin scelesti temeritas Atei, qui movit vim atrocem quam cohibere nequiret cum non posset cogere Crassum ut is sibi pareret, admoneat nos fabulae quam de Tullo Hostilio rege servavit Piso, qua hic fertur ipse ictus esse fulmine quod elicisset, cum imitando adhibuisset formulas a Numa sacrorum peritissimo inventas, sed nesciret quomodo eis uti deberet 2).

§ 3. DE OBNUNTIATIONE COGENTE AUGURUM.

Superiore Paragrapho descripsimus obnuntiationem ex auspiciis fortuito oblatis, quae non cogit eum qui acturus est, quaeque permissa est omnibus mortalibus, et obnuntiationem ex spectatione, quae cogit eum qui acturus est, quam habent aut pauci tantum, collegae magistratus si auspicium divisum non est, aut nemo, si ius agendi divisum est inter collegas. In his describendis excepimus augures, de quibus nunc etiam videndum est. Hos enim, cum summam

qui auspicantur (auspicia fingunt) cum careant iure auspicandi, dicuntur *auspicari* *auspicia*, veluti augures si quid fingunt, Liv. 21. 63. 5, Cic. Phil. 2. 33. 86 et 2. 35. 88; his locis Cicero ostendit, ne se quidem semper id nescire, cfr. p. 441 n. 1. — 1) Cic. Brot. 77. 267. — 2) Plin. n. h. 28. 14; 2. 140.

auspicioꝝ intelligentiam habere et omnes alios homines peritia interpretandi longe antecedere putarentur, consentaneum est melius quam alios homines potuisse etiam aestimare auspicia ab aliis aut ab ipsis visa, et decernere quo pertinerent; neque eorum sententia facile potuit contemni a quoquam, ne a magistratibus quidem qui publice acturi erant, si auspiciuꝝ aliquod fortuito oblatuꝝ nuntiabatur cum ipsi forte adessent, aut si ipsis forte huiusmodi auspiciuꝝ nuntiare placebat. Atqui cum sacerdotiuꝝ augurum esset publicuꝝ (supr. Mnemos. XVII p. 441 adn. 2 et sqq., supr. 216 n. 2), necesse est eorum auctoritatem quoque fuisse publicam et legibus confirmatam, quo fieret ut ne liceret quidem magistratibus contra eorum sententiam reicere auspicia fortuito oblata. Loci quibus affirmant auctores, augures habere summam scientiam interpretandi auspicioꝝ sunt hi:

1^o. Cic. leg. 2. 8. 20: „*Interpretes Iovis Optimi Maximi, publici augures*”; celtis Cic. Phil. 13. 5. 12 et 5. 4. 9.

2^o. Cic. nat. deor. 1. 44. 122: „*auspiciis augures praesunt*”.

3^o. Fest. p. 333: „*(augures qui) omne ius auspicioꝝ (ita legenduꝝ pro sacrorum) habent*”¹).

4^o. Dionys. 2. 22: οἱ ἱερατοὶ τὰ θεῖα διὰ μαντικῆς, et 2. 64: οἱ ἱερατοὶ τὰ θεοπροπῆτα σημεῖα καὶ διαιροῦντες, τῶν ἰσθι μνημόματα πραγμάτων ἰδίᾳ τε καὶ δημοσίᾳ²).

Loci autem quibus affirmatur, magistratus debuisse parere auguribus decernentibus de auspiciis fortuito oblatis, utrum ad eos pertinerent necne, sunt hi:

5^o. Cic. leg. 3. 4. 11 et 3. 19. 43: „*habemus in publicis institutis atque legibus: (magistratus) auspicia servant, auguri parento*”.

6^o. Cic. leg. 2. 8. 20: „— (eos magistratus) quique agent rem duelli quique pro populo rem, auspiciuꝝ praemonento ollique obtemperanto”.

7^o. Ibid.: „*quaeque augur iniusta nefasta vitiosa dira dixerit, irrita infectaque sunt, quique non parnerit capital esto*”.

1) De hac lectione, quam proposuit Regell (Jahrb. f. Phil. 1888 p. 382) dubitari non potest. Pontifices soli dicuntur praeesse *sacris*, augures vero *auspiciis*, Cic. nat. deor. 1. 44. 122 („*cur sacris pontifices, cur auspiciis augures praesunt?*”) Cic. dom. 15. 41; leg. 2. 12. 30 sq. — 2) Cfr. praeterea Cic. deor. nat. 2. 65. 163: „*multa cernunt haruspices, multa augures provident*”, et alii loci, qui etiam ad observationem prodigiorum referri possunt.

8^o. Cic. leg. 2. 13. 33 „(scientia augurum) miki videtur apud maiores fuisse duplex, ut ad rei publicae tempus nonnumquam, ad agendi consilium saepissime pertineret”.

9^o. Cic. div. 1. 40. 89: „in nostra civitate — — — (augures) rempublicam religionum auctoritate (regunt).

10^o. Fest. p. 333: „(data est) nuntiatio — — — auguribus — — — quorum consilio rem gerent magistratus, ut possent impedire, nuntiando quaecumque vidissent”.

Hoc ius auguribus concessum, quo decernunt de auspiciis fortuito oblatis variis rationibus excerceri potest. Primum enim eis licet, cum effectu cogente nuntiare quod *ipsi* viderunt; deinde, si *alii* nuntiant, horum admonitionem re explorata confirmare possunt; denique, si *magistratus ipse* aliquid cognovit de quo dubitat, is potest vocare (citare) augurem et ex huius sententia decernere debet. Proprie id quod primo loco posui, solum dicitur obnuntiare ¹⁾, hanc ob causam id vocabulum raro adhibitum videmus ubi de auguribus sermo est; plerumque enim augures non ipsi nuntiant, sed decernunt; sed nos, cum vocabulo opus sit quo indicemus eorum ius universum, pergemus omne decretum auguris, quo magistratum agere prohibet, obnuntiationem dicere. Formula autem, qua augur magistratum cogit differre actionem, haec est: „alio die” ²⁾.

De hoc iure augurum etiam pauca nobis dicenda sunt. Ac primum quidem ratio nobis reddenda est, cur auspicia quae sita prorsus ab eo secluserimus, cum quae ab aliis nuntiarentur, tum quae ipsi nuntiare possent. Quod pertinet ad auspicia ab aliis quae sita, novimus obnuntiationem quae sitorum eis solis permissam fuisse, qui haberent obnuntiationem cogentem; itaque si ab his interponebatur, utique cogens erat neque opus erat iudicio auguris; hoc etiam convenit eis quae diximus, hoc ius augurum repetendum esse ex eorum summa *interpretandi*

1) Donat. ad Ter. Adolph. 4. 2. 9: „qui malam rem nuntiat, obnuntiat, qui bonam, adnuntiat; nam proprie obnuntiare dicuntur augures, qui aliquid mali omnia scelerumque viderint”. — Vid. etiam supr. sub 10^o: nuntiando quaecumque vidissent”; Cic. Phil. 2. 32. 81: „nos (augures) nuntiationem solum habemus”. — 2) Cic. leg. 2. 12. 31: „quid gravis, quam rem susceptam dirimi, si nunc augur alio die dixerit”; Cic. Phil. 2. 38. 83: „confecto negotio bonus augur alio die dixit”, et 84. Vid. etiam Mnem. XVII p. 319 n. 4.

peritia, qua melius quam ceteri scire possent quo pertinerent auspicia; auspicia quaesita enim numquam indigent interpretationis, et semper constat ea pertinere ad rem de qua sint rogata; auspicia fortuito conspecta sola quo pertineant dubium et controversum esse potest, haec sola admittunt iudicium auguris (supr. pag. 433 sq.)¹⁾. Sic Pompeius augur, cum a. 55 prosequeretur Crassum consulē ex urbe proficiscentem (supr. pag. 442 adn. 1), potuisset decernere, diras, quas Ateius se conspexisse prae se ferebat, revera pertinere ad expeditionem Crassi, et per formulam „alio die” Crassum in urbe retinere potuisset; aut si, ut fecit, decernebat diras illas, quas fortuito conspectas esse audiebat, non ad Crassum pertinere, eum omni religione solvebat non interpellando; sed si Ateius habuisset ius auspicandi et ius obnuntiationis cogentis, is Crassum ipse in urbe retinuisset, neque Pompeio auguri copia fuisset decernendi de eius iure. — Deinde vero obnuntiatio augurum non potest adhiberi ad auspicia ab ipsis quaesita. Nam si primum videmus de iure, cum auctores quos supra laudavi satis declarant ius quod eis attributum esset non comprehendisse ius auspicandi de actione magistratus (vid. pag. 445 inprimis sub 10^o „nuntiando quaecumque vidissent”), tum ratio docet summam *interpretandi* peritiam non posse praetextui esse ut ius auspicandi de actione aliena arrogetur, nam in auspicando nihil opus est interpretatione cum legum dictio sufficiat, et ius auspicandi pendet ex iure agendi, quo quicumque utitur ipse quoque idoneus est qui satis recte auspicetur; quodsi forte sibi in ea re non satisfacit, potest adhibere peritum, aut totam caerimoniam permittere alicui (etiam auguri) quem respondendi causa consulat, sed hoc totum pendet ex ipsius arbitrio, neque licet auguribus, si adhibiti non sunt ad respondendum, se immiscere observationibus eius qui acturus est (supr. pag. 416 sq.), nedum non consultis pro libidine ipsis auspicari de actionibus alienis. Deinde vero si quaerimus de potestate, dixerit fortasse quispiam, si augures aliquid nuntiarent, hoc dispici non potuisse utrum quod nuntiarent esset fortuito oblatum an forte auspi-

1) Manifestum est mihi non debere obici verba Ciceronis (Phil. 5. 37): „*illa auspicia non egent interpretatione*”, quae de fulmine solo dicta sunt.

cando coactum, modo ipsi hoc tegerent, et dissimularent se auspicatos esse; itaque nihil attinere negare, augures potuisse nuntiare auspicia quaesita, quippe qui haberent liberam *potestatem* omnibus mortalibus communem *figendi*, et nuntiandi auspicii quaesiti (ficti) tamquam fortuito conspecti. Haec quae mihi obiciuntur sane everterent argumenta mea, si verum esset augures habuisse liberam *potestatem* (de iure nunc ne quaero quidem) auspiciorum *figendorum*. Sed revera haec potestas in eis repressa fuit certo impedimento, et hanc ob causam ius (quod negabat eis auspicari licere) valere poterat. Hoc impedimentum quale fuerit, parum adhuc perspectum esse arbitror a viris doctis, et ea potissimum est causa, cur tam obscura et perplexa multis visa sit tota quaestio quae est de obnuntiacionibus. Sed antequam indicem illud impedimentum, aliquid praemittendum est. Primum moneo, auspicia fortuito oblata nulla potuisse referri ad aliquam actionem, nisi illa actio iam initium cepisset tum cum conspicerentur¹⁾. Hac re inprimis differunt auspicia fortuito conspecta a quaesitis. Auspicia cum secunda quae impetrat is qui acturus est, tum adversa quae quaerere possunt eius collegae, tempore priora esse solent, caerimoniae auspicandi plerumque fiunt ante actionis initium, et saepe etiam aliquod temporis spatium interponitur; cum ex legum dictione aut precatione constet, haec auspicia pertinere ad actionem illam, necesse non est ut vinculo temporis eiusdem cum actione coniuncta sint (modo ad eundem *diem* pertineant supr. p. 249); sed auspicia fortuito conspecta huius vinculi indigent, et revera ea sola res est qua aliquatenus dei indicent, et in animo observantis suspicionem excitent, id quod observetur pertinere ad illam actionem, quod *tum ipsum* observantur cum actio geratur aut ineatur. Sic Ateius neque potuit diras illas nuntiare antequam in Capitolio sacrificare coepisset Crassus, neque dicere potuit eas antea esse observatas; si dixisset, confessus esset aut eas ad Crassum non pertinere, aut se auspicatum esse. Quod si non constaret, omnino *nullus* esset finis religionis auspiciorum, cum praesertim in hoc genere auspicio-

1) Cfr. supr. Muem. XVII p. 419 sub 2^o: „auspicium indicat agendum vel omitendum esse quod quis coeperit“.

rum fortuito oblatorum nullum vestigium sit termini illius diurni, qui solus pertinet ad auspicia quaesita (p. 249), et *omnia ad omnia* referri potuissent, quo fieret ut ratio auspicio- rum oblatorum se ipsa everteret. Et quod plus valet, res traditae certissime confirmant quod posui. Argumenta petenda sunt ex ratione comitiorum quia de ea sola aliquid certi tradi- tur. Fulmen, quod *ante initium* comitiorum (noctu aut mane) factum esse dicebatur, erat vitium comitiorum si quaesitum erat et ex iure spectionis nuntiabatur, qua de re nemo dubita- verit; sed fulmen quod fortuito oblatum erat aut esse dicebatur, si pertinebat ad tempus quod erat ante initium comitiorum, neque erat vitium comitiorum, neque ad ea referri potuit. Comitata haberi nefas erat *Iove tonante*, non vero si Iupiter *antea* tonuerat (nisi forte hoc fulmen quaesitum erat et ab aliquo cui ius esset per precationem ad comitia relatum nuntiabatur). Eodemmodo aliae dirae, ut aves obscenae, tempestas, morbus comitialis, ita tantum turbabant comitia, si *inter comitia* com- paruerant, non vero, si ante inita comitia erant fortuito obser- vatae. Hoc confirmatur certissimis testimoniis ¹⁾. Itaque si (quod ne cogitari quidem potest) privatus aliquis nuntiabat, se ante comitia forte observasse fulmen, is qui praeerat comitiis non solum poterat sed etiam debebat declarare, hoc fulmen quod quin factum esset non dubitaret, ad se minime pertinere, eique assentiri debebat augur qui aderat. Augures autem ob eandem causam obnuntiare non poterant nisi inter comitia (licebat autem obnuntiationem differre tantum non ad finem comitiorum, si tum demum aliquid observabatur ²⁾), neque niti poterat eorum

1) Non solum ipsa lex auguralis semper eis verbis affertur, quibus apparent, ful- men fortuito oblatum quod comitia prohibeat debere observari *inter comitia* (Cic. div. 2. 18. 42; „Iove tonante aut fulgurante comitia populi habere nefas”. Phil. 5. 3. 7; „Iove tonante enim populo agi non esse fas quis ignorat?”; Vatin. 8. 20; „Iove ful- gente cum populo agi nefas esse”), sed etiam exempla quae memoriae servata sunt semper pertinent ad fulmen *inter comitia* oblatum. Cic. Phil. 5. 3. 8; Liv. 40. 42. 10; Tac. Hist. 1. 18. Idem valet de avibus obscenis (Obseq. e. 46 a. 99), de tempestati- bus (Liv. 40. 59; Schol. Cic. p. 337), de morbo comitiali (Dio. 46. 33. 1). Eatenus tantum auspicium fortuito conspectum etiam ad futurum tempus pertinet, ut non liceat actionem interceptam eodem die instaurare, hanc ob causam dirae *diem vitiare* diceantur ad comitia (Fest. p. 234). — 2) Cic. Phil. 2. 33. 83; „confecto negotio bonus augur *alio die* inquit”.

obnuntiatio ulla re nisi quae *inter comitia* facta et observata esset¹⁾. Itaque in comitiis et conciliis tempora maxime distinguebant obnuntiationem oblativorum (cum cogentem, augurum, tum non cogentem, privatorum) ab obnuntiatione cogente (quam in hoc genere comitorum non collegis solis sed omnibus magistratibus lege concessam fuisse nunc verbo tantum moneo), quia leges (scil. Aelia et Fufia) diserte interdicebant ne quis etiam auspicaretur cum iam inita essent comitia²⁾, et iuebant obnuntiationem cogentem ex iure spectationis („de caelo servavi“) interponendam esse ante comitia inita³⁾. — Atqui hoc praescriptum, quo tum demum auguribus obnuntiare licebat, cum actio inita esset et gereretur, in comitiis et conciliis valere non potuit, nisi idem valuit in omnibus actionibus magistratuum, quod etiam diserte traditur⁴⁾. — Deinde monendum est, augures eis actionibus magistratuum solis obnuntiare potuisse, quae fiebant in loco publico, cuius aditus ipsis pateret, quo fieret ut prohiberi non possent quominus ei interessent. Hoc non cadit in actiones quas magistratus peragebant aut soli aut paucis tantum admissis quos adhibere pla-

1) Cic. Phil. 2. 32. 81: „quisquamne divinare potest, quid vitii in auspiciis *futurum* sit, nisi qui de caelo servare constituit?“

2) Cic. Phil. 2. 32. 81 „(de caelo servare) neque licet comitiis per legem, et, si qui servavit, non comitiis habitis, sed priusquam habeantur, debet nuntiare“ — Fuernat qui non intellexerent, comitiis b. l. esse ablativum, et significare *inter comitia*; miro errore bi locum interpretati sunt quasi „de caelo servare comitiis“ dictam esset pro „de caelo servare comitorum prohibendorum causa“, et id lege prohibitum esse h. l. a Cicerone diceretur. Error manifestus est; primum nemo non videt, verbia „de caelo servare“ nullo modo posse adiuungi dativum casum; deinde aperta est, id prohibitum esse dici non posse a Cicerone, quod, si fieret, ante comitia fieri debuisset dicitur; denique *comitiis*, absolute positum, nihil significare potest praeterquam *inter comitia*, efr. Liv. 6. 22. 7; 10. 15. 11 et passim. — 3) Cic. Phil. 2. 32. 81: „si qui (de caelo) servavit, non comitiis habitis, sed priusquam habeantur, debet nuntiare“. Cfr. Cic. dom. 15. 19: „negant fas esse agi cum populo, cum de caelo servatum sit“ (non vero: „— servetur“). — Hinc apparet verum esse quod supra (pag. 255) posui, observationes fulminum oblativorum quaesitorum, quae obnuntiandi causa ferent, necessario pertinuisse (vel certe, quatenus non vere habebantur, pertinere potestas esse) ad tempus nocturnum aut subleaneum (efr. quae de fulmine *impetrato* supra dixi pag. 253—255), quo tempore non propterea incredibile esset fulmen aut fulgur observari ab aliquo qui caelum circumspiceret, quod vere observatum non esse ab aliis civibus non posset affirmari. — 4) Vid. sup. p. 445 n. 2: „rem susceptam dirimi, si unus augur alio die dixerit“.

cebat, veluti cum auspicarentur in tabernaculo. Haec autem si tenemus, augures nihil auspicii adversi potuisse nuntiare (aut confirmare) nisi quod inter actionem fortuito esset observatum, et augures eis actionibus solis potuisse obnuntiare quae in publico loco multis praesentibus palam fierent, facile apparet quodnam fuerit impedimentum illud, quod eis adimeret potestatem fingendi auspicii. Hoc impedimentum fuit ipsa conscientia multorum, qua convincebantur et refutabantur si nuntiare conabantur rem quam non fortuito observassent, i. e., (quia auspicia fortuito oblata sola semper vera sint necesse est, supr. p. 429) rem quam non cum ipsi tum alii omnes veram esse scirent. Si augur auspicabatur obnuntianti causa, res occulta esse non poterat. — Ea res autem efficiebat, ut intra fines angustissimos cohiberetur ius obnuntianti augurum; apparet (si in universum nunc de ea re iudicamus et discedimus a paucis exceptionibus turpissimis de quibus alio loco videbimus¹⁾), hanc solam ob causam inutile fuisse ius augurum ad perseguenda consilia a religione aliena in contentionibus politicis partium et hominum ambitiosorum. Nihilominus, si augur omni dignitate sacerdotii sui proculcata decernere volebat contra id quod evidens erat, utique valebat eius sententia; in comitiis et conciliis si tonitru non audire, fulmen non videre placebat auguri, magistratus — modo ipse quoque eisdem consiliis faveret, nam si malebat actionem differre adversus sententiam auguris, suo iure id facere poterat — religione solutus in actione perseverare poterat²⁾; quin etiam quod multo gravius erat, si augur palam auspicatus³⁾ clamabat „alio die” cum omnes scirent neque fulmen factum esse neque quemquam morbo comitali correptum esse neque aves portentosas appa-

1) Quarum maxime nota est obnuntiatio quam Antonius augur, idem consul, iuente anno 44 interposuit adversus Caesarem, consulem, eundem augurem, in comitiis centuriatis Dolabellam consulem creantem (Cic. Phil. 2. c. 32 ad 34), de qua infra videbimus. — 2) Cfr. Lucan. Phars. 5. 395: „nec caelum servare licet (scilicet magistratibus); tonat augure surdo”; Cic. Phil. 5. 3. 8. — 3) „palam”, i. e. convictus conscientia omnium. Nam ipse utique negabat se auspicari, quod ei id non licebat. Etiam Antonius augur a. 44 se auspicari negabat, quamvis tamquam consul id facere potuisset; sed ad hoc ius iam provocare non poterat, quia tum ante comitia

ruisse, magistratus parere debebat, neque quidquam supererat civibus commotis fastidio impie facti quam ut rem silentio ferrent aut verbis frustra inter se habitis perstringerent et irriderent virum qui religionem reddiderat ancillam impudicam consilii profani seque ipsum antistitem obscenum huius deae immuudae ¹). Qui soli aliquod remedium tum afferre poterat, erant reliqui augures, collegae obnuntiantis, qui, si fraudem manifestam esse cognoverant, sententiarum numero collegam superare et ad silentium redigere poterant. Sed tamen sic quoque eis qui fidem haberent auspiciis culpam aliquam graviorem etiam admisisse videbatur augur impius, quam quae in mendacio solo et insolentia consisteret. Nam ementitus quidem erat auspicius (vid. supr. pag. 441 et pag. 442 n. 3), sed tamen id ipsum quod ementitus erat fortasse *erat* auspicius, et fieri poterat ut a Iove praeter opinionem confirmaretur vox administri iniusti. Hoc plerumque quidem nihil pertinebat ad rempublicam, quia plerumque actio interceptabatur untiatione etiam quae falsa esset; sed si forte accidebat, ut propter dissensionem augurum ipsorum actio ad finem perduceretur et postea declararetur valere adversus sententiam unius auguris (quod a. 44 accidit ²), hic augur idem illud periculum suscitaverat reipublicae quod ex. gr. a. 55 Ateius moverat et quod omnes qui sine iure auspicabantur de actionibus publicis, scil. ne secun-

isite debuisset auspicari et nuntiare. Cic. Phil. 2. 33. 83: «neque enim te de caelo servasse dixisti, nec hodie dieis». — 1) Sic Cicero (eius auctoritatem in hac re sequi debemus, quia cum solum auctorem habemus, quamquam, si de Antonio nunc nobis iudicandum esset, reputare deberemus Ciceronem esse eius accusatorem, non vero eius iudicem) invehitur in Antonium: «*O impudentiam singularem! quid videras? quid senseras? quid audieras?*» — — — *Si nihil est, cum augur eis verbis nuntiat, quibus tu nuntias* (i. e., si postea agnovisti, consulatum Dolabellae iustum esse, et ea re confessus es, untiationem tuam auguralem nibili faciendam esse), *confitere te, cum alio die dixeris, sobrium non fuisse*» (Cic. Phil. 2. 33. 83 sq.). Cfr. ibid. § 88: «*me de ementitis auspiciis, quibus tamen parere necesse erat, putares esse dicturum*». — 2) Quaestio de consulatu Dolabellae, cum iustus an vitiosus esset, numquam quidem ad augurum collegiam delata fuit (Cic. Phil. 3. 33. 84: «*quae necesse est aliquando ad nostrum collegium deferantur*»), neque magis ad senatum relata est (ibid. Martii anni 44 Caesar de ea re fuerat relaturus, ibid. 2. 35. 88); sed post interitum Caesaris Antonius ipse «*oblitis auspiciis a se ipso augere populi Romani nuntiarum*» (Cic. Phil. 1. 13. 31, Dia 44. 53. 1) collegam iustum agnoverat Dolabellam.

dum deos *inauspicato* fortasse factum esset quod secundum homines et ius humanum esset *auspicato* factum¹⁾.

Iamvero redeuntes ad ius universum augurum, animadvertimus primum non de ipsis auspiciis solis decernendum fuisse auguribus, sed etiam curam eis attributam esse multo ampliorum, providendi ne quid adversus morem maiorem novaretur a magistratibus, utque omnia rite et secundum fas fierent²⁾. Hanc partem officii augurum, quae plurimum valuit antiquissimis temporibus sed paullatim ab eis retineri non potuit et ad ultimum fere in oblivionem abiit, nunc diligenter persecuturi non sumus, quamvis digna sit quae attendatur, neque prorsus separanda sit a cura religionis et ne ab auspiciis quidem, cum ea quae iniuste fierent et aliter quam assoleret, etiam inauspicato fieri facile viderentur (cfr. supr. p. 237 n. 4). — Sed nunc transeuntibus ad actiones quibus augures interesse solebant, statim nobis apparet permulta in primis militiae semper acta esse, quibus ut utique augur interesset nullo modo fieri posset, etiamsi nonnumquam accidebat ut forte augur in castris adesset, et multi etiam imperatores fuerunt qui ipsi hoc sacerdotio fungerentur. Sed tamen rarius hoc usuveniebat, et plerumque imperatores militiae agentes integram et liberam servabant iudicandi potestatem de auspiciis sibi nuntiatis (supr. pag. 434), quia augur non aderat. Sed domi non eadem causa erat, ibi facile semper augur inveniri poterat. Magna autem erat ratio, cur magistratibus domi agentibus gratum et optatum esse deberet, ut augur unus certe eis praesto esset. Nam omnes actiones magistratuum auspicato fieri oportebat (supr. pag. 422); omnes igitur postea ab augurum collegio aut ultro aut deferente senatu in disceptationem vocari poterant, ut de eis cognosceretur, statueretur, decreto collegii certior fieret senatus; ab huius cognitionis periculo tum solum prorsus tuti erant magistratus, si testimonio augurum qui adfuerant probare poterant omnia recte facta esse et religioni se paruisse. Quaeenam autem fuerint

1) Hoc est quod Cicero dicit Phil. 2. 33. 83: „ergo bercale magna, ut spero, tua potius quam republicae calamitate clementius es auspicia, obtrinxisti religione populum Romanum“. — 2) Vid. supr. pag. 444 sub 7°.

actiones domesticae, quibus augures interesse solerent, accurate consequi non possumus, neque ea re opus est. Primum in senatu haud facile accidere potuit, ut augures desiderarentur; ibi quamquam non crebro sane causa erat cur aliquid ab eis decerneretur, tamen fieri potuit ut locus quo senatus vocatus esset, si inauguratus non erat, aut alia res ad ritum pertinens eis copiam daret interpellandi ne Sen Ct. fieret¹⁾; Cicero, cum loquatur de magistratibus qui cum populo patribusque agant (supr. p. 444 sub 5^o), dicit eos parere debuisse auguri. Idem alio loco (sub 6^o) dicit, obnuntiari potuisse magistratibus cum qui agerent rem duelli, i. e. qui exercerent imperium militare, veluti dilectum agentes, aut milites sacramento adigentes²⁾, aut ad copias exeuntes, tum vero eis qui agerent rem pro populo, i. e. qui domi civibus imperarent, veluti censoribus censum agentibus, tribunis concilia, magistratibus comitia habentibus. — Quo maius autem erat pondus et momentum cuiusque actionis, eo plurius faciendum erat magistratibus, ut augures eorum actionibus interessent. Sed tamen nulla lex, nulla suprema necessitas erat quae magistratus cogeret adhibere augurem; perperam hodie saepe affirmatur a viris doctis, comitia et concilia haberi non licuisse sine augure. Verum quidem est, eos *vulgo* esse advocatos a magistratibus, et fortasse consuetudo ferebat, ut augures ab his certiores fierent de actionibus publicis susceptis (quamquam augures non nominat Varro l. l. 6. 91); magnum periculum erat, si neque vocatus neque sponte adfuisset augur, ne postea comitia contra auspicia habita esse declararentur (sic cum Sex. Titius legem agrariam tulisset, cui rei augurem nullum interfuisse manifestum est, mox ea lex sublata est decreto collegii, haruspibus quoque consultis, propter prodigia quaedam, Obseq. c. 46, Cic. leg. 2. 12. 31); imprimis si augures a magistratu erant aditu prohibiti, fieri non poterat quin *inauspicato* ab eo ageretur (vid. supr. pag. 422); sed tamen in universum libera fuit magistratibus optandi potestas utrum augurem advocare vellent necne, et aequè auguribus liberum fuit adesse aut abesse. Nam ad hanc rem de

1) Dio 56. 3. 5. — 2) Cfr. Liv. 1. 36. 6: „ut — — exercitus vocati — — si aves non admisissent, dirimerentur“.

qua agimus nihil pertinet, magistratus cum comitia *centuriata* haberent alias ob rationes indiguissae operae auguris, scil. ut is formulas praerit et verba recitaret quibus inlicium vocarentur cives¹⁾; hanc ob causam sane augure opus erat in his comitiis; sed hoc ad auspicioꝝ interpretationem non pertinet, neque usuveniebat in reliquis comitiis et conciliis. Auguribus autem non singulis tantum, sed omnibus semper, ius erat, si vellent, aut rogatis aut sua sponte, interesse actionibus quae palam gererentur; qui aderant, dicebantur „in auspicio” esse²⁾. Augures ipsi, si magistratui officiosos se praestare volebant, sedulo aderant. Plerumque complures aderant³⁾; hi non utique per totum tempus quo agebatur circa magistratum in templo (tribunali) manebant, sed nonnumquam apparitore ad templum relicto ipsi in loco vicino se tenebant unde facile citari possent si quid usus posceret⁴⁾. Oportebat autem, si consilio aut iudicio augurali egebatur, non unum solum augurem a magistratu consuli, si plures aderant, sed omnes citari oportebat qui adessent⁵⁾. Hanc inprimis ob causam expediebat complures adesse, quia de re graviore si quid decernendum erat singuli facile verebantur sine collegis diiudicare⁶⁾; etiam magistratui utile erat ut plures adessent, ne forte postea, si de religione dubitaretur in collegio, unius testimonium non sufficere videretur si diversa testimonia aliunde petita obstabant⁷⁾. Sed tamen si unus tantum aderat, quin huic etiam soli ius decernendi fuerit minime dubium est⁸⁾.

Postquam explicavimus ius obnuntiandi auguribus concessum,

1) Varro 6. 94: „augur consuli adest tum cum exercitus imperatur, ac praerit quid eum dicere oporteat”. — 2) Gell. 13. 15. 4; hic locus probat, augures sua sponte in auspicio esse potuisse. — 3) Varro r. r. 3. 7. 1; Cic. Att. 4. 17. 2 Boot = 4. 18. 2 Orell. — 4) Varro r. r. 3. 2. 2: „venimus in villam (publicam). Ibi Appium Claudium augurem sedentem invenimus in subselliis, ut consuli, si quid usus poposcisset, esset praesto”. — 5) Varro r. r. 3. 7. 1: „interea venit apparitur Appii a consule et augures ait citari. Ille foras exit e villa. — — 3. 12. 1: „interea redit Appius, et percontati nos ab illo et ille a nobis, quid esset dictum ac factum”. — 6) Cfr. Cic. Phil. 5. 3. 7: „sed augur verendum sine collegis de auspiciis (scil. decernere noluit)”. — 7) Eam ob causam consules anni 54 *tres* augures esse volebant qui dicerent se adfuisse cum lex curiata ferretur quae lata non esset, ut triplici testimonio staretur eum de ea re collegium cogniturum esset. Cic. Att. 1. 1 hui. pag. n. 3. — 8) Vid. supr. p. 145 adu. 2.

iam copia nobis est restituendi loci Festi¹⁾, et disceptandae controversiae valde tritae, quae est de iure augurum, cum alii *nuntiatiorem* solam, alii *speciorem et nuntiatiorem* eis fuisse contendant, cumque utrique habeant quo suam sententiam defendant, et tamen utrique prorsus refutentur ab altera parte. — Facile nunc intellegitur, non ita fuisse iungenda neque inter se opponenda haec vocabula, quae primus Rubino (Unt. p. 56) ita perperam composuit quasi ad auspicia eiusdem generis utique pertinerent.

I. Nuntiatio rerum fortuito conspectarum omnibus hominibus concessa est; itaque haec quoque *ius* aliquod fuisse dici possit. Sed tamen cum distinguenda sit nuntiatio rerum fortuito conspectarum cogens (quam augures soli habent propter interpretandi peritiam) a non cogente, mirum non est eam solam quae cogens esset, tamquam *ius* singulare, diversum ab universo iure nuntiandi, etiam solam „nuntiatiorem” esse dictam. Hac nuntiatione rerum fortuito conspectarum igitur omnes carent qui augures non sunt.

1) Lectiones hodie mentione dignissimae sunt haec:

1. Mommsen Stant. I. pag. 109 adn. I: *specio in auguralibus ponitur pro aspersione. Et nuntiatio, quia omne ius sacrorum habent, auguribus competit* (pro: specio), *dumtaxat quod eorum* (pro: quorum) *consilio rem gerent magistratus, hos* (pro: non) *ut possent impedire nuntiando quaecumque* (pro: quae cum) *vidissent. At his* (pro: satis) *specio sine nuntiatione data est, ut ipsi auspicio rem gerent, non ut alios impedirent nuntiando*

2. C. O. Müller in edit.: *specio in auguralibus ponitur pro aspersione. [Est specio] et nuntiatio eis qui* (pro: quia) *omne ius sacrorum habent, auguribus, specio dumtaxat, quorum consilio res gererentur, magistratibus* (pro: rem gerent magistratus), *non ut possent impedire nuntiando, quaecumque* (pro: quae cum) *vidissent. Sed eis* (pro: satis) *specio sine nuntiatione data est, ut ipsi auspicio rem gerent, non ut alios impedirent nuntiando.*

3. Regell (Jahrb. f. Phil. 1888 p. 382): *specio in auguralibus ponitur pro aspersione. Est* (pro: et) *nuntiatio, quia omne ius auspiorum* (pro: sacrorum) *habent, auguribus, specio dumtaxat quorum consilio rem gerent magistratus: hos ut possent impedire nuntiando quaecumque vidissent. At his specio sine nuntiatione data est, ut ipsi auspicio rem gerent, non ut alios impedirent nuntiando.*

4. Madvig (Verfassung und Verwaltung Leipzig 1881, I. pag. 267): *specio in auguralibus ponitur pro aspersione* (spectatione?); *[data est et specio] et nuntiatio, quia omne ius sacrorum habent, auguribus, non specio dumtaxat, quorum consilio rem gerent magistratus, ut possent impedire nuntiando, quaecumque vidissent, sed his specio sine nuntiatione data est, ut ipsi auspicio rem gerent, non ut alios impedirent nuntiando*

II. Spectio sive ius auspicandi omnibus civibus quidem data est, sed ab eis non potest referri ad actiones *alienas*. In publicis rebus ius auspicandi de actione aliena paucis tantum concessum est, et partim quidem auguribus si consulti sunt (sed cum ex arbitrio aliorum pendeat utrum augures consulantur necne, hoc ius quod constans et perpetuum non est nunc a nobis omittitur), partim vero collegis eius qui acturus est, aut (in comitiis et conciliis) omnibus magistratibus. Sed cum ius auspicandi de actione aliena idem sit quod *ius nuntiandi auspicii quaesiti*, hoc ius partim tamquam nuntiatio ex spectatione distinguendum est ab illa nuntiatione rerum fortuitarum quam modo memoravi, partim vero tamquam spectio cum nuntiatione ab illa spectatione quae omnibus communis est. Hoc iure igitur omnes carent qui non sint collegae aut (in com. et conc.) magistratus.

III. Itaque augures habent *a* spectationem sine nuntiatione (omnibus communem). Praeterea habent *b* nuntiationem auspiciorum fortuito conspensorum (sive ex interpretandi scientia). Sed carent *c* nuntiatione ex spectatione sive spectatione cum nuntiatione. — Privati vero habent solam spectationem sine nuntiatione, et carent utroque genere nuntiationis.

Hoc est quod exposuit Festus, p. 333; cuius verba (postquam Madvig docuit particulam *non* in codice esse inter vocabula *auguribus* et *spectio*, quam Müller posuerat inter *magistratus* et *ut possent*) ita restituenda sunt:

„*Spectio in auguralibus ponitur pro aspectatione; [data est] et nuntiatio, quia omne ius auspiciorum (cod.: sacrorum) habent, auguribus, non spectio dumtaxat, quorum consilio rem gerent magistratus, ut possent impedire, nuntiando quaecumque vidissent; privatis (cod.: satis) spectio sine nuntiatione data est, ut ipsi auspicio (auspicato?) rem gerent, non ut alios impedirent nuntiando*”. — Cfr. Mnemos. XVII p. 441 n. 1, et supr. p. 444 n. 1. — Festus igitur h. l. ostendit, quid interfuerit inter *augures* et *privatos*; Cicero vero (loco supr. pag. 407 n. 1 laudato) indicavit quid interesset inter *augures* et *magistratus*, si de comitiis sermo esset.

Sumptibus E. J. BRILL prodierunt:

- M. T. Cicero**, Commentarii rerum suarum sive de vita sua; accesserunt Annales Ciceroniani in quibus ad suum quaeque annum referuntur quae in his commentariis memorantur; utrumque librum scripsit W. H. D. Suringar. 1854. 2 part. 1 vol. 8°. f 8.50
- C. G. Cobet**, Variarum lectionum, quibus continentur observationes criticae in scriptores Graecos. Editio secunda auctior. 1873. 8°. f 7.—
- Miscellanea Critica, quibus continentur observationes criticae in scriptores Graecos praesertim Homerum et Demosthenem. 1876. f 7.—
- Collectanea critica, quibus continentur observationes criticae in scriptores Graecos. 1877. 8°. f 7.—
- Hyperidis Orationes duae Ὁ ΕΠΙΤΑΦΙΟΣ ΛΟΓΟΣ et ἙΠΕΡ ΕΥΧΕΝΗΠΠΟΥ. Editio altera auctior et emendatior. 8°. 1877. f 1.50.
- Observationes criticae et palaeographicae ad Dionysii Halicarnasensis antiquitates Romanas. 1877. 8°. f 3.50.
- De Philostrati libello ΠΕΡΙ ΓΥΜΝΑΣΤΙΚΗΣ. 1859. 8°. - 1.25.
- Cornelii Nepotis vitae excellentium imperatorum. In usum scholarum. 1881. kl. 8°. f 0.60.
- Lysiae Orationes et fragmenta. Edit. sec. emend. 1882. 8°. f 1.20.
- Xenophontis Expeditio Cyri. Editio quarta emend. 1886. 8°. f 1.20.
- Historia Graeca in usum scholarum. Editio tertia emendatior. 1887. 8°. f 1.20.
- J. J. Cornelissen**, Oratio inauguralis. 1879. 8°. - 0.45.
- Coniectanea Latina. 8°. - 0.60.
- Cornelii Taciti de vita et moribus Iulii Agricolae. 1881. 8°. - 0.75.
- Opus idem. In usum scholarum. 1881. kl. 8°. - 0.30.
- Minucii Felicis Octavius. 1882. kl. 8°. - 0.90.
- H. van Herwerden**, Lectiones Rheno-Traiectinae - 1.50.
- Dr. H. T. Karsten**, De inkomsten en uitgaven van den Romeinschen Staat. Antiquarische schets. 1e stuk: De Republiek. 1880. 8°. f 0.80.
- Spicilegium criticum: 1881. 8°. - 0.80.
- H. W. van der Mey**, Studia Theognidea, accessit collatio codicis Mutinensis tantum non omnis. 1860. 8°. f 0.75.
- E. Mehler**, Luciani dialogi quattuor. Graece. (Timon, Philopseudes, Verae historiae, Gallus). In usum scholarum f 1.90.
- Dr. J. S. Speijer**, Latijnsche spraakkunst:
- 1ste stuk. Flexie en etymologie. 2de druk. 1883. f 1.90.
- 2de stuk. Syntaxis. 2de druk. 1884. - 1.90.
- Mnemosyne**. — Bibliotheca philologica Batava. Edid. C. G. Cobet, T. J. Halbertsma, H. G. Hamaker, E. J. Kiehl, etc. 1852—62. 11 vol. et Appendix ad vol. 2—7. 8°. (f 56.50) f 30.—
- Nova series scripsit C. G. Cobet, C. M. Francken, H. van Herwerden, S. A. Naber, W. G. Pluygers, J. J. Cornelissen, J. van Leeuwen J. f., I. M. J. Valetton, alii; Vol. I—XIV colleg. C. G. Cobet, H. W. van der Mey, Vol. XV—XVIII colleg. S. A. Naber, J. van Leeuwen J. f., I. M. J. Valetton. 1873—89. 8°. pro vol. f 5.25.

Sumptibus E. J. BRILL ediderunt:

DE OPERA SCHOLASTICA
FRATrum VITÆ COMMUNIS
IN NEDERLANDIA

THESIM

PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM PARIENSI

AD GRADUM DOCTORIS PROMOVENDUS

G. BONET MAURY

THEOLOGICUS DOCTOR.

(IV 100). 8°. Mrk 4.



Widener Library



3 2044 098 629 397